BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 1
M24

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

24. e

10 - C - 17

10
C
68

10.5.L.8

FASCIS V.
EXERCITATIONUM
PHILOLOGICO-HISTORICARUM,
CONTINENS

I: B. Joh. Meisneri Orthodoxiam de Protoplaſtis ad imaginem DEI creatis, è Geneſ. 1. 26. 27. ſ.

II. B. Joh. Hülsemanni, *niſi mavis*, D. Martini Caselii, ἐπεξήγησιν *c.* III. *Geneſ.*

III. B. Abrah. Calovii Fidem veterum, & inprimis Fidelium Mundi ante-diluviani in Chriſtum, verum Deum & hominem.

IV. *Ejuſdem Programma*, *in Gen.* IX. 26. 27.

V. Josuæ Arndii Diatribam de Myſterio Trinitatis è ſcriptis Rabbinorum veterum.

VI. Ægid. Strauchii *Diſputationem Hiſtoricam de Columnis Sethianis.*

VII. Joh. Cluveri Harmoniam Euangeliſtarum.

VIII. B. Coelestini Mislentæ *Diſſertationem* ἀναλυτικὴν *de Angelica Myſterii Incarnationis Filii DEI adnunciatione, facta B. Mariæ, Luc.* 1. 35.

IX. ---- ---- Programma de Spiritus ſancti Proceſſione.

X. D. Ægidii Strauchii *Diſsertationem Hiſtorico-Geographicam de Bethlehem, ſeu patria Meſſiæ.*

XI. ---- ---- ---- Annales Bethlehemiticos.

XII. ---- ---- *Vitam D. Petri, Diſſertatione Hiſtorico-Theologicâ deſcriptam.*

XIII. Conradi Oldii Diſſertationem Philologicam, de domicilio, victu & amictu Joannis.

Collectus, recenſitus, emendatus & indice exornatus

à

THOMA CRENIO

* * *
* *
*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

SOC. IESU BIBLIOTH. IHS

LUGDUNI BATAVORUM
Apud ABRAHAMUM DE SWART, Bibliopolam
Op 't pleyn van 's Graaveſteyn, cIↃ IↃcc.

Digitized by Google

THOMAS CRENIUS

Æqvo ac

BENIGNO LECTORI

S. D.

Qvamqvàm in Scriptura ſacra nihil vile, nihil leve, nihil inutile, nihil ſupervacaneum, & idcirco nihil contemnendum, aut obiter prætereundum, qvod Chryſoſtomi pronunciatum in Homil. II. de Verb. Jeſa. latiùs deducit B.D. noſter Caſpar. Finckius, Centur. I. Canon. Theolog. n. XLV. p. m. 78. & celeberr. Joh. Buxtorfius, libr. II. Vindiciarum Veritatis Hebraicæ adverſus Ludov. Cappelli Criticam, qvam vocat, ſacram, c. XIII. p. m. 845. ſ. edit. Baſileenſ. M DC LIII. in 4to; uti & B. Glaſſius in Dedicatione Ὀνοματολογίας Meſſiæ Propheticæ ipſô hôc annô à nobis hìc recenſitæ ac editæ rurſus: *nec ullum verbum ſit, nec unica littera in lege, in qva non ſint ſublimia myſteria & pretioſa* ſecundùm Rabbi Simeonem, cujus in Zohar verba hæc ſunt: לית מלה או אות באורייתא דלא איתביה רזין עלאין ויקירין: ſeqventia tamen mihi ſemper præ ceteris hæc tertia Scripturæ ſacræ librorum capita altiorem viſa ſunt indaginem

reqvirere; Primi ſcilicet Moſis libri caput tertium, qvod auctore Victorinô Strigeliô in p. m. 14. Scholiorum in Geneſin, edit. Lipſienſ. M. D. LXXIV. in 8t. *in tota ſcriptura velut gemma inſignis eminet. Continet enim narrationem extra conſpectum humanæ rationis poſitam de lapſu primorum parentum, qvi eſt cauſſa peccati, mortis, tyrannidis Diaboli & omnium calamitatum, in qvarum deploratione omnium ſapientum eloqventia in Eccleſia & apud Ethnicos conſumta eſt. Deinde proponit doctrinam de reſtitutione Eccleſiæ & pœnæ mitigatione. Nam primi parentes recipiuntur per miſericordiam propter ſemen promiſſum. Imponuntur & pœnæ, videlicet mors & aliæ calamitates hujus vitæ, qvia Deus, etſi remittit culpam, & aufert mortem æternam: tamen propter juſticiam aliqvas pœnas imponit, & ut ipſius juſticia & ira adverſus peccata conſpiciantur, totum genus humanum horribilibus miſeriis in hac vita onerat. In his pœnis tamen promittitur Eccleſiæ conſolatio, ut tunc Deus ipſe veſtit primos parentes pelle detractâ ab ovicula, qvâ imagine ſignificatum eſt, fore, ut novis corporibus veſtiamur, & qvidem ſumtis ab agno Chriſto. Hanc totam hiſtoriam prodeſt ſæpiſſime cogitare, ut inde diſcamus tunc inchoatum eſſe miniſterium Euangelii, in qvo ſemper una vox ſonat arguens peccata & offerens remiſſionem peccatorum propter filium.* Hæc Strigelius. Cujus

jus verba repetit ex parte Chriſtoph. Pezelius Theologiæ D. & Profeſſor in Eccleſia & ſchola Bremenſi, p. m. 50. Commentar. in Geneſin, edit. Neoſtadienſ. CIↃIↃXCIX. in 8t. Idem Strigelius, part. 1. Locorum Theologic. p. m. 442. edit. Neapolit. CIↃ IↃ LXXXII. in 4to, *Recitatur,* inqvit, *hiſtoria lapſus primorum hominum in ſcripto Moſi antiqviſſimo, qvod Geneſin appellamus, capite* III. *Qvod caput diligenter legi & conſiderari debet, qvia in eo recitatur hiſtoria, non ſolùm de lapſu primorum parentum, ſed etiam de reſtitutione ſeu inſtauratione Eccleſiæ, qvæ profectò eſt magnum miraculum & majus opus ipsâ creatione. Imò niſi Deus poſt lapſum inſtaurâſſet Eccleſiam, editâ promiſſione de venturo liberatore, nulla fuiſſet in genere humano Eccleſia, & fruſtra conditum fuiſset pulcerrimum hoc theatrum cœli, terræ, maris & aliarum rerum.* Qvandoqvidem verò ejus in capitis decimoqvinctò commate habetur Proteuangelium, qvod egregiâ, prolixâ ac eruditâ commendavit explicatione Helmæſtadii, annô CIↃ IↃ XCVII. in 8t. D. Daniel Hofmannus, qvam Studioſis omnibus Theologiæ Exegeticæ vellem eſſe qvàm familiariſſimam: placet ex ea huc advocare ſeqventia, qvæ in principio ſtatim & p. 1. leguntur: *Qvemadmodùm hæc divina concio* (Ponam inimicitiam inter te & mulierem &c) *magna ex parte Euangelica, omniúmqve prima,*

 adver-

adverſus peccata, Diabolum & mortem audita fuit conſolatio: ita verbis concepta eſt ponderoſiſſimis, & oratione conſtat brevi qvidem, ſed ſententioſiſſimâ. Diabolo autem propterea magis inviſa exiſtit, qvi eam præ ceteris laborioſiùs occultavit & obſcuravit, ut nulla extet ſententia ſimilis, cujus in Patrum præſtantiſſimorum, qvi poſt Apoſtolos vixerunt, vetuſtis ſcriptis, rarior reperiatur mentio, minúſqve accurata meditatio & explicatio. Contra hæc, obſervatio memoriâ digniſſima eſt, qvòd nunqvàm Euangelium ſeu nuncium de Meſſia eluxerit, qvin Dominus ex hac concione, pondus aliqvod depromptum, novô examine appenderit, id qvod ſuô locô ingenti nube teſtimoniorum probabimus. Hactenus Doctor ille & Profeſſor olim in Academia Julia. Puto hunc & hujus explicationem reſpexiſſe B.D. Mich. Waltherum noſtrum, in his Officinæ ſuæ Biblicæ verbis: *Paucis abhinc annis cum juniori qvodam Theologo, neſcio quâ occaſione, de hoc familiariùs collocutus & profunditatem ejus demiratus ſum; qvi ſe mirari regerebat, qvid rei alii cuidam Veterano & de Eccleſia non adeò male merito Theologo (utriuſqve nominibus ſtudioſè parco) in mentem venerit, qvòd fuerit conatus, totum ferè Articulorum fidei Syſtema ex eo elicere & educere. Ego verò reſpondebam, planè me perſvaſum eſſe, eum vix centeſimam uſus ſalutaris attigiſſe partem, oportere*

enim

enim oraculum hoc imperſcrutabilis & inexhauſtæ Sapientiæ fontem eſſe, ex qvo non tantùm largiſſima & fuſiſſima ſua omnia biberint Prophetæ, Euangeliſtæ & Apoſtoli, ſed etiam tot & tanti Patriarchæ ante & poſt diluvium per annos ultra bis mille, *hauſerint exinde ſua ſolatia, diſcurſus ſuos & concionum tàm publicarum, qvàm privatarum aliqvot millia, propè infinita, imò remiſſionem peccatorum, gratiam Dei & vitam æternam, cum unico ejus Auctore & Reparatore, Meſſia, totius Scripturæ omniúmqve votorum nucleo, medulla, anima. Et etiamnum conſtanter ſentio, neminem inter omnes Theologos hucúſqve vel eruiſſe, vel eruturum deinceps ad conſummationem uſqve Seculi, inſignes & incomprehenſibiles theſauros, qvos hac una Aurifodina ſinu, ſenſu, uſu, ambitúqve ſuô diviniſſimè complectitur. Ex qvo in hoc palmario & primario dicto ſpem meam repono omnem, in eo cras, aut perendiè, tanqvàm ſuper pulvinari quodam molliſſimo, adjuvante gratiâ Spiritûs Sancti, Conſolatoris in agone noſtro ſummi & unici, placidè obdormiſcere cogito, & captus ac verè inebriatus dulcedine ejus in textum funebrem mihi jam utcunqve ſanus & vivus adhuc, ſi qvid mediâ in Morte vitæ ſupereſt, id ſeligo & ſegrego, firmiter confiſus, me, impenſiſſimè diligendo Oraculum hoc, univerſam cordicitùs diligere Scripturam & qvicqvid in ea nullibi*

non fuſè & operoſè proponitur. Leguntur hæc verba in Repoſitor. poſterior Thec. 1. arcul. 1. §. 683. p. m. 627. ubi dictum Proteuangelicum copioſè & eruditè explicatum reperies, ſicuti & in ipſius illius Theologi Waltheri Qvadragen. Miſcellan. Theologic. p. m. 1. ſ. Ejus è voluntate fecit id olim Collega Dn. Waltheri Dietericus Culeman, cujus concio exſeqvialis edita eſt Wittebergæ. Auctore B. Davide Rungiô, in p. m. 157. Prælection. in Geneſin, edit. Witteberg. M DC XIV. in 8t. *caput hoc Geneſ.* III. *eſt fons totius Theologiæ Chriſtianæ, continens explicationem præcipuorum locorum doctrinæ, de angelis, de peccato ejúſqve cauſſa, de origine calamitatum omnium & mortis humanæ, de legis efficacia, de decreto reparationis generis hnmani per Filium, de decreti hujus promulgatione per vocem Euangelii, de perſona, officio & beneficiis Chriſti Mediatoris, de liberatione à ſervitute Diaboli & maledictione legis, ac deniqve cruce & calamitatibus Eccleſiæ. His capitibus ſummam doctrinæ Chriſtianæ contineri, eáqve paſſim in ſcriptura explicari, dubium non eſt, ut meritò univerſa Biblia commentarii qvidam in tertium caput Geneſeos poſſint appellari.* B. D. noſter Calovius, cujus mortem nunqvàm ſatis Eccleſia Lutherana vera deflebit, in Dedicatione Tomo 1. Syſtemat. Locor. Theologic. præmiſſa, p. m. 7. edit.

Witteberg. M·DCLV. in 4to, ita ſcribit. *Habemus Ducem anteceſſorem ipſummet* Filium Dei, *qvi non diebus demum carnis ſummam Locorum Communium* præconiô reſipiſcentiæ & fidei Euangelio adhibendæ, *complexus eſt, ſed ſub ipſa reparata à lapſu primævo Eccleſiæ incunabula, aureolô illo in Paradiſo è Patris ſinu prolatô, qvod* Prot-Euangelium *dicimus, univerſam Theologiam admirandô, prorſúſqve divino compendiô exhibuit, cujus tota ſcriptura Prophetica & Apoſtolica nihil aliud eſt, qvàm Commentarius perpetuus, & interpretatio, per Spiritum Dei tradita, Catholica.* Obſervandum & præ ceteris venit tertium ſecundi Moſis libri caput, qvo de Chriſtoph. Pelargus, Commentar. in h. l. p. m. 18. in margine, edit. Lipſiens. M. DC. IV. in 4to; *inſtar Smaragdi*, inqvit, *caput hoc præ ceteris elucet propter patefactionem Jehovæ & ipſius Filii DEI*, qvam egregiè hoc è loco probârunt B. Dorſcheus noſter in part. 1. Sylloges Vindiciar. ex Exodo, p. m. 59. ſ. B. D. Haberkornius in Divinitate Meſſiæ, Claſſ. III. §. 26. p. m. 114. §. 30. ſ. p. 122. ſ. edit. Giſſenſ. M DC LXXVI. in 4to, item Syntagmate I. Diſp. IV. §. 42. ſ. p. m. 330. ſ. Diſp. V. p. 433. 445. ſ. 451. ſ. 454. ſ. edit. Giſſenſ. M DC L. in 8t. B. Mich. Walther in Officin. Biblic. Repoſit. poſter. Arcul. II. §. 728. p. m. 812. ſ. edit. Witteberg. CIↃ IↃC LXVIII. in 4to, &

in Spongia Moſaica, p. m. 671. ſ. edit. Noriberg. 1642. in 4to, B. Joh. Tobias Major in Exercitatione de Natura & cultu Angelorum, Jenæ publicata annô M D C.LIII. in 4to, §. 182. ſ. qvam aliqvando cum DEO habebis in Faſcibus noſtris. Adde Mich. Havemanni Theognoſiam, §. VI. p. m. 30. ſ. edit. Freibergenſ. CIↃ IↃC LI. in 12. Joh. Conr. Dieteric. in Antiqvitat. Biblic. p. m. 167. ſ. Si, qvod qvibuſdam placet, vox SELAH non tam jucunditatis & ſvavitatis, qvàm majoris attentionis cauſſâ uſurpatur in ſacris, præprimis profectò Pſalmus obſervandus erit tertius, in qvo non modò primò, ſed & ter repetitur, & qvidem in principio, medio ac fine Pſalmi. Auctore Wolfgangô Muſculô apud Auguſtin. Marloratum in Explicatione Pſalmi III. 3. p. m. 11. a. edit. Genev. M. D. LXXXV. in fol. *ſunt, qvi hanc dictionem exponunt pro* עד עדי *& ſic capitur infrà*, Pſ. LXXXIV. 5. Beati qvi habitant in domo tua, perpetuò laudabunt Te, Selah. *Alii tantundem valere dicunt ac verè, aut amen. Sed qvia* סלל Salal attollere *ſignificat, rectiſſimè illi ſentiunt, qvi dicunt elevationem hâc voce deſignari.* Et hanc qvoqve de toni elevatione ſententiam tuetur Kimchius in Seph. Haſchor, p. m. 327. כי באותו מקום היה הגבהת הקול באותו המקום שהוא בניגון: & Pſalm. III. 3. נזכרא זאת המלה היתה הרמת קול המזמור

המזמור *in omni loco, qvô mentio hujus vocis,* notat *elevationem vocis &c.* Et poſt eum Paul. Burg. addit. III. in Pſalm. LXXXIII. Pagnin. Förſter. Marinus & Schindl. in Lexic. Flac. Clav. *part. p. I. m.* 114. Piſcat. Belgic. Malvend. Hamm. Muiſ. in Pſalm. III. 3. *&c.* Ubi & Aben-Ezra allegat ſtatuentes: כי מלה סלה אין לה טעם רק היא לתקון טעם הנגון והעד כי לא תמצא זאת המלה בכל המקרא כי אם בתפילת הבחוק שלשה שהיא בדרך תהלות על ושגיונות וגו׳ *Qvòd vox* סלה *non habeat ſenſum, niſi ad cantum &c.* Nec diſſentit Franciſcus Vatablus, cujus eodem è Marlorato, ob adpendicem, qvæ in neutra Roberti Stephani Pſalmorum editione in 8t. Lutetiana, M. D. XLVI. & M. D. LVI. cui utrique Vatabli notæ ſubjunctæ, legitur, adpono hanc enarrationem: *Qvoties in Pſalmis ponitur, ſignum eſt excitandæ vocis, & animi maximè intendendi. Etiam* (hæc vox in Marlorato omiſſa) *olim ſolebant cantores, qvoties hæc vox occurrebat, vocem intendere in cantione & harmonia*; tanqvàm in re attentiùs conſideranda. Hæc verba rurſus non agnoſcit Marloratus, nec Pariſina Stephani M. D. XLVI. habentur verò in editione ejuſdem Stephani M. D. LVI. & in Commeliniana M. D. XCIX. in fol. In omnibus verò tribus, ſeqventia à Marlorato prætermiſſa lego editionibus verba: *Sed & nos qvum res poſtulat* (*aliqva exigit* eſt in Commelinia-

liniana, at in Pariſ. M. D. XLVI. omiſſis verbis, qvæ ex editione anni CIↃ IↃ LVI. poſuimus: *Sed & nos*; invenio: *cùm res aliqva exigit*, qvæ hìc à nobis non præter rem moneri ſoli ſcient ii, qvi nôrunt, qvid de Vatabli notis diſputent eruditi) *auditoris animadverſionem & attentionem, exclamare ſolemus: hujuſcemodi erat hæc (ita eſt hìc* habetur in Pariſ. M. D XLVI.) *exclamatio, ac ſi ſic exclamet* (*ac ſi diceret* eſt in dicta Lutetiana) *O gravem calamitatem meam*! Adducta ſæpiùs Pariſina anni CIↃ IↃ XLVI. addit, qvæ nec in Pariſina recentiore anni M. D. LVI. nec in Commeliniana reperio, minùs in Marlorato: *Videant eam & perpendant omnes amici noſtri.* In qvo Marlorato etiam omiſſa deprehendo prima ſtatim Vatabli verba, qvæ in omnibus meis tribus reperio codicibus: סלה *Elevationem & exclamationem ſignificat hæc vox.* Cetera verò, qvæ ſub nomine Vatabli Marloratus adducit: *Qvanqvàm ſimul tenendum eſt, canendi modulos ſententiæ aptatos fuiſſe, atqve ita concentum cum re, vel ſubjecta materia, (ut loqvuntur) fuiſſe conjunctum. Sicuti nunc poſtqvàm conqveſtus eſt David, ſpem ſuam probroſè fuiſſe deriſam, ac ſi nihil eum juvaret, à DEO protegi, in hac blaſphemia inſiſtit, qva ejus animum graviter vulnerabat: ſicuti paulò pòſt, ubi ſibi ſubjecit fiduciæ confirmationem, eamdem vocem iterum repetit, v. 5.* in nullo Vatabli codice

ce hactenus reperire datum fuit. At in extr. adnotation. in hunc Pſalmum Vatablus, & ex eo Marloratus, qvamvìs non integrè, ſcribit ita: *In fine adjicitur* Selah. *qvaſi dicat, O excellentiam & exuberantiam bonitatis DEI, qvi ipſi fidentibus* (Pariſ. anni M. D. XLVI. & ex ea Marloratus: *qvi illis, qvi in ipſo fiduciam collocant, tam promptus auxiliator eſſe ſolet*) *tam promptus eſt auxiliator.* Ipſe verò Marloratus: *Hanc dictionem,* Selah, *rurſus,* inqvit, *adjecit, Vates, qvò oſtenderet hæc omnia piis memoranda penſiculandáqve eſſe.* Martin. Bucerus in extr. præfat. Explanat. Famil. in Pſalmos cum Kimchio putat; *notam fuiſſe vocis exaltandæ, eóqve monitorium cogitationis animi intendendæ,* & in Pſalm. III. p. m. 32. edit. Rob. Stephani, M. D. LIV. in fol. *Ideò autem,* inqvit, *hanc exaltandæ vocis notam hìc Vates poſuiſſe videtur, qvô penitiùs animis auditorum infigeret anguſtiæ & tribulationis pondus, qvô fuerat preſſus. Qvùm enim piis unus DEUS ſit omnia, faciliùs cuncta ferunt, qvàm ejus ſibi gratiam & opem negari.* Item in v. 5. ejuſdem Pſalmi, p. 33. extr. *Omnino hôc dictô voluit ſignificare, certò ſibi auxiliúm promiſſum. Hinc &* Selah *adſcripſit, volens ſanctos hìc immorari, ut certè digniſſima ſunt perqvàm religioſâ animadverſione, DEUM Davidi ſic commerito tàm benignè adfuiſſe, precémqve ejus tantum valere voluiſſe. Nemo ergo qvamlibèt peccator*

cator diffidat, ſi orare Dominum poterit, & exorare poterit qvidvis. Non prætermittendus B. D. noſter Finckius, cujus è p. 119. Meditation. in hunc Pſalm. edit. Giſſenſ. cIↃ IↃC XXIII. in 12. hæc adſcribo: *R. David putat* Sela, *nihil ſignificare, ſed ornatus & harmoniæ cauſſâ poni*, inſcitè! *Hieronymus notat tantùm poni in Pſalmis & in Cantico Habacuc, c.* III. 3. *& qvoties ponatur vide notatum ab Athanaſio in Synopſi:* LXX. *interpretes & Symmachus ex Theodotion. vertunt diapſalma. Aqvila & alii vertunt* ſemper, jugiter, *vel* in finem, *nonnullis idem eſt, qvod AMEN. Et Hebræi nonnulli putant ſignificari perpetuitatem, qvia in ſepulchris ſcribatur. Hodiè Judæis eſt ſignum vocis elevandæ, vel ſublimiùs cantandi, ſicut ipſe in Synagogis eorum animadverti; cum Judæis fere conſentit A. Marloratus, qvi dicit, ſignum eſſe excitandæ vocis & animi maximè intendendi. Hilarius, Chryſoſtomus, Euthymius putant in hoc diapſalmate ſignificari aut alium ſenſum tunc inchoari mutatâ harmoniâ Pſalterii, aut aliis cantoribus traditum eſſe Pſalmum, aut ceſſatum eſſe. Tremellio & Junio eſt nota attentionis animi & contenti ſoni: Qvæ tres poſteriores ſententiæ non ſunt contrariæ B. LUTHERO: Non enim ille tantùm habet pro ſigno attentionis, ſed etiam pro pauſa, in qvo utroqve conſentientem habet Nyſſenum, qvi in*

Pſalm.

Pſalm. 11. c. x. *ait, ſibi videri interſtitii notam eſſe ſive Pauſa, ut excitetur attentio, ſicut accidit, inqvit, ut dum iter aliqvi conficiunt, vel ſunt in conviviis, aliiſve conventibus, ſi ex improviſo ſonus qviſpiam ad aures accidat, abrupto ſermone animum convertant, & otium auribus largiantur, ut intendant magis. Qvomodò nota attentionis & qvietis ſit, doctè explicat Lutherus* fol. 98. *Tom. III. Witteb. Germ.* fac. 2. §. 3. Hie iſt ein Wort das heiſt Sela, welches als in den Pſalmen kömpt, was es aber heiſt, ſeindt die Gelärten noch nicht eins, welcher Meynung eine jegliche ſonderlich, nicht noth iſt hie zu erzehlen. Im Griechiſchen habens die ſiebentzig Dolmetzſcher gedeutet, es ſey eine Stilhaltung, nemblich daſs der, den Pſalm ſinget oder liſet, ſtill halte, und ſchweige ein wenig ſtill. Durch welches, wie ich mich dünken laſſe, angezeiget wird irgend eine ſonderliche Bewegung deſs Hertzens oder Geiſtes, damit der, ſo den Pſalm ſinget nach Gelegenheit der Zeit und Eingebung deſs Geiſtes, bewegt wirdt, der Sache, davon er ſinget, ferner nach zudencken. Welche Bewegung, weil ſie nicht in unſer Macht iſt, kan ſie nicht in einem jeglichen Pſalm, unnd in einem jeglichen Verſe von uns verſtanden werden, ſondern wann der Geiſt denſelben in uns erreget, ſo verſtehen wirs, dar-

darümb ſtehet das Wörtlein Sela, ſo vermenget hin und her in den Pſalmen ohne gewiſſe Urſach, daſs auch damit angezeiget ſey eine heimliche unnd unbekante Bewegung deſs Geiſtes, die man auch nicht wol mag erſehen und erkennen. Wo nun eine ſolche Bewegung deſs Geiſtes kömpt, muſs man ſtill halten, und den Worten deſs Pſalms fleiſſig nachdencken, den ſie fordern eine ruhige und ſtillſtehende Seele, die da begreiffen unnd faſſen könne was ihr der heylige Geiſt alda fürhelt und einbildet. Wie wir in dieſem Verſe hier ſehen, da der Prophet bewegt iſt zu fühlen und zu erkennen die ſchwere Anfechtung des Geiſtes, in welchen auch Gott, der mit jhm, wie er nicht anders fühlet, zürnet, geduldet wird, ſchweige den die Creatur. Das ſey meine Meynung von dem Wort Sela, doch halt ein jeglicher was er will ich bin wol zu frieden. Hactenus B. noſter Finckius, qvi & hunc è Tom. I. Jenenſ. German. ſuper Pſalm. LXVIII. f. 476. potuiſſet addere locum Theandri Lutheri: *Sela iſt ein ſtill halten* und tieffes auffmercken. *Als do der Geiſt jemand ſonderlich bewege oder entzücke etwas wol zu betrachten.* At, ut, qvod laudatus D. Finckius de Rabbi Davide habet, conſtet; adponam ipſa verba R. Davidis Kimchi, prout ea ex Hebræo Latinè reddidit Domnus Ambroſius

ſius Janvier Congregationis S. Mauri Monachus Benedictinus, *Pleriqve*, inqvit, in p. m. 15. edit. Pariſ. M. DC. LXVI. in 4to, *interpretum hanc vocem* סלא, ſela, *idem ſignificare volunt ac* לעולם, leoolam, *hoc eſt, in ſæculum, & eam ſic exponit Jonathan Chaldæus, in oratione Abacuk*, c. III. 3. *ſclicet* לעולמין, leoolamin, *in ſæcula. In hac qvoqve ſignificatione ſolet accipi hæc dictio in fine precum noſtrarum. Sapiens autem Rabbi Abraham filius Eſræ illam exponit per vocem* אמת, emet, *hoc eſt, verè. Ego verò non exiſtimo vocem eſſe ſignificativam, ſed eſſe tantùm notam elevandæ vocis, & derivari à verbo* סלל, ſalal, *qvod elevare ſignificat, ut in illo loco, Eſai.* LXII. 10. Aggerate, aggerate ſemitam: *hoc eſt eo in loco ubi dictio illa invenitur & legitur, fieri debuit vocis elevatio in Pſalmo. Cujus rei probatio eſt, qvòd non inveniatur hæc dictio niſi in hoc libro, & in oratione Abacuk, qvæ & ipſa carmine edita eſt, ſicut etiam ibidem legitur ſcriptum Abac.* III. 3. Victorem in Pſalmis meis. Hæc Kimchi. Juvat Joh. Buxtorfius in Epitoma Radicum Hebraic. ſive Lexico, p. m. 574. edit. Baſil. M. DC. VII. in 8t. (nam in recentiore M. DC. LXXVI. non integrè habentur hæc verba) ita ſcribens: Sælah *vocabulum eſt per ſe nihil ſignificans, ſed muſicum aut muſicorum proprium, cùm nullibi niſi in Pſal-*

mis & Cantico Habacuk reperiatur, de qvo diverſæ interpretum ſunt ſententiæ. R. D. Kimchi ſcribit Elevationem ſignificare, qvaſi à סלל *deductum (cui derivationi tamen forma grammatica repugnat) qvòd eô vocabulo cantores monerentur, vocem in cantu eſſe elevandam. An verò potiùs eſt à* סלה *vocis ſternendæ & remittendæ vocabulum, notans communem pauſam in qva voces omnes æqvabili & temperatô concentu qvaſi ſternebantur & pauſabant, non tam moderatæ interſpirationis, qvàm gravis cujuſdam ſvavitatis cauſsâ?* Qvi idem Buxtorfius, lib. 1. Epiſtolar. Hebræar. Familiar. p. m. 203. ſ. edit. Baſileenſ. M. DC. X. in 8t. hanc voculam *Selah* apud Judæos eôdem ſenſu, qvô אמן *Amen* ſumitur, accipi docet. Joh. Avenarius in Lexic. Hebr. f. 507. ait, *ſe ex omnibus Rabbinorum Commentariis non potuiſſe certam hujus nominis ſignificationem deprehendere.* Hieronymi locum à Finckio adductum lege Tom. IV. Epiſt. ad Marcellam, p. 42. D. Joh. Tarnovius in p. m. 69. Enarration. hujus Pſalmi, *De vocis* ſelah, inqvit, *qvæ in Pſalterio ſeptuagies ſemel, & ter in Habacuc reperitur, aliàs nuſqvàm in bibliis, & ſemper in fine verſus, exceptis qvatuor locis, ubi in medio occurrit, pſal.* LV. 20. & LVII. 4. *Habac.* III. 3. & 9. *ſignificatione valde diſcrepant interpretes,* Jonathan *vertit in ſecula.* Aben Ezra *in veritate, certè,* LXX. διάψαλ-

μα,

μα, qvaſi in eo loco, ubi ponitur, ſit muſicæ melodiæ mutatio. Aqvila *ſemper.* Alii *dicunt eſſe vocem, qvâ optatur alicui felicitas, ut ſit idem, qvod Amen, qvod probant exemplis depromptis partim ex precibus Judæorum, partim ex eorum Epitaphiis: ut exaudiat nos Deus, qvi ſedet ab æterno ſela. Baſileæ ſcriptum eſt in lapide, Anima ejus ſit ligata in cœlo ſela.* Nonnulli *tantùm eſſe notam aſpirationis ajunt:* qvidam *epiphonematicè reddunt, qvaſi tantùm valeat, O rem gratam & acceptam Deo!* Paulus Burgenſis *arbitratur eſſe dictionem encliticam, poëtis tantùm uſitatam, ut expleatur numerus & modulatio verſus. Vide* Reuchlini capita concordantiarum. & M. Barthol. Rathman in σκιαγραφία Pſalterii, Joh. Bodin. lib. II. c. IV. Dæmon. *ſingulis Pſalmorum locis, ubi legitur ſela, qvi canebant illud, unà cum corpore attollebant vocem.* Kimchi *vult eâ indicari exaltationem vocis, qvaſi eſſet à* סלל, *Cui tamen forma grammatica repugnat. Alii denique putant, qvòd ſit nota pauſæ & attentionis animi, qvæ ſententia & omnium maximè veriſimilis, & derivationi hujus vocis optimè congruit,* סלה *namqve* ſtravit *ſignificat, ut hâc voce indicetur eam eſſe ſternendæ ac remittendæ vocis in cantu indicium, ut tantô melius verba præcedentia conſiderari qveant, qvæ magnum & notatu digniſſimum qvid continent: Unde non ineptè à*

qvibuſdam pro diverſitate loci redditur per intendendi adverbium. Nec diſſentit Cl. Coccejus, cujus è p. m. 17. Commentarii in Pſalm. III. ult. edit. opt. Elſevir. CIↃ IↃC LX. in fol. hæc do verba: *Supereſt, ut de voce* Selah, *qvæ hîc eſt in fine verſ. 3. 5. 9. aliqvid addamus. Extat 71. In pleriſqve Pſalmis, in qvibus eſt, titulus eſt* מזמור. *qvater in medio verſu occurrit.* LXX. *διάψαλμα. Targ.* לעלמין, *ſic & Syrus* ܠܥܠܡ *Junius*, ſummè, vehementiſſimè, maximè *& ſim. prout loco aptum fuerit. Arabs omittit. D. Kimchi ait, nihil ſignificare. Nos nihil invenimus aptius rei & analogiæ lingvæ, qvàm ut ſit imperativus ad formam* נְצֹר *Pſal.* IV. 7. *per productionem ꝗ Schevàh in pauſa ex verbo* סלא *vel* סלה. *Unde eſt Job.* XXVIII: 16. לא תסלה בכתם אופיר *& Thren.* IV: 2. המסלאים בפז. *Item Thren.* I: 15. סלה כל־אבירי בי *Notat id verbum, elevavit æqvaliter, ut aggerem facimus evehendâ terrâ in æqvalem altitudinem. Inde ergo eſt contra appendit, tanqvàm in æqvilibrio, contra æſtimavit, contra carum habuit. Ut igitur vocis æqvaliter attollendæ ſignum eſſe poſſit, ita etiam monelam attollendi animi vel rem expendendi eſſe, credibile eſt.* Addo & Gilb. Genebrardi expoſitionem, cùm Commentarius ejus, Pariſiis M. D. LXXXVII. editus in fol. ac è Bibliotheca Riveti in meam derivatus in paucorum mani-

bus

bus & Bibliothecis ſit: *Hunc*, inqvit, p. m. 8. *verſum 3. in Hebr. primùm claudit* Séla, *deinde verſ. 5. & 9. qvouſqve ſemel & ſeptuagies in toto opere occurrat, & ter in Abacuk. Mihi videtur nota non tantùm Muſica, verùm etiam exclamationis & attentionis, ut tunc elevetur mens & cogitatio, qvaſi dicat: O magnam blaſphemiam, an ſic licet Dei providentiam tam apertam in dubium vertere. Qvinta æditio vocem Hebræam* σέλα *retinet. Septuag. Theodotio, Symmachus eam modò prætermittunt, modò* διάψαλμα *interpretantur, qvaſi nihil ad ſententiam conferat, ſed ſit ſimplex nota muſica & concentus. Hanc enim ideò Græcam vocem Suidas* ἐναλλαγὴν μέλȣς, *alii noſtrorum commutationem metri, alii pauſationem ſpiritus, alii alterius ſenſus exordium, alii rythmi diſtinctionem, alii cujuſdam muſicæ varietatis exordium eſſe docuerunt. Qvæ omnia qvidem Hieronymus ad Marcellam, tom.* III. *ſugillat. Non minùs tamen Hebræi inter ſe variant. R. Kimhi tradit eſſe vocis, deinde mentis ad conſiderandam ſententiam elevandæ notulam, à* Salal *elevavit, qvaſi* Séla *pro* Sélla, ll *geminatâ muſicum intendendæ vocis ſignum. Anonymus pauſam, in qva tunc pulſaretur inſtrumentum muſicum: Talmudita, Chaldæus, Hieronymus, Aqvila, genus aſſeverandi, qvò jam dicta æterna eſſe pronuncientur,* in æternum, in ſæcula, ſemper. *R. Abra-*

bam affirmationem ad confirmanda ſuperiora, verè, profectò, ita eſt. *Qvod hodie Judæi ferè in ſuis precibus ſeqvuntur.* Hactenus Genebrardus. Et qvoniam in pauciſſimorum manibus etiam ſunt B.D. Joh. Gerhardi Adnotationes poſthumæ priores in Pſalmos, repetere hìc ex eis & qvidem, p. 32. edit. Lipſienſ. M.DC. LXXVI. in 4to placet ſeqventia. SELA *ſecundùm Rabbinorum, præſertim R. Davidis opinionem ſignificat devotionem, & fortè ideò adſcriptum eſt, ut Cantores iſtis in locis ad vocem elevandam admonerentur, ut ex ſublimitate illa vocis intelligeretur cani de rebus maximis. Alii tradunt, verbum* Sela *denotare* Amen, *affirmationem, & idem eſſe, qvod* profectò, utiqve ſanè. *Græci vocant* Sela *Diapſalma, de qvo Hilarius* : In Diapſalma, qvod interjectum in plurimis Pſalmis eſt, cognoſcendum eſt, demutationem ſenſus ſub converſione modi Muſici inchoari, ut ſicut diapſalma intercesſerit, aut aliqvid aliud dici, aut etiam ab altero dici, aut in altero artis Muſicæ modulo cantari, intelligendum ſit. *Nyſſenus ait*, ſibi videri, interſtitii notam eſſe ſive pauſæ, ut excitetur major attentio. *Qvare definit Diapſalma* ceſſationem & qvietem, *derepente in pſallendum factam ad receptionem divinitus miſſæ illuſtrationis, vel doctrinam à Spiritu Sancto animæ in occulto inſpiratam, melodiâ per atten-*

tio-

tionem ad hanc inſtructionem interruptâ. Eucherius Lugdunenſis, lib. II. *c.* 11. *de variis vocabulis.* Diapſalma, ſemper eò, qvòd illa, qvibus hoc adnectitur, ſempiterna eſſe confirmet à DEO, non commutationem metri ſignificat, ut qvidam exiſtimant, vel Spiritus Prophetici refectionem. *Hieronymus vult, vocem* Sela *denotare* ſemper, εἰς τὸν αἰῶνα, *aut* in finem εἰς τέλος, *& ſempiterna eſſe, qvæ dicantur. Aliis videtur denotare*, ab altero choro eumdem verſiculum repetendum, *vel* ἐναλλαγὴν μέτρου, *alternationem metri ſeu carminis. R. D. Kimchi ait, eſſe* exaltationem vocis, *nam* Salal exaltare *ſignificat. Emanuel Sa.* Sela eſt elevatio, hîc Cantores vocem intendebant ad exprimendam rei indignitatem ſeu calamitatem, qvaſi dicat, ô gravem calamitatem! Tu vide Cl. Dn. M. Joh. Paſchii eruditam Diſſertation. de Selah Philologicè enucleato, & B. Chriſtian. Noldium in Concordant. Particular. Ebræo-Chaldaicar. p. m. 660. & 1064. b. n. 1877. (malè enim 1177. editum eſt) Ut ſic vi & indiciô hujus particulæ (qvam miror, ne verbô qvidem, qvod ſciam, tetigiſſe D. Lucam Stöckle Spirenſem, in Exegeſi Pſalmorum aliqvot Davidis, clavem, ut putat, continente generalem in omnes Pſalmos, habita Baſileæ, & in Bibliopolio Commeliniano in 8t. excuſa annô CIↃ IↃC. IV.) hic præ reliqvis,

qvod monui, attendendus ſit Pſalmus III. *qvi* auctore Tilemannô Heshuſiô, p. m. 25. b. Commentar. in h. Pſ. edit. Helmſtadienſ. M. D. LXXXVI. in fol. *monet, qvænam illi exſpectanda ſint, qvi Eccleſiæ doctrinam amplectitur, & hic diſcipulum Chriſti in arenam ducit. Ea enim ratio eſt hujus Propheticæ doctrinæ, ut abſqve exercitio ærumnarum nec ſatis percipi poſſit, nec ad cor ipſum penetret, nec fructum adferat, neqve hoc operetur, cujus gratiâ eſt patefacta. Unde illa ſunt Prophetarum dicta,* Jeſa. XXVIII. 19. *Vexatio dat intellectum. Item*, c. eod. v. 9. *qvem docebit ſapientiam? ablactatum à lacte, & avulſos ab uberibus. Item,* Pſ. CXIX. 71. *Bonum eſt mihi, qvòd humiliâſti me Domine, ut diſcerem juſtificationes tuas. Eſt igitur hic Pſalmus ardens precatio, qvâ David pulſus in exilium à filio, & hoſtium multitudine circumvallatus, petit à Deo defenſionem adverſus rabiem & crudelitatem hoſtium: & ſimul totam Eccleſiam ſuô exemplô erudit & conſolatur, non eſſe deſperandum in arduis periculis, ſed Deo confidendum, qvi hoſtes noſtros potentiſſimos momentô delere, in ſummis periculis cor noſtrum roborare, & ex omnibus malis clementer & glorioſe nos eripere poteſt.* Qvâ conſolatione, ſi unqvàm, certè hôc indiget Eccleſia tempore, qvô multa minantur & exſeqvuntur adverſarii, nec adhuc tantas ſibi conqveruntur vires, qvò poſſint efficere pleniſſimè,

qvod cupiant. Mentes ſuæ ſapientiæ fiduciâ ebriæ & divitiis ac voluptatibus laſcivientes neqvaqvàm periculorum Eccleſiæ ſatis conſiderant magnitudinem, qvæqve, qvalia ac qvanta ſint. Sibi igitur indulgent, qværunt opes & voluptates, ardent ambitione, contemnunt miſeros, ludunt opinionibus pravis & cogitationibus, negligúntqve doctrinam à DEO traditam confitentéſqve eam. Talia pectora Diabolo cùm pateant, loqvor cum Melanchthone, ſeqvuntur infinitæ confuſiones in vita: qvia ſpargunt alii profanas opiniones & periculoſas, alii munus docendi ſi non prorſus ob reditus negligunt, tàm perfunctoriè tamen & negligenter curant, ut tædium in iis, difficultatem & invidiam nemo non animadvertat. Ita paullatim & diſtrahuntur Eccleſiæ; & creſcunt tenebræ & multa tetra vitia. Ex adverſo vigilant adverſarii, ſuarum partium ſatagunt, omnémqve movent lapidem, qvò ſuum prolatent virus. Cùm autem pericula noſtra nunc non ſint obſcura, non magìs exiſtimo, qvàm ex litteris eorum ad me diſco, multos eorum cogitatione pios excruciari valde. Videmus enim paſſim corruptelas Eccleſiis vi, armis, prece, pretiô, mendaciis inferri ac fraudibus, vagari pios Paſtores exulantes cum miſeris & ægris uxoribus & parvis liberis ſine viatico, ſine hoſpitiis. Alicubi capti ul-

ultima exſpectant ſupplicia tanqvàm ſontes & exempla meriti noviſſima. In his tantis miſeriis cùm præſidia humana aut nulla ferè aut admodùm infirma ſint, qvâ nos conſolatione ſuſtentare poſſumus? Hìc ſciamus non caſu, non humanis tantùm conſiliis Eccleſiam collectam eſſe, ſed Deum verè patefactum eſſe generi humano, & illuſtria teſtimonia patefactionis oſtendiſſe, reſuſcitationem mortuorum & alia miracula: ac certò promiſiſſe, ſibi hunc cœtum, qvi Euangelii cuſtos eſt, ſemper curæ futurum eſſe, & qvidem ſemper ſe talem aliqvem cœtum in genere humano ſervaturum eſſe, ſe ducem & protectorem fore familiarum noſtrarum, in noſtris exiliis ſe monſtraturum eſſe hoſpitia, ſe poſt hanc vitam traducturum eſſe nos ad dulciſſimam æterni Patris & Eccleſiæ cæleſtis conſvetudinem, ac verba promiſſionum infigere animis. Sic enim Deus Jeſaiæ XLVI. 4. Ego, inqvit, vos etiam ſeneſcentes geſtabo, ego feci, ego feram, ego portabo. Item, Pſ. LV. 23. Jacta curam tuam in Deum, & ipſe te enutriet. Et filius Dei, Matth. X. 30. Omnes, inqvit, capilli capitis veſtri numerati ſunt. Item, c. XXVIII. 20. ero vobiſcum uſqve ad conſummationem ſeculi. Item, Jo. XIV. 23. Si qvis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum,

&

& manſionem apud eum faciemus. Etſi autem homines Epicurei has conſolationes derident, & inanes verborum ſonos eſſe judicant, tamen luceat in nobis fides. Noſtrâ conſtantiâ declaremus, nos reverà Deo credere, ab ipſo petere & exſpectare auxilium. Si adfirmamus ſeriò, non commentitiam, non fabuloſam eſſe doctrinam eccleſiæ, ſtatuamus etiam has promiſſiones veras & ratas eſſe. Accendatur in nobis aliqva fidei ſcintilla, petamus & exſpectemus à Deo auxilium: & hâc ſpe ſimus in confeſſione veritatis firmi, &, ſi qvid erit patiendum, non frangamur animis, non iraſcamur Deo & Euangelio, non ſuperemur dolore, ſed ſuſtentemus nos cogitatione præſentiæ Dei. Graviores & potentiores ſunt, non nego, inimici noſtri, qvàm ut vel vilipendendi, vel aliqvid mitius ab eis exſpectandum ſit: major tamen & potentior adhuc DEI benignitas, qvàm ut deſpondeamus animos, in qvem ſi reſpexerimus, & illum purè adnunciaverimus, nihil nobis oberit vel deerit; & ſi brevi hôc tempore premunt adflictiones, qvamdiu peregrinamur à Domino, 2. Cor. v. 6. ineffabilis tamen nos gloria manet, ſiqvidem patientiam non amiſerimus, & in finem uſqve perſeveraverimus. Liberè pronuncio cum Gregorio Nazianzeno, ex Orat. XI. adverſ. Arianos & de ſeipſo, p. m. 314. & 328. præſertim

hôc

hôc tempore, qvô premitur noſtra & vim patitur Eccleſia Lutherana à brachio ſeculari. *Ubi ergo ſunt tandem illi, qvi paupertatem nobis exprobrant, opéſqve ſuas cum faſtu jactitant? Qvi Eccleſiam multitudine definiunt, & gregem exiguum aſpernantur? Habent hi domos, Nos inhabitantem; Habent templa, Nos Deum; Habent illi populos, Nos angelos; Habent audaciam, Nos fidem; Minantur, Nos precamur; Feriunt, Nos toleramus; Habent aurum, & argentum, Nos doctrinam repurgatam.* Miniſtris verbi diligentiſſimè capita perpendenda erunt Ezechielis III. & XXXIII. Qvorum ad explicationem adpono verba Proſperi è primi de Vita contemplativa c. XX. *Qvod dicit Apoſtolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, qvid valebit, ſi is, cui vel adhortandi bonos, vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt, benè vivendo ſe imitandum bonis non exhibeat & malos tacendo non corrigat, Ad hoc enim, niſi me fallit opinio, ſanctè vivendum eſt ſacerdoti, ne dicta ſua repugnantibus factis evacuet, ſi qvod prædicat fieri debere non faciat, aut ſi qvod non facit prædicare præſumſerit. Si autem aliud egerit nihil apud eos, qvi ejus vitam novêre, proficit, qvia ad hoc eſt Eccleſiæ Dei præpoſitus, ut non ſolùm benè vivendo alios exemplô ſuæ converſationis inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat, qvæ pœna maneat duros,*

qvæ

quæ gloria obedientes, oſtendat. nullius ſalutem deſperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apoſtolum, qvi ait: Ut lugeam multos ex his, qvi antè peccaverunt & non egerunt pœnitentiam, & iterum: Qvis infirmatur & ego non infirmor? Qvis ſcandalizatur & ego non uror? Qvapropter ſciens, qvòd, ſi qvibuſlibet divitibus ac potentibus parcat, malè viventibus autem faveat, eos perdat ſimul & pereat. Et ſanctè vivere debet propter exemplum, & docere propter ſuæ adminiſtrationis officium. Certus, qvòd ei nihil juſtitia ſua ſuffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Qvando, qvicumqve alius perierit, qvem nulla docendi manet neceſſitas, ſolus pœnas ſceleris ſui dabit. ille autem cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiamſi ſanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubeſcat aut metuat, cum omnibus, qvi eô tacente perierunt, perit. Et qvid ei proderit non puniri ſuô, qvi puniendus eſt alienô peccatô? Mentior, ſi non hoc Dominus per Ezechielem Prophetam ſub cujuſdam terroris denuntiatione loqvitur, dicens ad eum: Et te, fili hominis ſpeculatorem dedi domui Iſraël. Nec hoc tranſeunter debemus audire, qvòd Sacerdotem ſpeculatorem appellat. Ut ſicut ſpeculatoris eſt de loco editiori proſpicere & plus omnibus contemplari: ita ſacerdos debet eſſe propoſiti ſublimitate celſior cunctis, & majoris ſcientiæ habere gratiam, quâ

poſſit

poſſit ſub ſe viventes inſtruere. Videamus jam qvid divinus ſermo contineat: Audiens, inqvit, ex ore meo ſermonem, adnuntiabis eis ex me, ut hoc dicat ſacerdos, qvod ex divina lectione didicerit, qvod illi Deus inſpirârit, non qvod præſumtione humani ſenſus invenerit. Adnuntiabis eis, inqvit, ex me: Ex me, non ex te, mea verba loqveris. Non eſt qvod ex iis, tamqvàm de tuis infleris, Ex me, inqvit, eis adnuntia. Sed qvid adnuntiet jam audiamus. Si me dicente ad Impium, Impie morte morieris, ſi non fueris locutus, ut cuſtodiat ſe impius à via ſua, ipſe impius in iniqvitate ſua morietur, ſangvinem verò ejus de manu tua reqviram. Qvid potuit expreſſius, qvid apertius poteſt dici? Si impio, inqvit, non locutus fueris, ut ab impietate ſua ſe cuſtodiat, & ille perierit, ſangvinem ejus de manu tua reqviram. Hoc eſt dicere; ſi ei peccata ſua non adnuntiaveris, ſi eum non argueris, ut ab impietate ſua convertatur & vivat; & te, qvi non increpâſti, & ipſum, qvi te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Qvis, rogo, tam ſaxei pectoris, qvis tam ferreus erit, qvem ſententia iſta non terreat, qvis tam alienus à fide, qvi ſententiæ iſti non credat? Hæc Proſper, eadem iiſdem verbis tranſſcripſit in lib. v. c. xviii. de Vitiis & Virtutibus Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis. *Et reverà fulmina ſunt*, ut ait alicubi Eraſmus, *non verba, quæ tum*

tum demum vibrabit judex, cùm in nubibus advenerit cinctus myriadibus angelorum. Qværet tum Dominus, non qvot beneficia accumulaverimus; non qvàm ſplendidè vixerimus, non qvantum ſcientiæ habuerimus; ſed qvomodo ex ea Eccleſiam ædificaverimus, qvomodo oves perditas qvæſiverimus, vulneratas obligaverimus, ſtantes corroboraverimus, erroribus deviantes humeris reportaverimus. Qvàm illud futurum judicium horrendum, dies funeſtus, dies caliginis & tenebrarum! in qvo paſtoribus, otio & genio indulgentibus, magno cum tremore dicet Dominus, Ezech. xxxiv. 3. *Adipem comediſtis & lanam induiſtis, qvod opimum mactâſtis, gregem verò non paviſtis, perditam ovem non qvæſiviſtis*, &c. Videndi autem hoc de argumento libri, qvibus maximum in Vetere fuit Eccleſia pretium, hodie verò ſummo ſeculi opprobrio vix paucis noti, Joannis Chryſoſtomi de Sacerdotio, beneficiô longè eruditiſſimi viri Davidis Hoeſchelii Auguſtani in lucem reſtituti. Legendus & Johannis Climaci liber, qvi PASTOR inſcribitur à Matthæo Radero Jeſuita. Sed & hæc Prophetæ loca ſolidè, qvod ſolet, & eleganter explicat in Præfatione alteri Calviniſtæ Aulico-Politico præmiſſa B. D. Leonhard. Hütterus. Exempla Epiſcoporum pro univerſæ Eccleſiæ ſalute excubantium recenſet B.
Hül-

Hülſeman. in erudita & paucis familiari Diſſertatione de Correptione Fraterna (nobili & raro argumento) §. VII. à n. 59. - - 104. p. m. 36. ſ. edit. Lipſienſ. M. DC. LI. in 4to. Peculiarem ex Ezech. III. 16. 17. 18. Diſputationem habes in Faſciculo Diſſertationum Theologicar. B. D. Joh. Adami Scherzeri, n. V. edit. Lipſ. CIↃ IↃC XXCIII. in 4to. In Novo Teſtamento præ reliqvis placet III. Euangeliſtæ primi caput, & qvidem comma in eo 2. qvo in ita Domini Præcurſor, *novus Elias, pluſqvàm Propheta, initium Euangelii,* ut adpellatur à D. Cyrillo Hieroſolymitano, Catech. III. *fervens ille nuncius, qvi antè geſtivit nunciare, qvàm vivere: conſtitutus inter vetera & nova, ad qvem deſineret Judaiſmus, & à qvo inciperet Chriſtianiſmus,* auctore Tertullianô in IV. contra Marcion. c. XXXIII. Joannes Baptiſta populum adfatus: Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· prolixas ſuas conciones & præcipuos doctrinæ articulos qvoddam qvaſi miſit in compendium, & in breviſſimam ſummam, auditoribúſqve ſuis animis ut infixam ſemper circumferrent, commendavit. *In NovoTeſtam.* inqvit incomparabilis noſter Chemnitius, part. I. Locor. Theolog. p. m. 9. b. edit opt. Francof. M. DC. LIII. in fol. *Baptiſta, extra omnem controverſiam talis ac tantus concionator, qvô inter natos mulierum non ſurrexit*

xit major, ſummam totius ſuæ doctrinæ brevi compendiô propoſuit, Pœnitentiam, *inqvit,* agite, adpropinqvat regnum cælorum. *Non enim pueriliter imaginandum eſt, qvòd tanqvàm arreptitius qvinqve tantùm illas voces ingeminârit: ſed hæc fuerint capita omnium ipſius concionum, ſicut illæ apud Euangeliſtas evolvuntur, qvid de Trinitate, de Peccato, de Contritione, de Fide, de nova obedientia docuerit.* Conſentit alius magnorum noſtram in Eccleſiam meritorum Theologus, D. Ægidius Hunnius, cujus Tomô III. Oper. Comment. in h. l. Matthæi, col. m. 50. verba hæc ſunt: *Hæc Joannis erat concio, hæc Novi Teſtamenti tuba, & hic inſignis ille præco regis regnantium & Domini dominantium, viam præparans, concione pœnitentiæ & gratiæ, adventanti Meſſiæ* Domino. *Non autem putandum eſt, Johannem totidem duntaxat uſum verbis, ſed ſummam concionis ejus explicare voluit Euangeliſta, ac docere, qvòd prædicationis ipſius ſcopus huc fuerit directus unicè, ut pœnitentiam & converſionem ab admiſſis peccatis ad* Deum *hominibus perſvaderet. Hæc ipſius concio eſt in Genere Deliberativo, ſeu ſvaſorio. Svadet enim, vel potiùs graviter exhortatur homines, ut reſipiſcant, ut peccatis agnitis in Deum & Meſſiam credant, noveqve obedientiæ ſtudium ſectentur. Qvæ ſimul omnia vocabulô* pœnitentiæ *comple-*

xus eſt JOHANNES. Nec negat D. Caſp. Bertramus in p. m. 55. Matthæi enucleati, Arnſtadii CIↃ IↃC LI. in 4to editi ſcribens: *Non autumandum eſt, Johannem ſolis his duobus vocabulis* (pœnitentiam agite) *prædicando contentum fuiſſe, multa enim inſuper alia ipſum concionatum eſſe, Lucas admonet* c. III. 18. *idqve ex hujus ipſius textus v. 7. & ſeqventib. perſpicuum eſt.* Oſtendit autem illo in loco nobis S. Joannes & Regem, & Regnum & modum ſeu viam illius regni adipiſcendi, ut nihil nobis omnino deſit ad ſalutem. Placent verba B. noſtri D. Meiſneri, qvæ ſuppono è p. 427. ſ. Meditation. in Euangelia Feſtivitatum annuar. *Auditores objurgati & perterriti ſunt erigendi concione gratiæ de Chriſto, qvia hi ſunt illi duo baculi*, durus & amœnus, *qvibus uti debent omnes Paſtores*, Zach. XI. 7. *qvorum inſuper officium eſt, ut ad Chriſtum ſuos ſemper manuducant diſcipulos, & ſummam doctrinæ Euangelicæ breviter comprehendant: exemplô ipſius Chriſti, qvi totam curriculi ſui hiſtoriam duobus membris circumſcribit*, Paſſione & gloriâ; Exinanitione & exaltatione. Qvàm multi pii tertio cum qvarti Euangeliſtæ Joannis ſe delectaverint capite, & qvidem comm. 16. 17. ſ. animô æqvô, imò verò etiam, gaudenti ac libenti, ipſis in mortis conſtituti faucibus, tot docent conciones exſeqviales in fu-

neri-

neribus ipſorum habitæ, qvarum ingentem numerum, ducenteſimum, ſi rectè recordor, excedentem, in Bibliotheca non adeò magna Theologi cujuſdam in Germania me vidiſſe ſuccedit memoriæ. D. Lutherus ſanè, currus qvondam & auriga Iſraëlis, recitatione verborum horum ſe conſolans, deceſſit. Johann. Fridericus Saxoniæ olim Elector, heros in ipſa morte infractus, repetens hæc verba, ſe commendavit DEO, & animam Creatori ſuo reddidit. Omitto alios. *Æternus & miſericors DEUS*, inqvit B. D. Nicol. Selneccerus, cujus Theologi memoriam multa cum caritate uſurpo, part. III. Explicationis Euangelior. & Epiſtolar. Dominical. p. m. 304. ſ. edit. Jenenſ. CIↃ IↃ XCIII. in 8t. *nobis omnibus & ſingulis donet Spiritum ſuum ſanctum, ut horum verborum* (*qvæ concionantur* I. *De Deo, qvis & qvalis ſit.* II. *De mundo, & miſeria ejus.* III. *De Dei dilectione erga nos peſſimos.* IIII. *De filii Dei exinanitione. V. De fide & juſtificatione hominis coram Deo. VI. De ſumma conſolatione & Victoria. VII. De univerſali promiſſione. VIII. De vita æterna. IX. De antitheſi omnium, qvi non credunt*) *ut horum inqvam verborum nunqvàm obliviſcamur, ſed aureis literis ea animo & cordi noſtro inſculpamus, & illorum conſideratione, fiduciâ, & exhibitione, tanqvàm literis honorariis & ſacris, ac*

ceu diplomate Omnipotentis Dei, ſcriptô ſangvine Filii Dei, veniamus ad portas cæli, pulſemus & clamemus, SIC, ut nobis aperiatur, & intromittamur ad æternam lætitiam & ſalutem, per & propter Jeſum Chriſtum, Creatorem, Redemtorem & Fratrem noſtrum omnipotentem, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit laus, honos, gratia, gloria in æternum, Amen. Idem ibid. in p. 288. ſ. *hoc omnium pretioſiſſimum, omniſqve doctrinæ & conſolationis vivæ pleniſſimum Euangelium* vocat. Et p. 290. princip. *Proponemus nobis textum*, inqvit, *qvem tamen nulla creatura in hac vita pro dignitate poteſt explicare, & vim verborum & res ipſas diſcemus in æterna vita integrè, mirabimur, prædicabimus, & pro tantis donis gratias agemus in æternum. Nunc ut pueri balbutimus & ſumus alphabetarii, & tres literulas SIC diſcimus qvotidie uſqve ad mortem.* Joann. Badenius, Theologus Vordenſis, in Contextu ſeu Continuatione Euangelior. Dominical. Fer. II. Pentecoſt. dicit, *hoc Euangelium proponere nobis pulcherrimam conſolationem, & continere præcipuum dictum Novi Teſtamenti, primum & ſecundum Articulum noſtræ fidei, imò totam doctrinam à Chriſto in Novo Inſtrumento propoſitam breviſſimè complectens.* Auctore Henricô Wideburgiô, Mathematicarum Diſciplinarum Gieſſæ qvondam Profeſſore Ordinariô, in Diſputat. Theolog. I. (qvam miror non reperiri in Tomis Gieſ-

Giſſenſium Diſpp.) de v. 16. c. III. Johannis, ſub præſidio B. Balthaſaris Mentzeri, cujus ſemper in Religione noſtra vivet auctoritas, Giſſæ annô M. DC. XVI. habita §. I. ſ. *Colloqvium illud inter Chriſtum Salvatorem & Nicodemum Phariſæorum Principem noctu habitum, vel ob id cuivis Chriſtiano homini gratum eſſe debet, qvòd veluti ſumma ſit ejus Doctrinæ, qvam ipſe* primâ *ſui Miniſterii* Paſchâ *Hieroſolymis, unde Euangelium exire debebat, publicè propoſuit. Verùm accedit & hoc, qvòd, uti qvæſtio erat Nicodemo de Via ad Regnum Dei & Vitam, ita Chriſtus Via & Veritas, & Vita,* Joan. XIV. 6. *totius Trinitatis voluntatem & Decretum de noſtra ſalute breviſſimè & clariſſimè complectitur. Imò totam qvoqve Sacroſanctam Trinitatem ad noſtram ſalutem, & ut vitam, à qva caro & mundus propter peccatum alienatus eſt, hereditemus, ſeſe gratioſiſſimè inclinantem & operantem introducit. Introducit enim* Patrem *generis humani in peccatum prolapſi miſerentem, eiqve ex mera eáqve immenſa gratia & miſericordia filium ſuum Unigenitum donantem:* Filium *propter nos & noſtram ſalutem de cælo deſcendentem, legi & maledictioni pro nobis ſe ſubjicientem, exaltatione ſpontaneâ, & oblatione ſanctâ in ara crucis maledictionem tollentem, juſtitiam & vitam acqvirentem, ut omnis, qvi credit in ipſum non maneat ſub ira,*

ſed habeat vitam æternam; & deniqve in cœlum aſcendentem, ejúſqve poſſeſſionem ac hereditatem recuperantem: Spiritum S. *per Miniſterium verbi & Sacramentorum fide excitatâ beneficia regenerationis, juſtificationis, Adoptionis, & Renovationis à filio parta diſtribuentem & applicantem. Qvid hâc patefactione poſſit eſſe conſolationum firmamentis plenius?* Reſtat III. Epiſtolæ ad Romanos caput, tantô pretioſius, qvantô clariùs maximi illud momenti Chriſtianæ fidei caput de Juſtificatione noſtra coram DEO exponit. *Jacente enim articulô juſtificationis, jacent omnia*, Lutherô docente, Tomô IV. Jen. Latin. p. 10. b. Ceterùm in 24 & 25. commatibus omnes juſtificationis noſtræ tam apertè proponuntur cauſſæ, ut nemo non eas facilè capere & adſeqvi poſſit. Habetur enim ibi (1) cauſſa efficiens principalis, Gratia, h. e. miſericordia & dilectio DEI gratìs nos juſtificans; Hunc enim fontem juſtificationis noſtræ oſtendit Apoſtolus appellatione GRATIÆ DEI, qvam intelligit non ſecundum Monachorum figmenta, juſtitiam habitualem, & actualem, vel infuſam animæ qvalitatem, vel donum Dei nobis inhærens, ſed Miſericordiam Dei *Eph.* II. 4. *Tit.* III. 5. I. *Pet.* I. 3. Dilectionem, ſeu Charitatem *Joh.* III. 16. *Roman.* V. 8. *Epheſ.* II. 4. I. *Johan.* IV, 9. 10. Opponit enim Apoſtolus

in

in juſtificationis negotio gratiam è diametro legi, legis operibus, merito, debito, *Roman.* III. 20. IV. 5. XI. 6. *Galat.* II. 16. III. II. *Epheſ.* II. 8. *Tit.* II. 15. Et hæc cauſſa eſt, qvòd Apoſtolus adjungat particulam GRATIS, qvæ eſt declarativa, oſtendítqve peccata nobis gratuitò remitti, hoc eſt, nihil eſſe in nobis, propter qvod peccata remittantur. Piè dicit Ambroſius, vel qviſqvis eſt, ſuper locum hunc commentans, c. IX. *Juſtificati ſunt gratìs, qvia nihil operantes, neqve vicem reddentes ſolâ fide juſtificati ſunt donô Dei.* (2) Cauſſa meritoria unica, Chriſtus ſcil. cum tota ſua obedientia, qvi nobis propitiatorium propoſitus eſt à DEO. Cùm enim DEUS ſic ſit miſericors, ut ſimul ſit juſtus, adeóqve ipſa juſtitia, cùm non amet, ſed deteſtetur peccata Pſ. v. 5. & qvidem juxta comminationem Gen. II. 17. & ſententiam Legis Deuter XXVII. 27. Gal. III. 10. ideò fundatur Dilectio Dei interceſſione, obedientiâ, & ſatisfactione Chriſti: Diligit nos Deus ſed in dilecto. Docet id Apoſtolus in prænominato illo dicto tribus vocabulis, ut ſunt: *Redemptio, Propitiatio, Sangvis Chriſti.* Nomine *Redemtionis* docet, à poteſtate Satanæ, ſub qva propter peccatum tenebamur captivi, nos eſſe per Chriſtum liberatos. Appellatione *propitiationis* remittit nos ad ſacrificia propitiatoria Vet. Teſt. qvibus Chri-

ſti ſacrificium verè propitiatorium fuit adumbratum, *Hebr.* IX. 10. Voce *ſangvinis Chriſti* intelligit Apoſtolus totam Chriſti obedientiam propter nos, & noſtram ſalutem divinæ legi à nobis violatæ, præſtitam uſqve ad mortem crucis, *Phil.* II. 8. Itáqve juſtificamur qvidem Dei gratiâ, at per redemptionem Jeſu Chriſti: Remittuntur nobis peccata, at in ſangvine Chriſti: Deus juſtus placatur, ipſi reconciliamur; at ſacrificiô verè propitiatoriô Chriſti. Docet nimirum Apoſtolus Chriſtum effuſione ſangvinis ſui & morte pretioſiſſimâ ſatisfeciſſe judicio DEI, atqve idcirco propitiationi locum eſſe, unde meritò propitiatorium dicitur in Euangelio propoſitum, qvia per ipſum ſacrificium ἱλαστικὸν pro peccatis noſtris præſtitum eſt, qvô ſolô & unô cæleſtis Pater placatur. (3) Cauſſa media reſpectu noſtri latet in verbis *per fidem in ſangvine ejus.* Fides enim, qvæ ſangvini Chriſti tanqvàm ſalutis noſtræ fundamento innititur fiducialiter, ut cum Ambroſio ad lapſam Virginem, c. III. dicam, ínqve ipſo defixa eſt, medium illud eſt, ſive manus, qvâ Chriſtum toto cum ſuo merito adprehendimus nobíſqve tanqvàm proprium adplicamus. Scilicet non prodeſt nobis ſervator, niſi adprehenſus; qvomodò verò adprehendere debeamus docet in adlatis Apoſtolus, *per fidem* nempe; non niſi per fidem

Gal.

Gal. II. 6. fide abſqve opperibus; fide, qvæ eſt erga Chriſtum Act. XXVI. 18. fide recipiente Chriſtum Joh. I. 12. Inde & fide juſtificati dicuntur accepiſſe juſtitiam, qvæ eſt è fide Rom. IX. 30. Auctore B. Joh. Winckelmannô, Tom. III. Diſpp. Giſſenſ. n. XIV. §. 18. p. m. 408. edit. Gieſſ. M. DC. XII. in 8t. (4) Cauſſa formalis notatur in verbis illis, *qvem propoſuit propitiatorium per fidem in ſangvine ejus.* Ita enim nobis propoſitus eſt Chriſtus propitiatorium, ut per fidem apprehendatur ac noſter fiat, qvod fit innitendo ipſius ſangvini. Formalis igitur cauſſa eſt ipſa Chriſti propitiatorii apprehenſio, vel juſtitiæ Chriſti per fidem imputatio. (5.) Additur cauſſa finalis ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem peccatorum, hoc eſt, qvòd Deus propter remiſſionem peccatorum noſtrorum juſtus demonſtratur, interveniente ſcilicet ſatisfactione Chriſti. Eâ ratione enim DEUS juſtus declaratur, ut qvi hominem in gratiam non recipit, nec peccata ei remittit, niſi effuſione ſangvinis Chriſti juſtitiæ divinæ ſit ſatisfactum. Hâc ſententiâ excludit Paulus operum merita è circulo juſtificationis, in principio, medio & fine, ut ſolus Chriſtus ſit α & ω, noſtræ juſtitiæ & ſalutis. Qvod demonſtrat exemplô Abrahami, qvi cùm eſſet in medio curſu bonorum operum,

non tamen illis coram Deo juſtificatus eſt, ſed fide ſine operibus, teſte ſcripturâ: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Confer eumdem Winckelmannum, Tom. v. Diſpp. Marpurgenſ. n. IX. §. IV. p. m. 79. ſ. edit. Marpurg. M. DC. XXVIII. in 8t. & Andr. Hyperium in Topic. Theolog. p. m. 100. ſ. edit Baſil. M. D. LXXIII. in 8t. & part. II. Opuſcul. n. X. p. m. 712. ſ. edit Baſil. 1580. in 8t. Habes delicias noſtras, qvas è Scriptura ſacra capere ſoliti ſumus, mi Lector. Eadem fortè mens, ſi ſaltem tertium Geneſis caput reſpexeris, idem animus fuit B. Martino Caſelio Bergvicenſi, Ducatus Altenburgici Superintendenti qvondam Generali, ibidémqve Concionatori Aulico & Conſiſtorii Ducalis Adſeſſori, cujus memoriam renovavit M. Henning. Witte, Decad. IX. n. V. p. m. 1194. qvamobrem & peculiari qvâdam, qvam *auream* vocat B. Bertramus in Matthæo Enucleato, p. m. 291. Diſputatione ſub moderamine ſolidiſſimi judicii Theologi B. Hülſemanni ipſi egregiè id interpretari adlubuit; non ſine doctorum ſuffragio, qvi jamdudum, illam ut denuò curarem, egerunt mecum. Præpoſuimus huic, ut contraria juxta ſe poſita magìs eluceſcerent, Diſſertationem B. Joh. Meiſneri, DEI primis in hominibus imaginem, capitali profuſam illorum tranſgreſſione, expli-

plicantem. Seqvitur B. Dn. D. Calovii, cujus viri ſancta mihi Germano ac Lutherano debet eſſe memoria, Diſputatio de Fide veterum & in primis Fidelium mundi antediluviani in Chriſtum verum Deum & hominem ejúſqve meritum, è qva vel ſola, qvantus, qvámqve profundæ fuerit eruditionis Theologus parebit. Non ignoro ipſum à diſſentientibus contemni, at enim & hoc didici, optima ac veriſſima placere pauciſſimis Non multum abludit ab hac, Theologi naturâ peracuti & prudentis B. Joſuæ Arndii Diatriba de Myſterio Trinitatis è ſcriptis Rabbinorum veterum Wittebergæ annô CIↃ IↃC L. in 4to publicata, qvam, etſi brevem, utilem tamen & ſolidam reperies; ſicuti jucundas admodùm B. Ægid. Strauchii Diſputationes Hiſtoricas de Columnis Sethianis, & de Bethlehem ſeu Patria Meſſiæ, uti & de rebus in Civitate & regione Bethlehemitica geſtis. Nec deterior eſt ejuſdem Strauchii, vel, ſi mavis, Nicol. Petræi Diſſertatio, Vitam Petri deſcribens. Obiter moneo, Clementem, antiqvum qvidem, ſed tamen non genuinum vitæ Petri Scriptorem habendum, cum Barthio, lib. ult. Adverſarior. c. x. col. 2966. Subjunximus non indoctam eruditiſſimi Dn. Conr. Oldii Diſſertationem Philologicam de Domicilio, victu & amictu Joannis. Poſteriores duas has Fa-

ſcem

ſcem ad ſuperiorem pertinentes IV. ei & inſeruiſſemus, niſi magnitudo prohibuiſſet Voluminis. Adjunxi conſtantiſſimi optima ſemper in cauſſa Theologi B. Cœleſtini Miſlentæ Diſſertationem priorem, defectus, ſi qvidem unqvàm edita, poſteriori, in Luc. I. 35. unà cum ejuſdem Doctoris erudito Programmate Certamina & errores de ſancto Spiritu recenſente ac refutante. Hôc Te, MI LECTOR, in præſentia Catone contentum eſſe, valeréqve jubeo. Scripſi Lugduni Batav. A. D. IIII. Id. April. ꝏ IↃCC.

I.

ORTHODOXIAM PRÆSENTEM
De
PROTOPLASTIS AD IMAGINEM DEI CREATIS, Ex Gen. 1. 26. 27. ſ.

Adverſantium non paucorum heterodoxiæ oppoſitam,

PRÆSIDE VIRO

Admodùm Reverendô, Ampliſſimô, Excellentiſſimô,

DN. JOHANNE MEISNERO,
SS. Theol. Doctore ejúsqve Prof. Publ. celeberrimô, Conſiſt. Eccleſ. Adſeſſore & Templi ad Arcem Præpoſitô graviſſimô, nec non Venerandô Facultatis ſuæ Seniore,
Dn. Præceptore & Patronô ſuô ætatèm obſervando.

In Illuſtri ad Albim Academia ad d. 7. April. 1657.

In Auditorio Theologorum Majori publicè tuebitur

M. JOHANNES WERGER,
Lübecenſis.

Θεȣ̃ ἵλεω ὄντος.

PROOEMIUM.

ITa naturâ comparatum eſt, ut, qvò gravioribus animus humanus prematur ærumnis, eò citiùs & ſæpiùs cogitet de priſtini ſtatus felicitate: Tunc enim ſua intelligit bona, cùm, qvæ in poteſtate habuit, ea amiſerit. Qvi cum morbo aut periculo graviſſimo conflictatur, priſtinas corporis vires & fortunam ſubinde in mentem revocat, præſentémqve ſortem calidiſſimis deflet lacrymis. Qvi in ſervitutem abducitur turpiſſimam, votis & ſuſpiriis infinitis libertatem exoptat. Nos qvoqve, qvi per ſpontaneum & temerarium primorum parentum lapſum, fœdiſſimâ proh dolor peccatorum labe contaminati in omne miſeriarum genus præcipitati ſumus, mentem iterum atqve iterum retroflectimus ad feliciſſimam Adami primi conditionem, eóqve magis, qvò plus primæva dignitas præponderavit ſubſeqventi ærumnæ. Et ſanè qvis non communes hos humanarum gentium ſatores, innocentes adhuc bonis omnibus cumulatiſſimè fruitos fuiſſe affirmaret? Imagine Deo ſimillimâ ornati erant, qvæ in eo potiſſimùm ſita erat, ut Prototypum referrent, non ſecundum omnimodam ἰσότητα ſecundum tamen excel-

cellentes animi virtutes: qvanti qvanti erant, nil niſi ſanctitas, juſtitia, ſapientia, exactiſſimâ rerum divinarum & humanarum pollebant ſcientiâ, nulla aderat appetitus rebellio, ſed ſvaviſſimâ & jucundiſſimâ harmoniâ ſingula in ipſis conſpirabant, morbus omnis exulabat, mortis deniqve imperium non erat metuendum. Zeuxem artem pictoriam ita calluiſſe ferunt, ut uvas tàm mirô artificiô pinxerit: ut aviculæ advolantes auferre iſtas voluerint. Apelles tantâ arte eqvum ſimulavit, ut eqvi prætereuntes adhinniverint. Rectiùs multò effigies ipſius Dei in primis parentibus ab æterno Numine erat expreſſa, בצלם אלהים ברא אתו *Gen. 1. 27. Ad has inſignes animi virtutes accedebat Imperium, qvòd in omnia omnino animantia longè latéqve ipſis conceſſum erat, leo hodie truculentiſſimus ipſos non lædebat,* התנינם הגדלים *non metuebant, omnia ad nutum ſerviebant. In domicilium deniqve, ſingulari eorum excellentiâ non indignum introducebantur, qvod & Alcinoi, ipſius etiam Semiramidis hortum infinitis poſt ſe relinqvit paraſangis: bonorum omnium affluentiſſima aderat abundantia & abundantiſſima affluentia,* flumina ibi lactis, & flumina nectaris ibant, flaváqve de viridi ſtillabant ilice mella. O *felicitatem admirandam, qvam verbis vix ac ne vix qvidem conſeqvi licet! Silentii peplo non obtegendum hôc locô eſſe cenſeo, qvod Gen. 11. 8. hominis habitaculum vocetur hortus in Eden, qvod per hortum voluptatis vulgata expreſſit, eò forſan, qvòd literarum poſitus græco vocabulo* ἡδονὴ, *voluptas, reſpondeat, cùm tamen evidentia verborum, qvæ in textu occurrunt, totum negotium ſatis ſupérqve perſpicuum reddat: Fuiſſe enim* Eden *peculiarem aliqvam terram ſive regionem, & qvidem maximè diſtinctam ab ipſo horto,* ὀφθαλμοφανερῶς *pateſcit ex v. 8. collato cum* 10. *Primò námqve hortum amœniſſimum benigniſſimus terræ creator plantavit in*

Eden v. 8. בעדן ubi præpoſitio ב eum in finem addita eſt, ut certam terram & certam regionem demonſtret, in qva paradiſus fuerit collocatus. Sicut jam prædium aliqvod, ſive pratum jucundiſſimum, qvod vel in Saxonica vel Miſnica terra ſitum eſt, diſcernitur à terra ambiente: eôdem modò Adamiticum domicilium à regione Edenica *manebat diſtinctum. Deinde v.* 10. *fluvius dicitur fuiſſe egreſſus ab* Eden *ad irrigandum hortum, qvi in horto diviſus rurſus fuit in qvatuor aqvarum capita, ubi egreſſio fluvii terræ* Eden *aſſignatur, diviſio verò ipſi paradiſo adſcribitur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. De hac primorum parentum felicitate maxima, qvæqve circa hoc negotium perſtringenda veniunt, pluribus agendum erit. Cùm autem absqve divino auxilio proſperis rerum ſucceſſibus non utamur, devotis benigniſſimum Numen invocamus ſuſpiriis, ut gratiam ſuam in hac ardua atqve difficili materia largiſſimè cælitus nobis concedere dignetur.*

SUBJE-

SUBJECTUM.

THES. I.

UTrumqve ſexum conſtituunt Adam & Eva, qvorum alter ex terrena maſſa, altera ex coſta Adamitica eſt creata. Ὀνοματολογίαν † qvod ſpectat, vox אדם ipſam hominis originem infert, nempe terram ruſtam, agnoſcit enim radicem אדם rubuit, ad qvos natales ipſe mundi creator reſpexit Gen. III. 19. qvando definitivâ & decretoriâ ſententiâ futurum Adami ſtatum prænunciat his verbis. *In pulverem reverteris* כי עפר אתה ואל עפר Varias autem admittit vocula hæc ſignificationes: *Primò* enim primum mundi incolam, Adamum, tantùm indigitat, & ſic eſt nomen proprium primi parentis, qvemadmodùm aliqvoties in hiſtoria creationis ita uſurpata legitur, Gen. II. &c. *Secundò* utrumqve includit ſexum, & marem & feminam. Cùm enim femina æqvè ex terra pulverulenta, utut ἐμμέσως, ac mas ſit creata, & eamdem cum viro agnoſcat eſſentiam, humanam ſcilicet, jure optimô hoc qvoqve ſibi nomen vendicare poteſt, ſicuti etiam in plurimis Scripturæ locis de femina uſur-

† De Ὀνοματολογία & ὁμονυμίας vocabuli *Adam* perſpicuè & utiliter agit B. D. Chriſtian. Matthiæ in Hiſtoria Patriarchar. p. m. 22. ſ.

ſurpata hæc vox legitur Gen. I. 25. 26. Num. XXXI. 35. *Tertiò* urbem denotat, qvæ ad latus Zarthan jacet, qvæ, qvamvìs nomine hôc propriô in verſione expreſſa non ſit, Hebræus tamen contextus illam אדם adpellat Joſ. III. 16. *Qvartò diſtributivè* etiam ſumitur, ut qvemcumqve, qvi ab Adamo ortum ducit, complectatur Lev. I. 2. *Qvintò & ultimò* Redemptorem generis humani deſignat, ubi tamen, qvia opponitur Adamo primo, determinatio qvædam ſemper adjicitur: Sic I. Cor. XV. 49. ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος adpellatur, & qvidem duplicem potiſſimùm ob cauſſam, qvia non tantum qvemadmodùm totam gentem humanam Adamus primus in præſentiſſimum exitium adduxit, illam morte ſuâ à cruciatibus infernalibus liberavit, verùm etiam, qvia Adamo primo innocenti adhuc, erat qvàm ſimillimus. Qvis enim negaret, Adamum hunc redivivum imaginem divinam habuiſſe? aderat ſanctitas, aderat juſtitia, aderat ſapientia, anima peccatorum lue non erat contaminata, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν ἐστι Ebr. VII. 26. imò οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε, nihil, qvod honeſtati contrarium eſt, commiſit Luc. XXIII. 41. ne verbulum indecorum ex ſanctiſſimo protulit ore: corpus infirmitatibus peccaminoſis non erat ſubjectum, qvalitatum juſta aderat proportio & harmonia, neqve ut mortis ictibus occumberet, neceſſum erat, niſi ex liberrima voluntate & ardentiſſimo erga genus humanum amore eam ſubire voluiſſet. De qvo Adamo jam præſens noſter ſermo ſit, ex hactenus dictis ultrò pateſcit.

II. Evæ nomen qvod attinet, ipſe Adamus nomen hoc maritæ indidit, rationémqve denominationis adjecit, qvia eſt mater omnium viventium Gen. III. 20. חַוָּה habetur in Hebræo textu. Qvidam Rabbinorum Jocô potiùs qvam ſeriò deducunt

à

à חוה loqvi, propterea qvòd femina ſit multiloqva & garrula. Hinc qvoqve ortum trahit jocoſum illud Rabbinorum proverbium עשרה קבין שיחה ירדו לשלם נטלו נשים *Decem cabi colloqviorum deſcenderunt in mundum, & novem iſtorum abſtulerunt mulieres:* Genuina radix eſt חיה vixit, reyixit.

III. Creatus autem eſt homo ultimô creationis die, cùm jam omnia, qvæcumqve in terra ſunt, divinâ virtute producta fuerint, ut oſtenderet partim benigniſſimus creator, omnia propter hominem eſſe creata, inqve ejus uſum cuncta debere cedere, partim ut eum tamqvàm præſtantiſſimam & nobiliſſimam omnium creaturam cum plenario in creata dominio ſiſteret. Obſervandum inſuper qvàm accuratiſſimè, Deum non eô modô, qvô reliqva animantia, hominem produxiſſe per τὸ *Fiat*, per τὸ *producant*, ſed ſingulari prorſus ratione, deliberatione priùs factâ, qvæ nobis dilucidè proponitur Gen. 1. 26. in verbulo *faciamus.* Non autem talis deliberatio hìc intelligenda eſt, qvæ ex certis rationibus & concluſionibus proficiſcitur: Cùm enim Deus ſit ipſa ſapientia, iſtis rationum principiis & ratiunculis non indiget, prout in Logicis peculiares qvæſtiones hac de controverſia formantur, ad qvas lectorem remitto; ſed eſt conſilium divinum, qvod ab æterno in mente divina conceptum, certô & ſtatutô tempore fuit manifeſtatum. Cur autem Deus conſultabundus qvaſi acceſſerit ad hominem creandum, Theologi varias, eáſqve egregias proferunt rationes. Non adducam pias pii Lutheri cogitationes ſuper hoc negotio, qvi videri poteſt *Tomô* VI. *operum in Enarrationibus in c.* I. *Gen. p. m.* 13. 14. *D. Brochmanni* rationes, qvas *tom.* I. *Syſtem. artic. de hom. primo*, profert, duas tantùm, addo. Prior eſt, ut, hôc documentô excellentia & dignitas hominis, qvâ pollebat præ re-

liqvis animantibus, evidentiùs argueretur. Videt enim qvivis facilè, momentum haud parvum addi ad magnificentiam hominis augendam, qvòd Deus, cùm reliqva omnia dicendo creâſſet, formando homini prævià deliberatione manum qvaſi admoverit. Altera eſt, ut hâc deliberatione doceret, qvantæ molis futurum erat, hominem non tam creare, qvàm creatum in ſanctitate & ſapientia conſervare, aut amiſſas divinas haſce dotes eidem reſtituere. Ab æterno námqve Deus præſcivit, hominem imaginem divinam non diu retenturum, foréqve perqvàm arduum, hominem priſtinæ congenitæ dignitati aſſerere.

IV. Verbum illud נעשה *faciamus*, pluribus diſpiciendum erit, ad qvos nempe ſermo ille divinus directus ſit., & qvínam illi conſultatores fuerint. Qvamvìs autem talis συνάφεια in contextu deprehendatur, ut mirum ſit, reperiri qvoſdam loci hujus evidentiſſimi depravatores, reperiuntur nihilô ſecius tamen Judæi, Photiniani, aliíqve qvamplures, qvi mentem Spiritus ſancti planè pervertunt, & fœdiſſimè corrumpunt. Judæi aſſeverare non erubeſcunt, Deum loqvi cum angelis, cúmqve illis conſultationem de homine creando inſtituere. Item cum terra & aliis creaturis. Sed qvid ineptius aut ſtultius fingi poſſit, non video! Ad eos enim hoc in loco fit ſermo, ad qvorum imaginem homo eſt conditus vi verborum illorum. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Homo autem ad ſimilitudinem angelicam non eſt creatus. Hinc invictiſſimum fluit argumentum. *Ad qvorum imaginem homo eſt conditus, ad illos pertinet qvoqve hæc inſtituta conſultatio & collocutio. Atqvi ad Dei imaginem homo eſt conditus. E. ad Deum (qvi trinus in perſonis eſt) pertinet &c. & p. conſ. non ad angelos.* Majoris perſpicuitas vel ex eo pateſcit, qvia pro-

pronomen poſſeſſivum *Noſtram* reſpicit verbum נעשה, eorum enim erat iſta imago, ad qvos pertinet τὸ *faciamus.* Minor probatur ex Gen. 1. 27. ubi ipſe actus creationis primorum parentum deſcribitur, in qvo verſu expreſſa ſit mentio imaginis divinæ. *Porro* de talibus contextus loqvitur, qvi potentiâ creandi pollent. Verbum enim עשה licèt in aliis ſacræ paginæ locis diſtingvatur vel maximè à verbo ברא, hic loci tamen nulla admittitur differentia ſed ſunt potiùs ἰσοδυναμοῦντα. Angeli autem ne γρῦ ne μῦ qvidem creare poſſunt, cùm creatio ſic actio potentiæ divinæ. Hinc infallibile tale ratiocinium. *Qvicunqve potentiâ creandi deſtituuntur, ad illos non pertinet facta de homine creando deliberatio. Atqvi Angeli potentiâ creandi deſtituuntur.* E. Majoris vis in eo ſita eſt, qvia illi ipſi, qvi conſultârunt, poſteà creârunt marem & feminam, v. 27. Minor probamine non indiget, cùm hoc cuilibet ex pneumatica doctrina ſatis ſuperqve notum ſit. De terra qvod afferunt Judæi, vel ipsâ recenſione refutatur. Non enim ad terræ imaginem factus eſt homo, ſed ſumus facti, ut Lutherus inqvit, ad illorum factorum imaginem, qvi dicunt, *Faciamus.* Tandem nimis puerile & extremè ridiculum eſt Judæorum commentum, Deum morem in aulis Regum Principúmqve receptum fuiſſe ſecutum, qvi in plurali ſæpius de ſe loqvuntur in edictis promulgandis, verbi c. Nos Dei gratiâ. Sed hunc civilem atqve aulicum loqvendi modum neſcit ſcriptura, neqve ſtylus in aulis principum uſitatus eſt norma & Cynoſura, ad qvam dirigi debeat ſermo Sp. S. Accedit, qvòd civilis iſta loqvendi forma uſum non obtineat in lingva Hebræa, utut in Germanica & aliis uſitata reperiatur. Hoc non diffiteor, aliqvando vocem אלהים cum verbo plurali, ſed in tertia perſona legi, ut

Gen. xx. 13. *Evenit autem, qvando errare me fecerunt Elohim de domo Patris mei*: verùm talis locutio exulat in aulis. Non enim, qvando hodierni Imperatoris ſummam poteſtatem deſcribere volo, dico: Hodierni Imperatores maximâ pollent poteſtate, ſed Imperator pollet. Nervosè ſatis atqve ſubtiliter negotium hoc perſtrinxit *D. Jacob. Mart. p. m.* 1. *de Trib. Eloh. c.* VII. *p. mihi* 83. 84.

V. Noſtram de hac re ſententiam breviſſimis exponemus, qvos conſultatio de homine creando facta reſpiciat. Scilicet Deus, qvi eſt eſſentiâ unus, trinus in perſonis deliberavit qvaſi ſecum de homine ad imaginem ſui faciendo, qvod ex textu Moſaico qvàm planiſſimum, imò ipſo ſole fulgentius reddi poteſt. Cùm enim Spiritus Sanctus rotundâ oratione tradat, hominem ad nullius, qvàm ad Dei imaginem eſſe conditum, conſeqventia inde deducitur firmiſſima, Deum ſeipſum adloqvi, vel perſonas SS. Trinitatis, qvæ æqvali prorſus ratione concurrerunt ad creationem mundi. Hinc non tantùm expreſſa trium perſonarum in opere creationis injicitur mentio in hiſtoria Moſaica ſtatim Gen. 1. in ipſis primordiis, ubi per τὸ *Dixit* verbum ὑποϛατικὸν, per ſpiritum Dei ſpiritus ſanctus indigitatur, ſed etiam in pluribus ſcripturæ dictis toti SS. Trinitati actio hæc divina adſcribitur Pſal. XXXIII. 6. Job. XXVI. 13. c. XXXIII. 4. & alibi. Elucet itaqve ex verbis iſtis: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, cùm perſonarum Trinitas, tùm qvoqve eſſentiæ divinæ unitas. Cùm enim anteà trium perſonarum mentio fuerit facta, qvæ poſtmodùm hanc de homine deliberationem inſtituerunt, ultrò ſeqvitur, per τὸ *faciamus* diſtinctas illas tres divinitatis perſonas indigitari. Unitatem autem eſſentiæ probat pronomen poſſeſſivum *noſtram*, ſicut etiam hæc eſſentiæ divinæ unitas

tas v. 27. exprimitur per עָשָׂה *fecit*, in ſingulari numero poſitum. Probè hoc obſervavit Lutherus contra Turcas & Judæos, qvos, hunc fidei articulum ſtrenuè impugnantes, refutavit ex hoc ipſo loco, prout videre eſt *in Comment. ſup. 1. c. Gen. p. m.* 14.

VI. Ut autem propiùs ad rem accedamus ipſa Adami productio Gen. II. 7. conſideranda erit. Qvemadmodùm autem Adamus duabus conſtat partibus eſſentialibus, corpore & animâ, ita harum qvoqve formatio juxta ſcripturæ tenorem & ductum brevibus attingenda erit. Includit autem hæc corporis Adamitici miraculoſa efformatio potiſſimùm duo, materiam nempe, & ipſum efformationis modum; Materia fuit terra, pulvis. Non enim eô modô, qvô poſteri Adamitici producuntur, productus fuit primus homo, ſed diſertè tradit Moſes, Deum formâſſe hominem עפר מן ארמה, pulverem è terra. Ubi ſilentiô prætereundum non eſt, qvid diſputent Doctores Rabbinici de diſtincta vocabulorum ſignificatione & uſurpatione, עפר & ארמה. Exiſtimant enim, voce עפר inferri pulverem minutiſſimum, qvi, ventô inſurgente, facillimô negotiô diſſipatur & diſpergitur, voce autem ארמה terram craſſam qvodammodò, & humore ſubactam indigitari. Verùmenimverò, qvamvìs qvidem non perpetua ſit illa verborum differentia, cùm vox ארמה etiam pro pulvere tenui & raro uſurpetur 2. Sam. XV. 32. non adeò tamen in poſtremis habenda eſt illa vocum diſtinctio. Pulverem itaqve non nudum & arenoſum, ſed ex qvatuor elementis compoſitum hìc intelligimus, id qvod qvoqve perſpicuum eſt ex hodierna hominum reſolutione, ubi in iſta principia mortales reſolvuntur, ex qvibus conſtant. Neqve exinde metuenda erat mors vel pugna qvædam, qvippe ele-

men-

mentares illæ qvalitates ſvaviſſimâ harmoniâ conſpirabant. Qvod obſervamus contra Pontificios, qvi corpus Adamiticum eam ob cauſſam mortale fuiſſe judicant, qvòd pugnantes qvalitates in iſto locum habuerint. Sed de his uberior diſputatio inferiùs paullò erit inſtituenda, ubi de forma imaginis divinæ agendum erit.

VII. Ipſe efformationis modus corporis Adamitici expreſſus eſt verbô וייצר & formavit, radicem agnoſcit יצר formavit, finxit. Qvæ vox licèt de qvavis effectione uſurpari conſveverit in divinis librorum monumentis, verbum tamen propriè figulorum eſt, qvi ex argilla aut craſſiore terra vaſa fingere & formare ſolent. Hinc partic. Ben. יוצר figulum denotat. Sic Zach. XI. 13. legitur, ubi Jehovah Zachariam jubet abjicere triginta ἀργύρια, ut figulo tradantur. Poſſunt addi qvoqve ſeqventia loca Eſ. XLI. 25. XLIII. 1. 1. Paral. IV. 23. &c. Qvô vocabulo modus exactiſſimè exprimitur, Deum nempe more figuli glebæ terrenæ manus diviniſſimas qvaſi admoviſſe, indéqve corporis humani fabricam pulcherrimam ſingulari artificiô exſtruxiſſe. Hinc accuratiùs notanda illa ſcripturæ dicta in qvibus homines σκεύη adpellantur, qvâ voce ſemper reſpectus habetur ad hanc corporis Adamitici efformationem. Sic 2. Tim. II. 21. qvi probam agunt vitam, vocantur σκεῦος εἰς τιμὴν, ἡγιασμένον καὶ εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον. Rom. IX. 23. σκεύη ἐλέους vocantur: qvi peſſimis & depravatis vivunt moribus σκεύη ὀργῆς adpellantur v. 22.

VIII. Alteram eſſentialem Adami partem exhibet nobis Moſes eodem v. 7. c. II. qvam נשמת חיים ſpiraculum vitarum adpellat, qvod Jehovah in faciem ejus inſpiràſſe dicitur. Verba ſingula, utpote explicatu digniſſima adponenda erunt, ויפח באפיו נשמת חיים Dubium nemini eſſe poteſt, qvin per ſpiraculum vi-

vitarum anima rationalis intelligatur, tum qvia corpori communicat vitam, tum qvia etiam ob hanc ſpiraculi inſpirationem homo dicitur poſteà factus in animam viventem. Inſpiratio autem hæc facta eſt non ex intimo ore eſſentiæ divinæ: tali námqve modô Deus Pater Spiritum ſanctum intra ſuam eſſentiam divinam ab omni æternitate ſpirat cum filio, qvi inde dicitur ſpiritus oris Domini Pſ. xxxiii. 6. Spiritus oris Chriſti 2. Theſſ. ii. 8. ſpiraculum omnipotentis Job. xxxiii. 4. ſed ſpiraculum hoc Deus in tempore creavit extra ſuam eſſentiam, & inſpiravit Adamo, non corporeâ qvâdam actione pulmonum atqve oris adminiculô; qvamvìs enim hæc legantur ἀνθρωποπαθῶς, θεοπρεπῶς tamen ſunt explicanda. Sicut enim Deus ex terrea maſſa corpus Adamiticum formavit abſqve manuum auxilio: eodem modô qvoqve hæc ſpiraculi inſpiratio contigit. Inſpiratio Dei in faciem hominis eſt traditio animæ rationalis, inqvit *D. Gerhard. tom. II. de imag. Dei in hom. ante lapſum, p. m. 265.* Exiſtimant nonnulli, qvorum meditationes pias afferre placet, ſpiraculum hoc vitarum non immediatè, ſed per leniſſimum aliqvem ventum aut flatum Adamo fuiſſe à Deo collatum; adducunt rationes duas, tum qvia ipſe Chriſtus in die pentecoſtali Spiritum ſanctum diſcipulis per inſufflationem qvamdam dederit Joh. xx. 23. (ubi omni procul dubio hanc Adamo factam inſpirationem reſpexit,) tum qvia, qvando vel præſentiam ſuam gratioſam declarare vel miracula edere voluit, id potiſſimum factum fuerit ventô qvôdam Vide 1. Reg. xix. 12. 13. ſ. Ezech. xxxvii. 7.

IX. Ultimô locô reſtat, ut miraculoſam Evæ creationem Gen. ii. 21. 22. paucis qvoqve conſideremus. Dicitur autem Deus altum qvemdam ſoporem Adamo immiſiſſe, & apertô latere, coſtam

ſtam deſumpſiſſe, ex qva Eva ædificata fuit. Somnum hunc non fuiſſe naturalem ex verbis Moſaicis clarum eſt: Fuit enim divinitus immiſſus; Accedit qvod in Hebræo vox תרדמה habeatur, qvæ graviſſimum qvemdam ſomnum ſive potiùs ſoporem infert, qvemadmodùm vox illa legitur Gen. xv. 12. ubi talis ſopor Abrahamo divinitus immiſſus fuit, ut & 1. Sam. xxvi. 12. qvo in loco Saul profundiſſimô ſomnô cum toto comitatu obrutus fuit, ubi mox additur, ſomnum iſtum fuiſſe à Domino. Materia, ex qva Eva fuit condita, exprimitur voce צלה, qvæ coſtam & latus ſignificat, qvâ innuitur, Evam non ex nuda Adæ coſta vel oſſe, ſed oſſe carne circumdato & veſtito fuiſſe fabricatam, qvod ex ipſa Adami confeſſione qvoqve patet, qvando expergefactus Evam agnovit, his uſus verbis. Hoc eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Ex qva agnitione firmiſſimum argumentum duci poteſt, qvòd Adamus qvoqve medio iſto in ſomno lucem divinam præſentiſſimam & operoſiſſimam expertus fuerit. Alias qvæſtiones, qvæ circa hunc locum ventilari poſſent, omittimus, cùm inutiles potiſſimùm ſint, & extra divinam revelationem vagentur.

IMAGO DIVINA.

X. Admirandam Protoplaſtorum productionem hactenus vidimus, ex qva dignitas atqve excellentia eorumdem perfectiſſimè elucet. Jam ad præclaras & ſplendidas dotes acceſſum faciemus, qvibus anima erat egregiè ornata atqve inſtructa, qvæ dotes erant ipſiſſima imago DEI. Ita verba Moſaica ſonant. ויברא אלהים את האדם בצלמו בצלם אלהים ברא אתו זכר ונקוה Ubi ante omnia ipſa vocis etymologia pariter atqve diverſa ejuſdem ſignificatio evolvenda venit. Sunt, qvi imaginem dictam volunt

lunt qvaſi imitaginem ut radix ſit imitari, eò qvòd imagine conemur exprimere & imitari faciem alicujus, mores & corporis diſpoſitionem. Sunt etiam, qvi imaginem deducunt ab imaginari, qvia intellectui non tantùm aliqvid imaginatur, ſed etiam rem abſentem & longiùs remotam per ideam ſiſtit. Qvamvìs autem priorem vocis derivationem, vel potiùs alluſionem non planè in poſtremis habeamus, magìs tamen arridet poſterior, utpote qvæ propiùs accedit ad τὸ imaginari, qvàm ad τὸ imitari, ſed ſimus faciles in verbis, modò in re ipſa conveniamus.

XI. Diverſimodè uſurpatur vocabulum imaginis. Connotat enim realiſſimam convenientiam, & exactam ſubſtantiæ alicujus ſimilitudinem. Sic filius Dei dicitur εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου Col. I. 15. 2. Cor. IV. 4. qvia filius eſt character & imago Prototypo ſive Patri exactiſſimè reſpondens. In Germanis qvoqve vox Bildt non umbratilem, & ut ita dicam, ſimilitudinariam imaginem infert, qvæ externa rei alicujus ſigna tantùm exprimit, ſed ipſam qvoqve eſſentiam ſignificat. Sic dicimus, Mansbildt, Weibesbildt. Sumitur etiam imago pro rebus evanidis, & qvæ citiſſimè pereunt. Sic Pſ. XXXIX. 7. Profectò in imagine tranſit homo, id eſt, ut res non ſolidô nixa fundamentô, ut res imaginaria. Qvi plura vocis hujus ſignificata ſcire deſiderat, inveniet apud *Flac. clav. ſcript. part.* I. *p. m.* 408. 409. 410. Qvando autem hoc in loco Adamus dicitur factus ad imaginem divinam, conformitatem aliqvam extraeſſentialem & accidentariam intelligimus, juxta qvam qvodammodò prototypum Deum ipſum expreſſit, qvod notamus contra jam adductum *Flacium*, virum alioqvi multijugâ eruditione inſtructiſſimum, qvi *part.* II. *Clav. ſcript. tract.* VI. affir-

firmare non erubeſcit, imaginem Dei eſſe ipſam potiſſimùm eſſentialem formam in ſummis nobiliſſimíſqve hominis partibus, qvem refutatum vide *apud Gerh. tom.* II. *de imag. Dei p m* 311.

XII. Eadem cum imagine ſignificatione gaudent, ſimilitudo, Conformitas, Adumbratio, qvæ paſſim apud autores occurrunt, qvæqve ex ipſis verbis in textu occurentibus eruuntur: צלם enim adumbrationem infert juxta nonnullos, דמות eſt à דמה aſſimilare. Qvamvìs autem adverſarii acerrimè pugnent pro diverſiſſimo vocum harum, ſimilitudinis & imaginis, ſignificatu, neutiqvàm tamen palmam obtinent, qvin potiùs eorumdem ſocii & aſſeclæ, teſtimoniô ſcripturæ adacti hanc ſententiam improbant & impugnant. Bellarminus hoc fingit diſcrimen, ut imaginem *lib de grat. prim. hom. c.* 11. exiſtimet eſſe ipſam animam humanam, ſimilitudinem verò perfectiones & virtutes, qvæ ſuum domicilium primitus in anima habuerunt, adeò ut poſt lapſum ſimilitudo deperdita fuerit, ſalva autem & illæſa manſerit imago, imo hæreſeos notam omnibus illis adſcribit, qvi per peccatum in ſpiritualibus amiſſam & obliteratam eſſe Dei imaginem ſentiunt. *lib.* IV. *de notis Eccleſ. c.* IX. Verùm ipſe Pererius divortium hic facit à Bellarminiana opinione, & in noſtra potiùs tranſit caſtra, *lib.* IV. *in Geneſ p.* 474. ubi varia argumenta, qvæ orthodoxè ſatis concludunt, adducit. Nos dicimus, ſimilitudinem & imaginem in acceptione Grammatica & Philoſophica differre ut latius & anguſtius, ita ut omnis imago includat ſimilitudinem, non autem verſâ vice, verùm de hoc ſenſu qvæſtio præſens non eſt: in acceptione autem Theologica, & qvidem in præſenti negotio unam eamdémqve obtinent ſignificationem. Qvod probamus I. *ex decreto di-*

vi-

vino ejuſqve exſecutione. Decreverat námqve Deus hominem creare ad imaginem & ſimilitudinem ſuam Gen. I. 26. mox in exſecutione decreti tantùm imaginis fit mentio v. 27. omiſsâ voce ſimilitudinis, ex qvo firmiſſime colligitur, vocem imaginis in exſecutione poſitam complecti qvoqve ſimilitudinem 2. *ex iterum atqve iterum facta vocum harum permutatione.* Nunc enim צלם Gen. I. 27. & Gen. IX. 6. adhibetur, nunc דמות Gen. V. I. uſurpatur, & qvando in decreto divino utraqve vox conjungitur, alterutram imaginis ſcilicet Apoſtolus Paulus adhibet Col. III. 10. in qvo loco nos adhortatur de novo homine induendo, qvi ad imaginem Dei eſt conditus, & Eph. IV. 24. eamdem repetit παράινεσιν, & hominem novum adpellat eum, qvi juxta Deum creatus eſt. 3. *ex imagine Adamitica poſt lapſum, huic primævæ oppoſita.* Ubi Adam dicitur genuiſſe filium juxta imaginem & ſimilitudinem ſuam Gen. V. 3. Sicut autem nulla hic diſtinctio locum habet. Ergo nec ibi. Et ultrò patet, per imaginem non poſſe animam hominis hôc locô intelligi, qvia illa ratione eſſentiæ ſuæ ſpectata non corrupta & depravata fuit. Jam autem Moſes naturam Adami corruptam hìc indigitare vult, juxta qvam ſimilem filium genuit.

XIII. Vocabula itaqve hæc duo, *imago & ſimilitudo* nullam hoc in loco admittere differentiam affirmamus, ſed poſterius eſſe ἐξηγητικὸν prioris. Cùm enim non omnis imago examuſſim reſpondeat prototypo, vocem ſimilitudinis adjicere lubuit Moſi, ut oſtenderet, hominem ad imaginem DEO qvàm ſimillimum eſſe conditum. Et qvemadmodùm unicuiqve lingvæ ſua conſtat proprietas, ita & hìc Hebraiſmum notamus, qvando duo ſubſtantiva conjunguntur, alterum autem induit naturam adjectivi. Sic Jer. XLII. 5. Veritas & judicium:

id eſt, veriſſimum judicium. Sic Pſ. CXVI. I. Qvoniam exaudiet dominus vocem meam, ſupplicationem meam, id eſt ſupplicem vocem meam. Idem idiotismus lingvæ ſanctæ & hìc occurrit, ut imago & ſimilitudo ſit ſimillima & exactè prototypo conveniens imago. Qvemadmodùm etiam apud profanos autores & Poëtas plurima exempla reperire licet. Sic Lucanus, chalybem frenóſqve momordit, pro, frenos chalybeos. *Virg. lib.* II. *Georg.* v. 192. pateris libamus & aurô, pro aureis pateris. Accuratiſſimè hoc negotium perſtrinxit *Flacius, part.* II. *Clav. ſcript. tract.* III. *de part. Orat. p. m.* 258.

XIV. Anteqvàm ad ipſam conſiderationem imaginis divinæ nos accingamus, attingendum paucis erit, num ab imagine divina ſit excludenda prorſus mulier, cujus affirmativam ſententiam Sociniani omni conamine defendere non erubeſcunt, qvam ut ἐσχάτως ἄτοπον meritò deteſtamur, præſertim cum decreti exſecutio rectiùs nos informet & doceat. Nam cùm v. 27. Gen. I. hæc recitantur verba, Et *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, &c.* qvilibet, qvi non laborat ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας, perſpicit, vocem hominis ſumi hìc ſpecificè, pro utroqve ſexu, non autem individuificè, pro ſolo Adamo, ex eo, qvòd expreſſa mox ſubjungatur vocis *hominis* explicatio in his verbis: *maſculum & feminam creavit eos.* Verba Lutheri *in Comment. ſuper* Geneſ. c. I. apponam, utpote qvæ ſpiritu pleniſſima ſunt, dicentis: *Ideo conjungit hìc Moſes utrumqve ſexum & dicit, Deum creâſſe, maſculum & feminam, ut ſignificet, Hevam qvoqve à Deo factam fuiſſe conſortem imaginis & ſimilitudinis divinæ.* Argumentum qvoqve immotum ſuppeditant, ut alia ſiccô prætercam pede, hodiernus renovationis mulierum ſtatus,

tus, ut & promiſſio vitæ cæleſtis mulieribus facta. Si enim hodie renovatur mulier ad imaginem deperditam: ſi poſſeſſio æternæ beatitudinis ipſi promittitur, dubium nullum eſt, qvin Eva particeps facta fuerit in primæva creatione imaginis divinæ, ſicuti 1. Pet. III 7. cohæredes dicuntur gratiæ divinæ & cæleſtis mulieres. Non adeò magni momenti eſt, qvod objiciunt Sociniani, utpote locum Eph. v. 24. Ubi dominium denegatur mulieri, in qvo rationem divinæ imaginis poſitam fuiſſe colligunt. Verùm cadaver conſeqventiæ eſt, argumentari à negato dominio ad totius imaginis divinæ negationem. Accedit, qvòd dominium ipſi non planè adimatur in citato loco, ſed dominium in maritum, ut inſignem fallaciam à dicto ſecundum qvid ad dictum ſimpliciter committant Sociniani, Tùm falſiſſimum eſt, imaginem Dei propriè conſiſtere in dominio. Imago enim divina conſideratur vel πρώτως vel δευτέρως: Πρώτως, tùm conſiſtit in animæ rationalis omniúmqve ejus virium cum DEO & lege Dei conformitate, juſtitia, ſanctitate, veritate. Δευτέρως: tùm conſiſtit in dominio in reliqva animantia, qvod vi dicti Gen. 1. 27. 28. itidem mulieri conceſſum fuit. *Dominamini in piſces maris, & volucres cæli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram.* Reliqva dubia, qvæ movent adverſarii, publicæ diſqviſitioni reſervabimus.

XV. His præmiſſis, ad ipſam qvidditativam imaginis divinæ rationem ordine juſtô procedimus. Feliciùs autem in hac materia verſabimur, ſi priùs per ἄρσιν, qvid non ſit, & deinde per θέσιν, qvid ſit, demonſtraverimus. Primô itaqve locò non eſſe ſubſtantiam hominis & deinde non eſſe donum ſupernaturale, evincemus. Primum qvod attinet, plurimi acerrimè pugnârunt pro ſubſtantia, im-

primis Matthias Flacius Illyricus, qvi *part.* I. *Clav. ſcript. tract.* VI. *de pecc. Origin. p. m.* 637. ſtatuit, imaginem Dei eſſe ipſam nobiliſſimam & intimam hominis eſſentiam, qvô uno abſurdô conceſſô, non potuit non ſeqvi alterum de peccato originis, qvod in locum imaginis divinæ ſucceſſit. Neqve præcisè hic diſqvirimus, an Flacius tam abſurdè ſenſerit, ut ſcripſit, cùm alibi videatur admittere diſcrimen inter ſubſtantiam hominis & imaginem Dei: Potiùs deploramus, qvòd tantus vir tam ſpiſſum & craſſum errorem palliare conatus fuerit, uti loqvitur B. *Giſſenius in Papiſm. de Imag. Dei & Juſtitia Orig. p. m.* 597. *Primum* ſententiæ ſuæ ſtabilimentum ex eo deſumit, qvòd homo ſit formatus & factus ſecundum imaginem Dei, non tantùm eâ ſit veſtitus & ornatus, veluti accidentariô qvôdam habitu. ℞. conſeqventiæ vis debilis admodùm eſt. Concedimus, totum hominem & qvoad animam & corpus eſſe conditum ad imaginem Dei, non autem ſtatim hæc inde ſeqvela deducitur. E. Imago eſt ſubſtantia. Homo maximè eſt ſubſtantia, non autem omne id, qvod hominem reddit perfectum, ſtatim ſubſtantiæ nomine venit. Et hôc modô extra oleas vagaremur, & ſtatum controverſiæ minùs rectè attingeremus. Non enim, an homo vel totum iſtud ὑφιστάμενον ſit ſubſtantia, qværitur, ſed an imago Dei fuerit pars ſubſtantialis, Diſtingvendùm hôc locô eſt inter ſubjectum denominationis imaginis Dei, qvod fuit totus homo, & inter rationem denominantem, qvæ fuit concreatum accidens & naturale aliqvod perfectivum: non de ſubjectô, ſed de ratione ipſa hoc in loco qværimus. *Secundum* ex eo fingit, qvod natura recta ſit ipſa hominis ſubſtantia. Atqvi imago fuit natura recta. E. fuit ipſa hominis ſubſtantia. Sed ℞. Vox naturæ ab ambiguitate libe-

ran-

randa eſt. Aut enim infert ipſam hominis ſubſtantiam, & tum minorem propoſitionem ἀποτόμως negamus, & in majori committitur ταυτολογία; aut naturalem aliqvam, eámqve rectam & integram conditionem, & ſic major evadit falſiſſima.

XVI. Qvòd non fuerit ſubſtantiale aliqvod imago divina, ex eo liqvidò ſatis apparet: Fuiſſet enim vel ipſe homo ſive totum ſuppoſitum, vel altera eſſentialis hominis pars, vel alia qvædam ſubſtantia ab ὑφισταμένῳ diſtincta. Impoſſibile autem eſt, ut ipſe homo fuerit; datur enim 1. in hiſtoria Moſaica apertiſſimum diſcrimen inter id, qvod creatur ad imaginem Dei, & imaginem ipſam 2. deperditâ per lapſum imagine divinâ, totus homo periiſſet 3. peccatum originis, qvod ſucceſſit in locum imaginis divinæ amiſſæ, eſſet diverſiſſimum à primo homine, qvæ qvia φλυαρίας ſunt pleniſſima, qvilibet à tali ſententia abhorrebit. Impoſſibile qvoqve, qvòd fuerit vel anima vel corpus. Non anima, qvia manſit ſuperſtes poſt lapſum, non corpus, qvia eadem ratio locum habet. Impoſſibile demum, qvòd potuerit eſſe ſubſtantia qvædam à primo homine diverſa: ſeqveretur enim, hominem labe peccati originalis non fuiſſe infectum, ſed potiùs ſubſtantiam illam ab homine diverſam οὐσιωδῶς mutatam & converſam eſſe in peccatum originis.

XVII. Lutherum qvod attinet, in cujus autoritate præſidium ſæpius qværit Flacius, qvi nonnunqvàm imaginem Dei adpellitat connaturalem, imò ipſam hominis eſſentiam, patrocinatur ille nihil minus ſententiæ Flacianæ. Nihil enim roboris in hac ſeqvela. Qvidqvid eſt connaturale, id eſt de eſſentia hominis. Subſumi enim poſſet de qvantitate, qvæ homini certè connaturalis eſt, maximè tamen differt ab ipſa eſſentia humana,

ſubſumi poſſet, de peccato originali, qvod homini connaturale eſt, in ipſo conceptionis momento penitiſſimè ipſi naturæ conjunctum eſt, maxima adhuc tamen intercedit differentia inter illud & hominis ſubſtantiam. Et aliàs conſtat è ſchola Philoſophica, naturale, connaturale & eſſentiale differre ut latius & anguſtius. Qvando autem ipſam hominis eſſentiam illam vocat, non verba, prout jacent, ſunt accipienda, qvin potius mens autoris accuratiùs penſitanda. Scholaſtici ſtatuebant, imaginem Dei eſſe donum aliqvod ſupernaturale, extrinſecum, & leviſſimâ conjunctione ipſi naturæ adhærens. Cum his in arenam Lutherus deſcendit, demonſtraturus, non eſſe tale aliqvod leviculum ornamentum. Proinde eſſentiam non conſideravit in prædicamento ſubſtantiæ, ſed in prædicamento qvalitatis, denotavítqve eâ conditionem ſubſtantiæ, ut accuratè ſatis inqvit *B. Giſen. l. de Imag. DEI diſp.* 40. *p. m.* 600. Qvæ vocis *eſſentiæ* explicatio deprehenditur aliqvoties in Lutheri ſcriptis, præprimis in Gen III. qvando inqvit. Sicut natura & eſſentia oculi eſt videre, ita natura rationis & voluntatis in Adamo fuit, nôſſe Deum, confidere Deo, timere DEum.

XVIII. Alterum qvod attinet, oſtendemus, imaginem divinam non fuiſſe donum aliqvod ſupernaturale, ſed naturale. Ante omnia autem explicandum, qvid nos per τὸ naturale & ſupernaturale velimus intellectum. *Τὸ naturale* multifariam accipitur 1. *conſtitutivè*, pro cauſſis conſtituentibus totum 2. *conſecutivè*, pro propriis, à forma immediatè proficiſcentibus 3. *ſubjectivè* pro eo, qvod penitiſſimè naturæ inhæret 4. *perfectivè* pro eo, qvod naturam mirificè exornat & perfectam reddit 5. *tranſitivè* pro eo, qvod per ge-
ne-

nerationem ſive transplantationem propagatur in alia ſubjecta. Nos, miſſis duabus prioribus vocis hujus acceptionibus, poſterioribus tribus modis inhæremus. Arctiſſimè enim imago divina naturæ Adamiticæ inhæſit, eámqve mirum qvantum ornavit &, ſi non turpiter ſeſe Adamus dediſſet, ad omnem omnino poſteritatem fuiſſet derivata. Qvô ſenſu jam τὸ *ſupernaturale* ſit accipiendum, cuilibet liqvet, ſc. pro eo, qvod homini ſupra naturæ principia & nativas dotes ineſt, & qvod extrinſecè alicui tantùm adhæret, prout Papiſtici ordinis anteſignanus Bellarminus, aliíqve explicant, qvo in ſenſu imaginem divinam donum aliqvod ſupernaturale fuiſſe omnibus viribus & toto pectore improbamus. Neqve ſimpliciter negamus, ſupernaturale aliqvod planè locum non inveniſſe in primis parentibus: Sicut enim gratioſa inhabitatio Spiritus ſancti hodie ſupernaturaliter fit: ita & in Adamo eadem non fuit naturalis, fuit enim illa ἐνοίκησις non pars aut proprietas naturæ, ſed conditio gratiæ; ſed tantùm qværitur de dono imaginis divinæ, an illud fuerit naturale. Neqve qværitur de rectitudine, cum qva Adamus fuit creatus, an ſupernaturale donum poſſit adpellari ratione naturæ corruptæ, qvod ipsâ Lubentiâ lubentiores concedimus, ſed an fuerit donum ſupernaturale naturæ integræ.

XIX. Argumentum *primum* pro ſtabilienda noſtra ſententia deducimus *ex ipſiſſima creationis hiſtoria.* Qvando enim Moſes memorat, hominem eſſe conditum ad imaginem Deo ſimillimum, dubium nemini ſuboriri poteſt, qvin imago Dei homini integro & incorrupto fuerit naturalis. Qvod enim in Adamo fuit nativâ formationis conditione, illud certè naturale ipſi fuiſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Accedit,

dit, qvòd non peculiaris fiat mentio in hiſtoria Moſaica ejus, qvòd imago Dei tamqvàm extrinſecum donum ſuperadditum fuerit Adamiticæ naturæ. Neceſſe enim eſt, ut ſpiraculô vitarum talis deſignetur anima, qvæ inſtructa ſit præclariſſimô imaginis divinæ donô, & ſic fuit connaturale & concreatum Dei donum imago divina, aut neceſſe eſt, ut peculiaris fiat mentio communicationis imaginis divinæ, qvæ ſit ſuprà naturam integram. Sed poſterius planè non eſt revelationis divinæ. Certioribus itaqve inſiſtimus veſtigiis, prius ſi amplectamur. *Secundum* argumentum deſumimus *ex reliqviis imaginis divinæ.* Reſidua namqve eamdem cum prima imagine participant naturam, qvia ſunt partes homogeneæ, qvæ ejuſdem cum toto ſunt conditionis. Reliqviæ itaqve cùm ſint naturales, ut ex κοινῆς ἐννοίας oppidò qvàm clarum eſt, qvæ ſunt portio amiſſæ imaginis divinæ, qvas naturâ notas eſſe demonſtrat Apoſtolus, Paulus Rom. 1.19. qvando τὸ γνωστὸν θεοῦ fuiſſe ἐν αὐτοῖς, hoc eſt, ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν (Ethnicorum) diſputat c. 11. 15. neceſſitas qvoqve ipſa poſtulat, qvòd imago divina fuerit aliqvod naturale & habituale donum. Fuſiùs & nervosè certè hanc rem pertractavit *B. Meiſn. part.* 1. *Phil. Sob. ſect.* IV. *p. m.* 499 *ſ. Tertium* argumentum deſumimus *ex peccati originis natura.* Labes originalis qvalitas qvædam naturalis eſt, qvæ ab ipſo conceptionis momento altiſſimas in noſtra natura agit radices, qvæqve non prius, niſi corpore in cinerem redactô, aboletur. Hinc enim Pſaltes ſanctiſſimus graviſſimè conqveritur de eo, qvòd in peccatis mater ipſius ipſum conceperit Pſ. 51. 7. ipſéqve Apoſtolus Eph. 11. 3. nos φύσει filios iræ eſſe affirmat. Qvare ultro ſeqvitur, peccato contrariam juſtitiam originalem homini qvoqve fuiſſe naturalem.

XX. His ſeſe opponit Schola Pontificia, imprimis verò Bellarminus, qvi pro contraria ſententia adſtruenda plurima ſcripturæ dicta, rationes & teſtimonia Patrum adducit. Primô locô decretoriam ſupremi Numinis ſententiam ſiſtit, qvandò dicit. Gen. III. 19. Pulvis es & in pulverem reverteris. Qvibus verbis innui exiſtimat, hominem naturâ fragilem ad res terrenas ſponte ſuâ inclinâſſe, atqve hanc ob cauſſam rectitudinem originalem non potuiſſe eſſe naturalem, cùm hæc potiùs ſint contraria, eſſe naturâ ſuâ pulverem, & tamen juſtitiam originalem naturaliter poſſidere. Verùm Reſp. ſeqvela iſta ἀνακόλουθος eſt, & Bellarminianô cerebrô minimè digna, argumentari à corporis Adamitici origine ad negationem juſtitiæ originalis concreatæ. Eſſe enim naturâ ſuâ pulverem pertinebat ad ortum corporis Adami, juſtitia autem originalis facultatis animæ proprietas & perfectio erat. Et ſicut homini naturale fuit, pulverem eſſe, qvia corpus habebat è pulvere formatum, eâdem ratione naturalis fuit homini rectitudo intellectus & voluntatis, qvia inſpirata fuit anima imagine divinâ ornata atqve prædita. Ab hoc pulvere qvamvìs qvatuor elementa non ſint excludenda, qvæ contrariis gaudebant qvalitatibus, nulla tamen fragilitas inde metuenda, nulla humidi radicalis à calido innato abſumptio ſperanda, qvin potiùs primæ qvalitates vi qvâdam ſupernaturali amiciſſimè conſpiraverint cum ſecundis, ut concentus ibi fuerit harmonicus, & ſvaviſſima harmonia. 3. deſcribitur in verbis pœna peccati, non ergo accommodari poſſunt ad proprietatem & conditionem naturæ, qvæ in Adamo ante peccatum locum habuit. Mors per peccatum introiit in mundum, à ſtatu itaqve innocentiæ planè excludenda erit. Poſteà Pſalmum XLIX. 21. allegat cohors Pontifi-

cia. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus. Ubi hôc modô infert. Si dona primo homini collata vocantur honor, E juſtitia originalis fuit extrinſecum qvid & ſupernaturale. Verùm Reſp. Pſalmus hic prorſus non agit de conditione primi hominis feliciſſima, ſed de ſtatu poſt lapſum, & inſatiabilem Epicuræorum auri & honoris cupidinem deſcribit, rerúmqve terrenarum vanitatem longâ ſerie proponit, eorúmqve conatus & ſtudia totis viribus improbat, qvorum pectora cogit auri ſacra fames, qvod ipſum totus contextus manifeſtiſſimè oſtendit, qvi ſic habet אדם ביקר ולא יבין נמשל כבהמות נדמו. Homo in dignitate non permanſit, ſimilis factus eſt beſtiis, qvæ intereunt. Qvô ipſo innuitur, hominem qvidem terrenis affixum perſvaſiſſimum ſibi habere, perpetuò felicitatem duraturam, ſéqve ſummis ſemper affectum iri honoribus, ſed paullò poſt miſerrimè vitam claudere, & beſtiarum more interire. Et poſitô, agi hìc de ſtatu poſt lapſum, non tamen inde conſeqvitur, per gloriam & honorem ſupernaturalia bona eſſe intelligenda. Et ſi vel maximè concedatur, deſignari hìc bona ſupernaturalia, nulla tamen conſeqventia, qvòd iis ipſis rectitudo naturalis ſit ſtatim annumeranda. 3. Vocabulum honoris πολύσημον eſt, & varias admittit ſignificationes, ita ut non omnis honor ſit externus. Ex varia itaqve vocis hujus acceptione non ſtatim firmiſſimè hoc in loco colligitur ad imaginem divinam, qvòd fuerit extrinſecum donum. Vel enim ſumitur pro fundamento honoris, qvod eſt virtus, vel pro interna cordis reverentia, vel pro externo internæ reverentiæ ſigno. Parum itaqve obſtare videtur, qvin honoris vocabulum fundamentaliter hìc non capiatur, nempe pro interna concreata rectitudine & virtute & qvidem po-

tiſſi-

tiſſimum ex eo, qvod accuratè ſanè adnotavit *B. Meiſn. ἀνθρωπ. diſp.* II. *de juſtitia origin. qvæſt.* II. qvòd alii non fuerint, qvi Protoplaſtis noſtris honorem exhibuerint, vel etiam exhibere potuerint.

XXI. Ad rationem qvoqve tamqvàm ad tutiſſimum aſylum confugit Bellarminus, qvam non tàm ſvadere, qvàm perſvadere autumat, juſtitiam originalem fuiſſe ſupernaturale aliqvod donum. Hôc modô colligit 1. Si juſtitia originalis Adamo fuiſſet naturalis, pugna carnis & ſpiritus in Adamo adhuc integro locum habere non potuiſſet, qvod tamen negari nullâ veritatis ſpecie poteſt, cùm animali homini non minùs inditum ſit per naturam, ut bonum ſenſibile concupiſcat, qvàm rationali & ſpirituali, ut bona ſpiritualia affectet. Et ut mens Bellarminiana apertiùs pateſcat, de pugna & rebellione primi hominis adhuc integri, qvæ leguntur *tom.* IX. *lib. de grat. prim. hom. c.* V. qvàm fieri poteſt, pauciſſimis recenſebo, cùm plurimum videantur huc facere. Exiſtimat ille, hominem naturaliter conſtare ex carne & ſpiritu, & ideò partim cum animantibus propenſionem qvamdam habere ad bonum corporale & ſenſibile, in qvod fertur per ſenſum & adpetitum, ratione autem ſpiritus cum angelis propenſionem qvamdam habere ad bonum ſpirituale & intelligibile, in qvod fertur per intellectum & voluntatem. Ex his diverſiſſimis autem propenſionibus exiſtere in homine pugnam qvamdam, ut in benè agendo altera alteram impediat: Qvapropter Deum in ipſa creatione huic langvori naturæ humanæ remedium adhibuiſſe, & juſtitiam originalem veluti donum aliqvod ſupernaturale divinitus addidiſſe, qvó veluti frenô qvôdam bella hæc compeſcerentur. Proinde concludit, corruptionem naturæ factam eſſe non ex ali-

cujus

cujus doni naturalis carentia, neqve ex alicujus malæ qvalitatis acceſſu, ſed ex ſola doni ſupernaturalis amiſſione. Verùm reſp. ad argumentum: qvod ſicut ex rationis officina depromptum eſt, ita facillimô negotiô ſolvitur, ſecundô locô reſpondebo ad ſubjunctam Bellarmini ſententiam. Scilicet nego, pugnam carnis & ſpiritus in Adamo, integro adhuc, locum inveniſſe, qvod paullò poſt vel ad nauſeam demonſtrabo. Ratio, qvam ſubnectit nulla eſt: Qvamvìs enim Adamus per naturam concupiverit bona ſenſibilia & ſpiritualia, non tamen ſtatim ibi pugna qvædam & rebellio fingenda eſt, adpetitus potiùs ſenſitivus planè & perfectè ſubditus fuit appetitui rationali, ut neqve ratione horum adpetituum, neqve ratione objectorum, ad qvæ ferebantur, diſſenſio qvædam cogitanda ſit. In corrupta qvidem natura talis adpetituum pugna deprehenditur, ſed id fit modô accidentariô, propter ἀταξίαν & σύῤῥαξιν, ex vitio labis originalis profectam, à qva ad integram primi hominis naturam argumentari non licet. Senſiſſet qvidem Adamus inſtinctu naturæ naturalem ad edendum adpetitum, vacuô ſtomachô: hæc autem ὄρεξις non repugnat adpetitui rationali; adpetitum qvoqve ſenſiſſet ad ſpeciem humanam generatione propagandam, verùm adpetitus hic ſenſitivus jucundiſſimâ harmoniâ conveniſſet cum rationali. De qvo emphaticè *Lutherus in* 11. *c. Geneſ. p. m.* 28. qvando inqvit: *Generatio in ſtatu innocentiæ fuiſſet ſanctiſſima ſine omni furore libidinis, qvi nunc eſt, & eſſent filii nati in juſtitia*, & paullò ſuprà. *Mulier erat neceſſaria primitus ad multiplicationem, hodie poſtqvàm natura corrupta peccatô, non ſolùm ad multiplicationem neceſſaria eſt, ſed etiam ad vitæ ſocietatem qvoqve. Imò, qvod miſerabile eſt, opus eſt etiam muliere ad remedium peccati.* Qvod autem in pri-

primis hominibus in primæva integritate adhuc perſiſtentibus nulla adpetitus & rationis pugna & rebellio fuerit, probamus 1. ex Gen. 1. v. ult. Ubi omnia, qvæ creata erant, dicuntur valdè bona. Ubi non ſine cauſſa urgemus cum *B. Meiſnero* adverbium demonſtrandi הנה ecce: qvod non raro admirandam habet emphaſin, & vel attentionem excitat, vel rem ſingularem attentiùs eſſe conſiderandam innuit: urgemus qvoqve verba מאד טוב valdè bona, qvibus ſuperlativus infertur, ita ut fuerint omnia creata perfectiſſima & omnibus numeris abſolutiſſima. Ex qvibus firmiſſimè concluditur, illam inordinatam adpetituum diſpoſitionem à primis parentibus planè eſſe removendam, niſi eamdem bonam, imò optimam dicere velis. 2. à ſecundo Adamo, Chriſto θεανθρώπῳ. Cùm enim ille exactiſſimè retulerit imaginem divinam, juxta aſſertum Pontificiorum haberet inſignem iſtam carnis & ſpiritus luctam, qvæ tamen in ipſo repreſſa fuit per donum aliqvod naturæ divinitus ſuperadditum, qvod qvàm abſurdè & heterodoxè dicatur, teſtantur abundè ſatis illa ſcripturæ dicta, qvæ Chriſtum ab omni omnino peccato immunem pronunciant. Eſſe enim concupiſcentiam illam & pugnam adpetitus & rationis ἀνομίαν aliqvam & ἀταξίαν, vel ex eo conſtat, qvando Paulus, qvi renatus erat, etiam propter ejus reliqvias ταλαίπωρον ἄνθρωπον ſe proclamat Rom. VII. 24. Qvid? qvod diſertè Johannes 1 Epiſt. II. 16. eamdem inter peccata referat. Πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί. Neqve hìc valet exceptio de agone Chriſti, qvando aliqvoties intenſiſſimè petiit à Patre, ut cruciatus acerbiſſimos & dolores infernales

jam jam ſuſtinendos avertere à ſe velit, ubi exiſtimant nonnulli, pugnam qvaſi iniiſſe adpetitum ſenſitivum cum rationali. Nam reſpondemus, luctam non fuiſſe inter adpetitum & rationem, ſed potiùs humanam Chriſti naturam cum divina hoc qvaſi bellum geſſiſſe: qvia enim verus erat homo, hinc mortem naturaliter fugiebat, qvia natura potiùs ſui amat conjunctionem qvàm ſui ſolutionem. Deinde non tali morte occumbere debebat, qvâ nos poſt lapſum, ſed conjuncta erat cum præſentiſſimo divinæ iræ ſenſu, legis maledictione & doloribus infernalibus, qvam ſuſtinere non potuiſſet, niſi divina natura auxiliatrices qvaſi manus ſuppeditâſſet 3. *ab abſurdo & inconſeqventi.* Si enim Adamus cum tali virium rebellione creatus fuiſſet, ita ut ex conditione materiæ ortum traxiſſet, qvod fatetur Bellarminus, qværo, annon Deus ipſe autor hujus vitioſitatis & pravæ concupiſcentiæ ſtatueretur? Qvi enim eſt cauſſa cauſſæ, eſt etiam cauſſa cauſſati, præſertim in eſſentialiter ſubordinatis. Latibula hìc qværit factionis Jeſuiticæ Coryphæus, & iſtam rebellionem præter intentionem Dei ex materiæ conditione conſecutam fuiſſe ait. Sed Reſp. blaſphemum hoc, imò derogat hoc omnipotentiæ divinæ, ac ſi in operibus creationis qvidqvam præter intentionem Dei divinam oriri potuerit. Addit ſimile à fabro ferrario deſumptum. Sicut faber ferrarius, inqvit, qvi ex ferro gladium fabricat, non eſt cauſſa rubiginis in gladio: ſic qvoqve præter intentionem divinam illam carnis & ſpiritus rebellionem factam fuiſſe. Sed Reſpondeo, planè diverſiſſima hæc eſſe. Faber ferrarius materiam ferri præparat, & idoneam reddit ad gladium inde conficiendum; DEUS autem materiam rerum creatarum ex nihilo virtute divinâ

pro-

produxit. Et ſi poſſet faber ferrarius talem fabricare gladium, qvi à rubigine non conſumeretur, fabricaret certè, DEUM autem non potuiſſe primos parentes abſqve iſta pugna creare, extremè impium eſſet adſerere. *Secundò* colligit: ſi nulla dari alia cauſſa poteſt corruptionis in natura Adamitica, niſi remotio doni ſupernaturalis, ſeqvitur juſtitiam originalem fuiſſe donum aliqvod ſupernaturale. ℞. Dantur aliæ cauſſæ, cauſſa externa lapsûs unicè diabolus fuit Gen. III. 4. qvi eſt Draco & antiqvus ille ſerpens, qvi ſeducit totum orbem, qvi eſt pater omnis mendacii Joh. VIII. 44. qvod patet ex irrogatione pœnæ Gen. II. 15. Proxima cauſſa lapſus, & qvidem intrinſeca fuit humana voluntas, liberrimô auſu â bono ad malum declinans. Hæc integritate concreatâ hominem privârunt, elegantiſſimâmqve omnium virium harmoniam deſtruxerunt. Plura ratiocinia ex Bellarmini cerebro deprompta omitto, ut & patrum teſtimonia, qvæ in hanc rem adduxit Bellarminus, ſiccô prætereo pede, partim cùm non magni videantur eſſe momenti, partim cùm longâ ſerie & ordine in ſyſtematibus Theologicis ſint adducta, & pleniſſimè refutata. Videri autem poſſunt *B. Gerh. tom.* II. *de im. Dei c.* II. *p. m.* 285. *ſ. D. Brochm. de hom. primo, qvæſt.* II. *p. m.* 300. 301 *ſ. B. Meiſn.* ἀνθρωπ. *diſp.* II. *de juſt. Orig. qvæſt.* II. *ſ. B Giſenius, Papiſ. diſp.* XLII. *de Imag. Dei p. m.* 616. *ſ.* †

XXII. Evolvi hactenus, qvid non ſit imago Dei, ordo poſtulat, ut, qvid ſit, expediam. Difficilis autem admodùm & laborioſa res eſt, exactam ejus tradere deſcriptionem; ſimile enim nobis obtingit, qvod illis, qvi in obſcuro carcere detenti lucis præſtantiam & naturam inqvirunt. Scripturam tamen ſi conſulimus, deprehendimus,

ejus

† Adde Wendelin. lib. I. Philoſophiæ Moralis c. XV. §. 18. p. m. 175. ſ. edit. Hardervic. M. DC LIV. in 8r.

ejus formalem rationem conſiſtere in excellenti ad prototypum conformitate. Qvod ipſum ex decreto divino v. 26. ejúsqve exſecutione oppidò qvàm clarum eſt v. 27. ubi dicitur homo factus ad imaginem Deo ſimillimus. Nemo autem gerit alicujus imaginem, qvi illi non conformis ſit, & exactè eidem reſpondeat. Singula verba attentiorem merentur conſiderationem & uberiorem explicationem. Per Prototypum totam S.S. Trinitatem intelligimus. Sicut enim in conſultatione iſta, de homine condendo inſtitutâ, per verbum *faciamus* omnes tres perſonæ in divina eſſentia fuerunt indigitatæ, uti ſuperiùs contra adverſarios prolixè oſtenſum fuit, ita qvoqve in conſultationis exſecutione, qvando jam actu homo ad imaginem Dei creatur, tres illæ perſonæ intelligendæ veniunt. Accedit, qvòd ad illius imaginem homo ſit conditus, qvi creavit cælum & terram, qvíqve eſt Deus: non autem ſolus Pater excluſô filiô & Sp. S. condidit ſpatioſiſſimum hujus mundi theatrum, ſed æqvè filius & Spiritus S. operoſiſſimi fuerunt in hoc negotio, cùm non ſit verus Deus, qvi non ſit tribus perſonis diſtinctus. Per Conformitatem non intelligimus omnimodam & æqvalem prorſus convenientiam cum prototypo, ſive qvod idem eſt, ſubſtantialem aliqvam exæqvationem: hôc enim modô ſolus filius eſt ἀπαύγασμα imago Dei Col. 1. 15. Hic eſt ipſa Patris imago, homo autem ad iſtam imaginem tamqvàm ad exemplar aliqvod expreſſus eſt, ſicqve ex homine fieret Deus, qvod impium. Neqve talis conformitas hìc intelligitur, qvæ ſit per participationem alicujus naturæ univerſalis, ſicut homo & brutum conveniunt in animali: Deus enim qvia omnis omnino compoſitionis expers eſt, ideo aliqvid ſe univerſalius & ſuperius nullô modô

do agnoſcit, de qvo homo qvoqve poſſit etiam participare. Et qvamvis Swenckfeldiani ex loco Petrino 2 Pet. 1. 4. ubi dicimur fieri κοινωνοὶ θείας φύσεως, evincere omni conamine tentent, primos parentes etiam qvoad eſſentiam Deo ſimillimos fuiſſe, triumphant tamen ante palmam obtentam. Non enim ibi agitur 1. de ſtatu primorum parentum, ſed de conditione renatorum, qvod ex v. 4. ὀφθαλμοφανερῶς perſpicuum eſt: ii enim dicuntur participes fieri naturæ divinæ, qvi ſunt ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς; at illi non ſunt primævi homines, ſed renati. 2. non de eſſentiali qvadam converſione in divinam naturam hic locus eſt intelligendus, hôc namqve modô homo fieret Deus, ſed de ſpiritualibus donis ac qvalitatibus, qvas Spiritus Sanctus in cordibus regenitorum efficit, & de reſtauratione imaginis divinæ per remiſſionem peccatorum. Conſortes itaqve reddimur divinæ naturæ in Chriſto, qvando ille humanam naturam aſſumpſit in ὑπόστασιν filii Dei, ut nos in ſe ipſo participes redderet divinæ naturæ. 2. in nobismetipſis, qvando unimur Chriſto per gratioſam ejus inhabitationem Eph. III. 17. qvando Spiritus ſanctus amiſſam imaginem divinam per renaſcentiam illam ſpiritualem in nobis reſtaurat. Col. III. 10. qvando cæleſti pabulô in ſacratiſſima cæna reficimur, qvæqve κοινωνία θείας φύσεως perfectiſſimô demum modô fiet in vita beatiſſima. Sed de conformitate extraeſſentiali & accidentali hìc loci ſermo eſt, qvâ primi homines Deo ſimillimi fuerunt, ita ut attributa Dei eſſentialia ſuis virtutibus atqve perfectionibus, qvibus pulcherrimè ornati erant, qvodammodò expreſſerint. Hæc autem imaginis divinæ forma fuit partim principalis & interna cùm in principio dirigente intellectu, cui ſubjectivè inhærebat habitus ſapientiæ in ſufficientiſſima veri

cognitione, nempe Dei, ſui ipſius, & aliarum rerum, qvi perficiebat facultatem illam per conformitatem cum intellectu Dei, tum in principio operante voluntate, cui naturaliter inhærebat habitus juſtitiæ, qvi ponebat rectitudinem, removebat autem omnem ἀνομίαν & ἀταξίαν perficiebátqve facultatem volendi per conformitatem cum voluntate Dei in liberrima boni electione & adprobatione: partim minùs principalis & externa, qvæ in rebus extra hominem conſiſtebat, ſcilicet in dominio & domicilio. Ex qvibus perſpicitur luculentiſſimè, qvid per τὸ *excellens*, qvod in definitione occurrit, velimus intellectum. Scilicet hôc ipsô nos ſeqveſtramur ab Anthropomorphitis, qvi tantùm in ſtructura & lineamentis corporeis rationem imaginis divinæ collocabant, qvemadmodùm hoc annotavit Auguſtinus, l. de hæreſ. c. LXXV. Ab Arminianis, qvi eamdem qværebant tantùm in externo in creaturas dominio, ut videre eſt apud D. Hülſemann. in ſupplement brev. c. III. th. 16. A Photinianis, qvi itidem in principatu & dominio illam conſiſtere autumabant, ut habet *Oſtorodus in Inſtitut c.* XXXIII. *Catech. Racov. p.* 23. *A Socinianis*, fervidè diſputantibus, imprimis *Smalcio, diſp.* II. *contra Franz. p.* 49. 50. *ſ.* imaginem divinam non in juſtitia & ſanctitate, ſed in ſolo in reliqva animantia dominio collocandam eſſe, cùm tamen Spiritus ſancti aſſertio planè contraria ſit his Socinianorum figmentis & futilitatibus: diſtingvit enim ipſe imaginem ſtrictè & preſsè ſic dictam à dominio in creaturas: Homini enim jam formato ad ſimilitudinem divinam conceditur demum poteſtas in creaturas reliqvas Gen. 1. 26. 27. ſ.

XXIII. Subjectum hujus conformitatis totale eſt totus homo, qvi qvia duabus eſſentialibus gaudet partibus, hinc anima ſubjectum ejus primarium eſt,

eſt, corpus ſecundarium, non ſecus ac peccati ſubjectum πρῶτον eſt ipſa anima, δεύτερον verò ipſum hominis corpus. Neqve aliter res eſſe poteſt: anima enim cùm eſſentialiter ſit unita ipſi corpori, ita ut anima ſit corporata, & corpus ſit animatum, non poteſt non anima vi informationis ſuæ ſuas perfectiones & qvalitates communicare corpori. Hæ autem perfectiones, qvæ in anima Adamitica fixam qvaſi habebant ſedem, unô nomine vocantur aliàs juſtitia originalis. Ubi non intelligitur illa juſtitia, qvæ ſpecialem virtutem conſtituit, qvæqve mediocritatem ſervat in diſtributione ac communicatione rerum, qvæ Ethicæ eſt contemplationis. Neqve præcisè & tantùm intelligitur mira illa cupiditatum & affectuum cum recta ratione in adpetitu ſenſitivo harmonia & conſenſio, qvæ excellentia juſtitiæ nomine exprimi ſolet, qvod annotavit *B. Giſen. in Papiſmo, diſp.* XL. *de imag. Dei p. m.* 590. Sed totum hic intelligitur complexum, qvod omne id complectitur, in qvo conſiſtit imago Dei, ſcilicet ratione animæ, rectitudinem intellectus, voluntatis & adpetitus: ratione corporis, impaſſibilitatem & immortalitatem, cui poſtremo loco adjungitur dominium in univerſas creaturas, qvæ ſingula in primis parentibus fuiſſe, κατὰ τάξιν demonſtrabimus. *Originalis* dicitur, 1. ratione ſui, qvia in primis noſtris parentibus fuit omnium prima, 2. ratione Adami, qvia ab origine ſua ſtatim eâ decoratus fuit, 3. ratione propagationis, qvia originaliter poſteris debebat communicari.

RECTITUDO INTELLECTUS.

XXIV. Rectitudo in Adamo nihil aliud eſt, qvàm perfectiſſima qvædam Dei ſui ipſius rerúmqve aliarum notitia, qvæ primis hominibus con-

creata fuit. Aderat in mente clariſſima lux divinæ ſapientiæ, eſſentiam divinam exactiſſimè cognitam habebat, adeóqve omnes res divinas ſufficienter & perfectè intelligentiâ ſuâ conſecutus fuit. Omni procul dubiô ſui ipſius novit originem, qvòd divinâ virtute ex maſſa terrea fabricatus fuerit, novit Evæ ortum, qvamobrem in hæc prorumpit verba. Hæc eſt caro de carne mea, & os de oſſibus meis, qvod & ex nominis אישה impoſitione ſole ipſô clarius eſt. Ad hunc enim finem Adamus à Deo erat creatus, ut creatorem ſuum laudibus perpetuis celebraret, neminem autem laudibus extollere poſſumus, cujus naturam, facta & mores penitius non explorata habeamus. Sic qvando Alexandri Magni, Darii Codomanni, aliorúmqve Imperatorum heroica facinora deprædicare volumus, infeliciſſimè in laudibus eorum deſcribendis verſabimur, ſi non facta, bella geſta, aliáqve facinora perpetrata cognitiſſima haberemus. Eodem certè modô Adamus perpetuis hymnis Deum colere non potuiſſet, niſi naturam, voluntatem & beneficia ejuſdem accuratè perſpecta habuiſſet. Hinc *Auguſt. lib. de ſpiritu & anima, c.* LVII. *de beatis* inqvit, qvod & optimè huc accommodari poteſt. *Tantum laudabunt, qvantum amabunt, & tantum amabunt, qvantum cognoſcent.* Et certè aliarum rerum notitiâ ſi polluit, cur non ſuam ipſámmet naturam diligentiùs inqviſiviſſet: qvi enim multa ſciunt, ſe ipſos autem neſciunt, inſipientiſſima qvædam inſcitia eſt. Et qvi de aliarum rerum ſufficientiſſima notitia dubitaret? Animalium, ſyderum, herbarum, metallorum & qvidqvid tandem excogitari vel fingi poteſt, naturam tenuit accuratiſſimè, ut Adamum perfectiſſimum & abſolutiſſimum Phyſicum, Mathematicum, Medicum ſalutare jure meritó-

qve

qve poſſimus. De Salomone 1. Reg. III. 12. 13. memoratur, ipſum locutum fuiſſe de plantis à cedro, qvæ eſt in Libano, uſqve ad muſcum, qvi prodit è pariete, de jumentis, reptilibus, volucribus, & ſeipſum loqventem introducit Sap. VII. 17. qvòd cognoverit conſtitutionem mundi & vim elementorum, ſolſtitiorum mutationes & varietates temporum, differentias plantarum, radicúmqve facultates. At Adami ſcientia huic Salomoneæ infinitis partibus eſt anteferenda, ſicut ſtatus primi hominis feliciſſimus ſtatum hodiernum multis poſt ſe relinqvit paraſangis.

XXV. Non autem hôc ipsô primis parentibus infinitam qvamdam & nullis terminis circumſcriptam ſapientiam attribuimus, ſed potiùs finitam, certísqve limitibus incluſam. Prior enim illimitata notitia divina prorſus eſt, neqve in creaturas cadere ullo modô poteſt: poterat enim major cumulus ex informatione ipſius Dei ſcientiæ illorum in cognoſcendis divinis accedere, poterat progreſſu temporis ex obſervatione variarum viciſſitudinum incrementum eorumdem notitia capere, cùm abſolutiſſimô modô perfectam poſſidere notitiam non ſit humanitatis, ſed divinitatis. Sic ipſe Chriſtus qvoad actum naturalem multa ignoravit, ignoravit diem extremi judicii, in puerili ætate adhuc conſtitutus crevit ſapientiâ Luc. II. 52. & uberiores fecit indies progreſſus qvotidianâ rerum experientiâ, utut πᾶν πλήρωμα θεότητος σωματικῶς in ipſo habitaverit Col. II. 9. Neqve tamen hæc ignorantia in primis parentibus vitium aliqvod adpellitandum eſt, aut ex peccato ortum ſuum traxit: Tunc enim legem divinam nondum tranſgreſſi erant. Cauſsâ autem nondum in actu poſitâ, effectus nullo modô ſeqvi poterit. Ipſi angeli futurorum contingentium notitiam non habent, ignorant qvo-

qve diem univerſaliſſimi judicii, cùm tamen ita in bono ſint confirmati, ut in peccata eoſdem labi planè ſit ἀδύνατον. Chriſtus ipſe qvoad actum naturæ conſideratus, uti jam demonſtratum, qvædam neſcit, cùm tamen omnis labis ſit expers, nullóqve peccatô contaminatus. Diſtingvo itaqve inter ἄγνοιαν, qvæ eſt vel κατ' ἀπόφασιν & puræ negationis, vel κατὰ διάθεσιν, & pravæ diſpoſitionis. Illa ignorantiam ſimplicem, hæc ignorantiam cum peccaminoſa qvadam deviatione & errore conjunctam habet. Illa in ſtatu innocentiæ in primis parentibus locum habere potuit, ut & in Chriſto & angelis, hæc autem non item. Nuditatem Gen III. 10. objiciunt Photiniani, qvi ſapientiam in Adamo negant, qvam in ſeipſis non agnoverunt primi genitores ante lapſum. Sed brevibus reſpondemus; Exinde, qvòd iſtam corporis partem, qvam natura vult tectam, non obtexerint, non concludi rectè ad negandam agnitionem nuditatis. Agnoverunt maximè nuditatem, non autem cum peccaminoſo pruritu, illicitíſqve libidinum furoribus. Proin diſtingvendum inter nuditatem innocentiæ & ignominiæ. Et ſi iſta nuditatis agnitio ad ſapientiam referenda eſſet, ſeqveretur, homines poſt lapſum feliciores multò fuiſſe qvàm ante lapſum, imò ipſam à lege divina aberrationem cauſſam fuiſſe perfectioris & plenioris ſapientiæ, qvô qvid abſurdius dici poſſit, nullus video.

XXVI. Argumenta pro rectitudine intellectus Adamitici, vel pro conformitate intellectus cum Dei ſapientia multa in medium adduci poſſent, pauca tantùm addemus. *Primum* deſumi poteſt ex creatione animæ, ad imaginem Dei conditæ. Inſpiravit Deus corpori Adamitico animam rationalem, qvæ ſuas habebat facultates, intellectum & voluntatem, aderant qvoqve habituales facultatum

per-

perfectiones. In ipſa animæ eſſentia & in facultatibus ejuſdem ratio imaginis divinæ non erat poſita. Imago enim Dei non eſt collocanda in iis, qvæ poſt lapſum in homine manſerunt integra, qvia concreatum illud Dei donum amiſimus. Conditus itaqve erat homo ad ſimilitudinem Dei, qvia intellectui ejus concreatus erat ſapientiæ habitus. Sicut itaqve Deus ipſiſſima eſt ſapientia, qvâ omnia etiam profundiſſima & abſtruſiſſima qvæqve intelligit, & cognoſcit: ita & perfectio illa naturalis in homine, connatus nempe ſapientiæ habitus illud exemplar & prototypum cognitionis divinæ repræſentare qvodammodò debebat. Pleniùs hoc demonſtrat Eccleſiaſticus, c. XVII. 5. ubi de primis parentibus loqvitur, qvòd Deus diſciplinâ intellectus repleverit illos. Poſſumus id διὰ μέρους planum reddere. Sicut enim Deus, qvi ipſa eſt ſapientia, ſeipſum penitiſſimè novit, qvomodò ſeſe habeat ſacratiſſimum Trinitatis myſterium, qvomodò eſſentia divina communis ex æqvo ſit omnibus tribus perſonis, qvomodò pater generet filium, qvomodò in Filii Dei ὑπόστασιν aſſumpta fuerit humana caro, & alia, qvæ rationem noſtram mirificè excedunt. Sicut qvoqve Deus rerum naturalium exactiſſimam & omnibus numeris abſolutiſſimam habet notitiam, ita ut omnium rerum noverit ſpecies, ſpecierum formas, formarum ſingulas proprietates & admirandam efficaciam, ita qvoqve Deus ad hanc ſapientiæ ſuæ infinitæ imaginem primorum hominum ſcientiam exprimere qvodammodò voluit, ut & ſupernaturalia pro capacitate tamen intellectus finiti & humani, & naturalia callerent. Qvòd autem calluerint ſupernaturalia, fatetur ipſe Paulus Col. III. 10. his verbis. Induite novum hominem, eum, qvi renovatur εἰς ἐπίγνωσιν ſecundum imaginem e-

jus, qvi creavit eum. Oſtendit itaqve Paulus, ἐπίγνωσιν, id eſt certam de Deo notitiam rebusqve ad æternam ſalutem facientibus primos parentes poſſediſſe, & in hac imaginem divinam qvodammodò conſtitiſſe. Suum qvoqve in naturalium rerum cognitione profectum abundè teſtatum fecit Adam, tum ſingulis animalibus convenientiſſima naturæ ſuæ imponendo nomina, unde Plato in Cratylo prudentiſſimum eum judicat, qvi primus ὀνομαθεσίαν invenit, tum uxori ſuæ aptiſſimum & ortui qvàm maximè reſpondens indendo nomen Gen. II. 19. 23. *Secundum argumentum à ſtatu renovationis.* Occurrit autem potiſſimùm locus Col. III. 10. qvi clariſſimis verbis docet, in qvo notio imaginis divinæ conſtituenda veniat. Hæc ibi habentur verba, ἐνδυσάμενοι τὸν νέον, τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. Ubi renovari dicitur homo ad agnitionem juxta imaginem ejus, qvi creavit eum. Argumentor. *Ad qvod renovamur, illud per lapſum amiſimus.* Atqvi ad ἐπίγνωσιν renovamur. E. Porrò. *Qvod per lapſum amiſimus, in illo ratio imaginis divinæ conſtituenda eſt. Atqvi ἐπίγνωσιν &c.* E. qvòd autem illa ἐπίγνωσις in Adamo expreſſa fuerit ad exemplar infinitæ Dei ſapientiæ, & cum illa inſignem habuerit conformitatem, demonſtrant adpoſita verba, qvando agnitio dicitur eſſe juxta imaginem ejus, qvi creavit hominem. *Tertium ab oppoſito*, ex cujus naturæ & conditionis conſideratione rectiùs perſcrutari licet ipſam imaginis divinæ rationem. In locum concreatæ lucis & Sapientiæ ſucceſſerunt tenebræ. Inde enim Chriſtus dicitur lux in tenebris Joh. I. 8. dicimur & nos habere intellectum tenebris obſcuratum & denſiſſimæ caligini in-

involutum Eph. IV. 8. dicimur vivere in temporibus ignorantiæ Act. XVII. 30. ita, ut πᾶν νόημα noſtrum ſit captivandum ſub obſeqvium Chriſti 2. Cor. x. 5. Qvæ ſanè miſerrima mentis cæcitas & ignorantia ſatis ſupérqve declarat, imaginem concreatam in perfectiſſima rerum & naturalium & ſupernaturalium notitia fuiſſe ſitam, præſertim cùm mortales non tantùm in iſtis, qvæ ſunt ſupra ipſos, ſed & in iis, qvæ ſunt infra ipſos imbecillitatem intellectus & anguſtias mentis humanæ ingenuè fateri neceſſum habeant.

RECTITUDO VOLUNTATIS CUM DEI SANCTITATE ET LIBERTATE.

XXVII. Ad rectitudinem voluntatis in Adamo, conformem cum Dei ſanctitate & libertate tendimus. Rectitudo autem hæc voluntatis nihil aliud erat, qvàm naturalis qvædam ad bonum adpetendum inclinatio, liberrima ejuſdem electio & adprobatio, conformis cum voluntate Dei, lege ipſius expreſſa. Ad malum, qvod ſpeciem tamen boni habet, nullâ propenſione & inclinatione ferebatur, qvin potius illud ex natura averſaretur, & cane pejus & angve fugeret. Mortales qvidem poſt lapſum non qvidem ſub mali, ſed ſub ſpecie boni adpetunt ebrietatem & illicitos amorum furores, idqve ex cauſſa duplici, 1. ex judicii humani imbecillitate, errorem enim intellectus ſeqvitur error voluntatis, & voluntas velut ſubſeqva adſtat intellectui, qvi præit 2. ex ipſius voluntatis pravitate. Rectiſſimum enim qvando ſæpius eſt mentis judicium, ipſa voluntas nonnunqvàm prava fit, qvia adpetitum ſenſitivum plus juſtô ſeqvitur. Hinc adoleſcens, re jam ob meretricios amores deſperatâ apud Terentium inqvit, *ſciens, vivus vidénſqve*

pereo. Hinc Medea apud Ovidium : *video meliora, probóqve; deteriora ſeqvor.* Accuratiſſimè hoc ipſum perſtrinxit *Excellent: Dominus Sperling. in Anthropol. Phyſ. p.* 218. Non autem talis naturæ error & deviatio in primis parentibus fuit : Remotis enim & ſublatis erroris cauſſis, effectus nullatenus ſubſeqvi poteſt. Aberat judicii imbecillitas, aberat voluntatis corruptio & pravitas. Hinc defectus tales & aberrationes metuendæ non erant. Ad bonum autem ſuſcipiendum non ab externo qvodam principio cogebantur ; illa námqve coactio cum torpore qvodam & illubentia conjuncta eſt. Sed qvemadmodùm ipſe Deus eſt liberrimum agens: ita qvoqve parentes primævi ex liberrima voluntate, qvidqvid fuit acceptum Deo, præſtiterunt. Duo autem potiſſimùm continet lex divina 1. diligere Deum ex toto corde 2. diligere proximum, ſicut ſeipſum. Cùm enim agnoverint conditorem ſuum, hinc non potuit non ex agnitione illa ardentiſſima ejuſdem dilectio oriri, qvæ gratiſſimum animæ ſemper exſtitiſſet pabulum : Sicut enim Chriſtus cibum ſuum eſſe aſſerit, ut faciat voluntatem patris Joh. IV. 34. eôdem modô Adamus ſummam animi delectationem in exſeqvenda voluntate divina, ínqve amore Dei flagrantiſſimo poſuit. Neqve hic amor erga Creatorem ſuum continuiſſet ſe intra anguſta cordis pomæria, ſed cùm indiſſolubilis qvædam ſit cohæſio inter dilectionem Dei & proximi, hinc extra ad illos, qvi naſcituri erant ab illo, vel maximè prorupiſſet.

XXVIII. Non autem hôc ipſô abſolutè perfectam, divinam & infinitam, ſed ſuô genere perfectam, humanam & finitam primoribus parentibus aſſignamus voluntatem, in qva tamen nulla cum adpetitu ſenſitivo erat rebellio, ſed rectiſſimè omnia, & amiciſſimè conſpirabant, uti hoc paullo ſuprà, demonſtratum fuit. Neqve de tali ſanctitate

tate hìc nobis ſermo eſt, qvæ omnino excludat omnem etiam remotam peccandi potentiam. Qvamvis enim ſanctiſſima Adami voluntas eſſet, poterat tamen libertate voluntatis abuti, cujus abuſu poſteà factum, ut temerariô & nefandò qvôdam auſu legem divinam transgreſſus fuerit. Peccandi actum in Adamo negamus, poteſtatem omnem non excludimus. Sicut enim immortalitas Adami moriendi actum tollit, potentiam autem remotam non planè removet: eôdem modô hìc ſeſe res habet, cùm peccatum fuerit cauſſa ſubſeqventis mortis. Lapſi angeli ſanctiſſimi & liberrimi ſpiritus à Deo ſunt creati, & tamen turpiſſimè defecerunt à Conditore ſuo. Et utut humana curioſitas hìc tumultuetur, non tamen negandus eſt habitus ſanctitatis concreatæ in Adamo ex eo, qvòd morem non geſſerit mandato divino. Vide *D. Gerh. tom.* II. *de pecc. Origin. p. m.* 257. *ſ.* Qvod fingitur aliàs de ſtatu neutrali, id caret omni ſcripturæ fundamentô & probabili ratione; Qvomodò enim omnia, qvæ creata ſunt, valdè bona dici poterunt, ſi voluntas, qvæ ut facultas animæ qvoqve creata fuit, non bona exſtiterit? Contrarium hoc eſt divinæ bonitati & providentiæ. Et ſi intellectus cum habitu juſtitiæ concreatæ creatus fuerit, qvod ſufficientiſſimè, uti puto, probatum fuit, qvid obſtaret, qvô minùs voluntas habitu ſanctitatis & libertatis gauderet?

XXIX. Argumenta, probantia hanc rectitudinem voluntatis cum Dei ſanctitate & libertate, ſeqventia produco. *Primum* deſumo rurſus *ex creatione animæ ad imaginem divinam.* Cùm enim ratio imaginis divinæ non ſit qværenda in ipſa animæ ſubſtantia, qvam ſartam tectam etiam poſt lapſum retinuimus, neqve in ipſis animæ facultatibus, qvas illæſas qvoqve adhuc poſſidemus, ſed in

ejusdem

ejusdem potiùs perfectionibus & qvalitatibus, infallibiliter hoc ſeqvitur, qvòd qvia anima ad Dei imaginem eſt condita, habitus ſanctitatis ſuum habuerit domicilium in anima Adamitica, qvæ eſſentialem & perfectiſſimô modô ſic dictam Dei ſanctitatem qvodammodò retulit, qvod clariſſimis qvoqve verbis Eccleſiaſtes innuit c. VII. 30. qvando inqvit: *Solummodò hoc inveni, qvòd fecerit Deus hominem rectum.* Ubi illa intelligenda rectitudo, qvæ per lapſum deperdita & amiſſa prorſus eſt, habitus juſtitiæ & ſanctitatis. Timplerus qvidem exiſtimat, ſe inveniſſe, non qvod pueri in faba, qvando ad hunc locum diſtingvit inter rectitudinem naturalem & moralem, & hanc negat, priorem verò in primo homine concedit. Sed elumbe eſt hoc Timpleri effugium, & in fumum prorſus abit. Vel enim intelligit per rectitudinem naturalem primi hominis eſſentiam, & nudam intelligendi ac volendi δύναμιν & ſic ſcopum dicti non aſſeqvitur: Loqvitur námqve de illa rectitudine, qvæ per lapſum amiſſa prorſus eſt, illâ autem rectitudine qvilibet adhuc dum præditus eſt, neqve ſtatum controverſiæ rectè format. De hominis enim eſſentia, ejúsqve facultatibus præſens oratio non eſt: Vel habitum juſtitiæ & ſanctitatis intelligit: & ſic nos non habet adverſantes & antagoniſtas. De his vid. *B. Meiſn. Philoſ. ſob. qvæſt. phyſ. p. m.* 465. *Secundum* deſumimus *à ſtatu reſtaurationis*, qvem Apoſtolus Paulus Eph. IV. 24. his verbis deſcribit. Renovamini & induite novum hominem, qvi ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Ubi qvid clarius dici poſſit pro Adamitica ſanctitate non video. Attendenda autem eſt vox *renovamini*, ex qva argumentamur. *Ad qvod jubemur renovari, illud in Adamo locum obtinuit. Atqvi ad juſtitiam & ſancti-*

ctitatem veritatis &c. E. Porro, *Ad qvod jubemur renovari, in eo notio imaginis divinæ eſt conſtituenda. Atqvi ad juſtitiam & ſanctitatem veritatis &c. E.* Urgeo inſuper voces illas conjunctas, ſanctitatem veritatis, qvæ Hebraiſmum inferunt, ita ut poſterius ſubſtantivum adjectivi naturam induat, ut ſenſus ſit, Adamo concreatam fuiſſe veriſſimam ſanctitatem, qvæ opponitur fictæ & fucatæ multorum ſanctitati. Hinc nervosè ſatis atqve eleganter Damaſcenus, lib. II. c. XIV. Adamum adpellat ἐνάρετον καὶ ἐνηθῆ, καὶ πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, καὶ πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα. *Tertium à contrario.* Status hominis ante lapſum & poſt lapſum ſunt ſtatus contrarii, ſimilis autem ſolet eſſe contrariorum ratio. Cúm itaqve jam naſcamur peccatores & injuſti, nullúmqve in ſpiritualibus liberum arbitrium habentes, infallibilis eſt ſeqvela, Adamum fuiſſe ab omni peccatorum labe immunem, ſanctum, juſtum, liberum. Et qvod in ſpecie libertatem arbitrii attinet, vel ſolum præceptum Dei de non comedendo arboris vetitæ fructu Gen. II. 17. evidentiſſimè eam probat. Ob excellentiſſimum enim imaginis divinæ donum facillimô negotiô legem præſcriptam ſervare potuiſſet, ſi non acceſſiſſet abuſus liberi arbitrii turpiſſimus. Ex qvibus perſpicitur, ſeqventem Timpleri objectionem roboris non multum habere. Si Adamus eſt creatus ſanctus & juſtus, obtemperâſſet præcepto divino. Sed ex eventu contrarium elicitur. Reſp. debebat vi habitus ſanctitatis concreati obtemperare, qvod autem morem non geſſerit, ex abuſu libertatis factum fuit. Negamus deinde argumenti conſeqventiam, qvam inconſeqventem reddunt angeli lapſi. Qvapropter hæc differentia ſtat ſemper firmiſſima inter ſtatum primo

morum parentum & ſtatum glorificationis: in illo fuit poſſibilitas non transgrediendi legem divinam, in hoc autem futura eſt abſoluta qvædam impoſſibilitas.

RECTITUDO ADPETITUS CUM DEI CASTITATE, PURITATE.

XXX. Non erimus operoſi admodùm in explicanda hac adpetitus Adamitici rectitudine, cùm th. XII. fuſiùs doctrina hæc pertractata & ab adverſariorum corruptelis vindicata fuerit. Hoc tantùm addimus, nos per iſtam adpetitus rectitudinem non tantùm adpetitum rationalem, qvi nihil aliud eſt, qvàm ipſa voluntas, ſed ſimul adpetitum ſenſitivum intelligere. Triplicem enim aliàs dari adpetitum, notiſſimum eſt, naturalem, ſenſitivum & rationalem. Sicut enim omne illud inteſtinum odium & bellum, qvô ſe infenſiſſimi illi hoſtes ex naturali qvadam *ἀντιπαθείᾳ*, caro nempe & ſpiritus proſeqvuntur, unicè jam poſt lapſum proficiſcitur ex inimicitia illa, qvam adpetitus ſenſitivus & rationalis inter ſe alunt, ita in ſtatu innocentiæ in Adamo harmonicus adpetituum erat concentus, & ſvaviſſima harmonia, caro ſpiritui ſubjiciebatur, & amicitiam alebant conjunctiſſimam. Sceptrum & poteſtatem regiam benigniſſimus mundi creator dederat voluntati, ut imperium in adpetitum ſenſitivum haberet, hic autem velut ſubditus poſt lapſum, jugô obſeqvii excuſſô, arma ſumit adverſus principem & Regem ſuum, & ut eqvus *ἀδάμαστος, σκληραύχην καὶ θυμοειδὴς* eqvitem abjicere attentat ſubinde, hinc qværit voluptates, turpi otiô diffluit, odiô plus Vatinianô proſeqvitur veritatis ſtudium, nuncium virtuti remittit, ſusqve deqve habet intellectum & voluntatem. Neqve aliter res eſſe poterat.

erat. Qvi enim ſuperiori juſtæ negat ſubjectionis obedientiam, qvod Adamus transgrediendo divini præcepti regulam fecit, hunc non poteſt juſtior ultio ſubſeqvi, qvàm ut ſuorum ſubditorum patiatur rebellionem, ut habet Titelmannus. In Adamo autem rationis & voluntatis dicteria ſpontè & liberrimè adpetitus ſenſitivus ſeqvebatur, amabat cibum, ſed non niſi qvantum corpori utile erat, & qvantum ipſa rationis regula dictabat adpetendum, dulciſſima & jucundiſſima aderat concordia.

XXXI. Neqve hìc longam argumentorum ſeriem proponere volo, qvæ hanc adpetituum conformitatem cum Dei puritate probent, præſertim cùm controverſia hæc ſuperiùs agitata fuerit, tum etiam qvia rationes in præcedentibus theſibus adductæ & hìc locum inveniant. Duo tantùm notabo. *Primum* deſumo *ex pudoris abſentia ob nuditatem.* Erant nudi, & non erubeſcebant, dicitur Gen. II. 25. Qvod ſi inordinatus adpetituum motus adfuiſſet primis parentibus, erubuiſſent vel maximè. Exceptio illa frivola eſt, qvod abſentia pudoris ex ignorantia & puerili ſimplicitate proveniret. Noverunt certè, ſe nudos fuiſſe, ob abſentiam autem concupiſcentiæ pravæ pudore non ſuffundebantur, non ſecus ac electi in æterna beatitudine nuditatem agnoſcunt certè, nec tamen inde erubeſcunt. Hinc *Auguſt. lib.* XIV. *de Civ. Dei c.* XVII. *Nudi erant & non confundebantur, non qvod eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nuditas nondum erat: qvia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſuâ inobedientiâ caro qvodammodò teſtimonium perhibebat. Secundum ex agnitione nuditatis cum pudore conjunctâ.* Statim ut legi divinæ non obtemperârunt, vitioſos ſentiebant

bant affectus, & nuditatem turpem perſpiciebant, hinc qvia refrenandum aliqvod cernebant, illud velandum qvoqve putabant.

RECTITUDO CORPORIS CUM DEI IMMORTALITATE.

XXXII. Perfectiones animæ habituales conſideravimus hactenus, jam qvibus dotibus corpus inſtructum fuerit, & num imago Dei in illo qvoqve ſit inveſtiganda, paucis videndum erit. Scholaſtici qvidem totis propugnant viribus, imaginem Dei propriè non fuiſſe in corpore primi hominis, qvia Deus eſt incorporeus, eſſe tamen in eo, ut in ſigno, vel arguitivè & σημαντικῶς. Verùm lubens hoc ipſum concedo, imaginem divinam non eſſe in ipſa corporis materia qværendam: hæreſis namqve Anthropomorphitarum hôc modô ex orco revocaretur, in corpore autem ſignificativè tantùm imaginem Dei locum habuiſſe, in totum negamus. Sicut enim jam poſt lapſum in corpore, non ut in ſigno, adeſt peccatum, ſed propriè & verè, ita ut peccati ſubjectum qvoqve ſit corpus, ita qvoqve ſubjectum imaginis divinæ fuit Adami corpus; Qvia enim anima arctiſſimè fuit unita corpori, hinc fieri aliter non potuit, qvàm qvòd ambo illi conjunctiſſimi amici ſine ulla vinculi amoris interruptione viverent. Ex qvibus facilè colligitur, nos non de corpore abſtractè & extra unionem conſiderato hic loqvi, ſed potiùs de ambabus eſſentialibus hominis partibus conjunctim ſpectatis, qvæ formaliter nihil aliud ſunt, qvàm totum ſuppoſitum. Totum Adamum qvod attinet, fuit ille præclariſſimô immortalitatis donô præditus, qvod poſteà pluribus probatum dabo. Qvod animam concernit, fuit illa ſpiritus ab omni materia immu-

immunis, & propterea morti nullo modô poterat eſſe obnoxia: Qvod corpus: exiſtimant qvidem nonnulli, fuiſſe illud in primævo ſtatu φθαρτὸν, alii ἄφθαρτον. Nos dicimus, illam corporis conſiderationem eſſe fruſtraneam, cùm in abſtracto tali ſtatu nunqvàm Adami corpus deprehenſum fuerit, erat Adami corpus mixtum, interim qvia exactiſſimè erat temperatum, qvia animæ erat domicilium, ideò rectiſſimè totus homo immortalis dicitur & nunqvàm anima à corpore culpâ non interveniente, propter naturalem ad corpus dependentiam fuiſſet ſeparata.

XXXIII. Cùm autem vox immortalitatis multifariam ſumatur, explicandum porro, qvam hìc Adamo tribuamus. Non abſolutè ſic dictam immortalitatem intelligimus, qvâ ſolus Deus per naturam eſt immortalis 1. Tim. VI. 16. Ad hanc enim velut ad imaginem qvandam expreſſa eſt immortalitas Adamitica; neqve immortalitatem eam intelligimus, qvæ angelis & animalibus competit ob materiæ carentiam. Hanc námqve poſt lapſum etiam retinuimus, & improbiſſimorum qvorúmqve animæ eâdem gaudent: neqve eam, qvâ vel in ſtatu glorificationis corpora beatorum vel in ſtatu damnationis damnatorum ſunt incorruptibilia, ſed illam hìc attendimus, qvâ actu non mortuus fuit Adamus, mori tamen poterat, certâ poſitâ conditione.

XXXIV. Hanc poſteriorem Adami immortalitatem probamus 1. *ex creatione hominis ad imaginem Dei.* Cùm enim immortalitas ſit pars imaginis divinæ, & homo ad iſtam ſit conditus, ultrò ſeqvitur, egregiô hôc immortalitatis donô Adamum fuiſſe ornatum, de qvo clariſſimum perhibet teſtimonium lib. Sapient. c. 11. 23. qvando Adamum conditum eſſe affirmat ἐν ἀφθαρσίᾳ, qvam ἀφθαρ-

φθαρσίαν ut ex oppoſito meliùs explicet v. 24. addit, mortem invidiâ diaboli in mundum intrâſſe. Cujus libri teſtimonium, utut ſit referendus in numerum apocryphorum, hìc optimè admittere poſſumus, cùm & plurima alia canonicæ ſcripturæ dicta id ipſum abundè ſatis demonſtrent. Inſtar omnium ſiſto locum Rom. v. 15. ubi per peccatum mortem in mundum intrâſſe diſertiſſimis verbis Apoſtolus pronunciat. Si per peccatum, ergo non ante peccatum, & in ſtatu innocentiæ locum invenire mors potuit. *Secundum, ex comminatione legis divinæ* Gen. II. 17. Qvôcunqve die comederis, morte morieris. Mors itaqve ſeqvi debebat peccaminoſam illam comeſtionem, tamqvàm pœna culpæ non tanqvàm conditio naturæ. Argumentor. *Qvicqvid infligitur pœnæ locô, illud ex natura non fluit. Atqvi mors infligitur pœnæ locô.* E. Major inde firma redditur, qvia non pœna id aliàs eſſet, ſed conſeqvens naturæ. Pelagiani qvidem excipiunt ad hunc locum, ſolam animæ mortem Adamo denunciari, ſed apertiſſimè reclamat comminationis exſecutio, qvando dicitur Gen. III. 19. pulvis es, & in pulverem reverteris: corpus factum erat ex pulvere, in pulverem autem reverti non poterat, niſi factâ prius animæ & corporis ſolutione, qvæ ſolutio mortem totius ſuppoſiti ultrò infert. Qvidqvid itaqve nomine mortis venit in ſcriptura, ut annotavit *B. Auguſt. lib.* XIII. *de Civ. Dei*, c. XII. id in hac ſeveriſſima comminatione intelligendum erit, unde etiam mors univerſaliter vocatur ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας Rom. VI. 23. *Tertium, ex abſentia cauſſarum mortis.* Mors eſt vel naturalis, vel violenta, illa principium internum, hæc externum agnoſcit. Illa fit, cùm humidum à calido innato abſumitur; hæc cùm præter rationem humidi vis infertur, qvôcunqve

cumqve demum fiat modô, vel ob exceſſum caloris, vel ob exceſſum frigoris, vel gladiô, igne, aliiſqve modis infinitis. Mortis naturalis imperio Adamus non erat ſubjectus. Non enim metuendum erat, ut humidum radicale à calido abſumeretur ob uſum præſtantiſſimorum fructuum præſertim arboris vitæ, qvæ erat φθορᾶς φυλακτικὸν καὶ ἀλεξιφάρμακον, qvos qvidem ſi neglexiſſet, & per aliqvot ſeptimanarum ſpatium jejunare voluiſſet, legem divinam hôc ipſo fuiſſet transgreſſus, qvàm transgreſſionem mors ſecuta fuiſſet. Mortem violentam experiri itidem non poterat, non aderat contrarius cæli influxus, morbi omnes exulabant, & ſi externa qvædam vis obtingere potuiſſet, hanc declinare facillimè valuiſſet, cùm in ſumma ſapientia eſſet creatus. Concludimus E. Remotis omnibus cauſſis mortis, removetur & ipſe effectus, ipſa mors.

CONFORMITAS DOMINII CUM DEI POTESTATE.

XXXV. Hæc nihil aliud eſt, qvàm poteſtas qvædam conceſſa in bruta animantia mulierem & poſteros, qvâ Adamus velut terrenus Deus imperium habebat in cuncta animantia, ita ut ad nutum inſervirent, non aliter qvàm ſol & luna ad preces Joſuæ ſubſtiterunt Joſ. x. 13. leones ad ipſius juſſum accurriſſent, elephantes, cameli dicto fuiſſent obtemperantes, aves advolâſſent, piſces adnatâſſent, reptilia adreptâſſent, ipſi delphines, ipſæ balænæ navigium & vehiculum ipſi per cæruleas vias præbuiſſent, ſicuti Poëtæ de ſuo Arione & Amphione fabulati ſunt. Nervosè hac de re diſſerit *D. Polycarp. Lyſerus in ſuo Adamo, c. 1. Gen. p. m.* 110. *ſ.* Hunc enim ordinem in crea-

tione obſervare voluit benigniſſimus mundi creator, ut inferius ſubjectum ſit ſuperiori, imperfectius perfectiori; Convenientiſſimum qvoqve erat, ut qvem Deus ſibi fecit ſimilem naturæ dignitate, eumdem ſibi qvoqve aſſimilaret dominii poteſtate, dignitas enim dominii potentiâ deſtituta, inermis eſt, paulatimqve vileſcit. In hac autem dominii conformitate in Adamo minùs principaliter ratio imaginis divinæ ponebatur, cùm potiùs ſit conſeqvens ejuſdem, qvàm ut ad formalem ejus rationem referri qveat. Homine enim jam ad imaginem divinam conditô dominium illud divinitus conceditur, Gen. 1. 26 27: 28. uti dignitas illa dominii tum in divina de homine condendo conſultatione, tum in ipſius conſilii exſecutione memoratur à Dei ſpiritu. ut qviddam, qvod ſecutum fuit ad principem hominis in imagine Dei conſummationem. Neqve illud univerſale in bruta dominium in ſtatu renovationis ulli homini contingit: non enim renovamur ad hanc in creaturas poteſtatem, neqve locum habebit in altera vita, ubi tamen priſtinam noſtram dignitatem eminentiori modô conſecuturi erimus.

XXXVI. Non autem abſolutam aliqvam & directam poteſtatem hic intelligimus, qvæ ſoli creatori peculiaris eſt, qvi hanc ob cauſſam κατ' ἐξοχὴν dominus vocatur. Hinc in ſcriptura ſæpius dicitur: domini eſt terra, & qvicqvid in eadem deprehenditur, domini eſt aurum, argentum &c. Sed dominium aliqvod utile & conceſſum. Neqve de dominio in ſolas creaturas irrationales hìc nobis qvæſtio eſt, ſed etiam probabile eſt, hoc Adami dominium ambitu ſuô etiam complexum fuiſſe ipſos homines. Sicut enim Adamus communis omnium parens fuit, ita debebatur ei filialis

qvæ-

qvædam reverentia & debitum obſeqvium. Fuit autem illud dominium conjunctum cum blanda gubernatione & ſpontanea ſubjectione, non cum coactiva qvadam & laborioſa poteſtate.

XXXVII. Hoc in bruta conceſſum dominium duo potiſſimum arguunt 1. *expreſſum divini Numinis mandatum Gen.* 1. 26. 27. 28. ubi volatilia, reptilia, natatilia & greſſilia comprehenduntur, & univerſalis qvædam poteſtas in hæc omnia primis parentibus conceditur. Adjungi poteſt huic dicto locus Syr. xvii. 3. 4. qvi clariſſimis qvoqve hoc ipſum teſtatur verbis 2. *dominii poſt lapſum veſtigia* & reſiduæ ejuſdem partes. Ingentis magnitudinis beſtiæ vel à puero ducuntur, virgis cæduntur, & leniſſimè tractantur, & utut multæ beſtiæ adſpectu ſint formidabiles, hominis nihilominus conſpectum fugiunt, ut noctu tantùm prorepant ex latibulis ſuis. Diſtingvendum autem h. l. inter dominii κτῆσιν & χρῆσιν. Illam adhuc retinemus, hæc vehementer immutata eſt. Abrumpo filum, & ſub cujus auſpiciis hanc arduam materiam conſcribere incepi, in ejuſdem nomine eamdem volo concluſam & veluti obſignatam.

CHRISTO GLORIA.

SPumanteis pelagi fluctus ſuperare carinis
Hunc juvat & diræ ferre pericla necis.
Hunc terram coluiſſe, hunc Martia tela vibrâſſe,
Victor ut apportet clara brabea, juvat.
Te, Wergere, ſatis juvat invigilâſſe Camœnis,
Te luſtrâſſe juvat dogmata ſancta Dei.

Hinc tibi de bino primorum eſt cura parentum
Statu, qvem primâ ſiſtere luce qveas.
Perge bonis avibus curſum decurrere ſanctæ
Theilogiæ, qvondam præmia multa feres.

JOHANNES MEISNERUS, D.

II.

Ἐπεξήγησις Cap. III. Gen.

De

LAPSU PRIMORUM PARENTUM,

Quam

DEO ter opt. max. adjuvante,

In Academia Wittebergenſi,

PRÆSIDE,

Virô plurimùm Reverendô, Clariſſimô, & Excellentiſſimô,

DN. JOHANNE HULSEMANNO,
SS. Theol. D. & Prof. Pub. Inſpectore
& Præceptore ſuô æternùm
obſervandô,

M. MARTINUS CASELIUS,
Sereniſſimi Saxon. Elect. Al. & Fac.
Phil. Adjunctus,

In Auditorio majori

d. xv. Mart. horis à 7. matut.

publico Eruditorum examini ſubjiciet.

PROOEMIUM.

D*Iſputationem Theologicam de Lapſu primorum Parentum* ex c. III. Gen. *conſcripturi ad ſeqventia membra mentis noſtræ dirigemus oculos.* 1. *Partitionem capitis præmittemus.* 2. *In genuinum ejus ſenſum inqviremus.* 3. *contradictiones adparentes conciliabimus.* 4. *Uſum refutatorium contra hæreticos monſtrabimus.* 5. *Textum à ſectariorum depravatione vindicabimus.* 6. *Qvæſtiones controverſas ad illuſtrationem textus facientes adducemus. Et deniqve* 7. *Aphoriſmos practicos breviſſimè adjiciemus: Sit ergo σὺν Θεῷ.*

CAPUT I.

Præmittens Partitionem Capitis.

PArtes hujus Capitis commodè tres conſtitui poſſunt. *Prima* Protoplaſtorum proponit *Inobedientiam.* Hujus deſcribuntur (1) *Cauſſæ impellentes. Principalis* non eſt DEUS *v.* 3. ſed *ſerpens Perſonatus*, qvi à duplici adjuncto, calliditate ſcilicet *v.* 1. & ſophiſtico colloqvio *v.* 1. 4. & 5. nobis depingitur. Svaſoriæ tres ſunt, qvibus ſerpens ad decipiendum Protoplaſtos utitur. *Pri-*

mum argumentum ſumit *à facili*, dum aſtutiſſimâ interrogatione ad fallendum natâ mandatum divinum elevare, & qvaſi non ſerium ſit, perſvadere conatur *v.* 1. *ſecundum à negatione incommodi*, qvòd in transgreſſione nihil periculi expectandum ſit *v.* 4. *Tertium ab utili*, qvòd divina excellentia, nec non accurata boni & mali ſcientia ex comeſtione ſperanda ſit *v.* 5. (2) *ſubjectum*, ſunt Eva & Adam *v.* 6. qvorum actus *v.* 2. 3. *&* 6. deſcribur (3) *Partes*, qvarum initium, eſt Addubitatio, *ex v.* 1. *&* 3. manifeſtum eſt. Hanc ſeqvuntur 1. præſentis conditionis *contemptus*, & divinæ excellentiæ *adpetitus v.* 5. 2. Inordinatus fructuum *intuitus.* 3. illicitus *contactus.* 4 cibi prohibiti *uſus.* 5. culpabilis Evæ, ut & Adam ipſe comederet, *hortatus.* 6. damnabilis Adami *eſus v.* 6. (4) *ſubſeqventes effectus*, qvorum 1. *Conſcientiæ confuſio*, qvam apertio oculorum monſtrat. 2. *juſtitiæ Originalis privatio*, qvam nuditas indicat. 3. *pudibundus corporis aſpectus*, qvem folium ficus manifeſtat v. 7. 4. *præpoſtera occultatio*, qvam Moſes à temporis circumſtantia declarat. *v.* 8.

Secunda Pars depingit judicii divini ſummam. Conſtat autem illud 1. *delinqventium citatione v.* 9. 2. *graviſſimâ* Judicis *accuſatione v.* 11. 13. 3. *Calvâ* reorum *defenſione*, qvâ uterqve culpam indirectè in Deum v. 10. 12. 13. directè verò Adam in mulierem *v.* 12. mulier in ſerpentem transferre conatur *v.* 13. 4. *ſententiæ judicariæ promulgatione*, qvâ primò pœna qvadruplex ſerpenti perſonato, cujus ſpecies tres ad naturalem *v.* 14. ultima ad infernalem pertinet *v.* 15. deinde duplex mulieri, maxima ſcil. in generando difficultas, nec non ſubjectionis adverſitas *v.* 16. deniqve viro (& mulieri) qvadruplex, nempe terræ maledictio, *v.* 17. victus immutatio

 v. 18.

v. 18. laborioſa commotio, & mortis exſpectatio, prædicitur. *v*. 19. qvibus tamen Euangelica in ſolatium immiſcetur promiſſio *v*. 15. qvam excipit novi nominis Evæ ab Adamo facta impoſitio. *v*. 20.

Tertia pars Exſecutionis præſcribit formam. Feſtinanter enim (*Nunc ergò &c. v*. 22.) utrumqve hominem de horto Eden emittit atqve ejicit *v*. 23. 24. cujus proximum antecedens veſtium diſtributio *v*. 21. & graviſſima ingratitudinis ac ſtulti conatus denotatio *v*. 22. immediatum conſeqvens Exſecutionis per vigilum cuſtodiam inſtituta confirmatio *v*. 24.

CAPUT II.

Inqvirens in dictorum ſenſum. Textus editionis Vulgatæ.

v. I. Sed (a) *& ſerpens* (b) *erat callidior* (c) *cunctis animantibus* (d) *terræ, qvæ fecerat* (e) *Dominus Deus: qvi dixit ad mulierem: (f) cur* (g) *præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno* (h) *paradiſi? (i)*

Ε'ξήγησις.

(a) Particula SED, qvam vulgata Latina verſio habet, redundat. Nec video, qvomodo ſatis cum antecedentibus cohæreat.

(b) *Serpens*. Nomen habet à curioſa Obſervatione in lingva Hebræa. Dicitur enim נחש *nachaſch* à נחש *nicheſch* qvod ſignificat augurari, futura callidè inveſtigare. Sunt autem de hoc ſerpente diverſæ Autorum opiniones. Nam Origenes, *homil*. XIII. *in Exod*. & Philo περὶ κοσμοποιΐας merè allegoricè intellexit. *Cyrillus*, *lib*. III. contra Julian. & *Eugubinus* in Coſmo-

Coſmopœia explicant de ſpectro vel ſpecie ſerpentis, qvam Diabolus ad tempus aſſumpſerit. Cajetanus *in Comment. in Gen.* per ſerpentem intelligit Diabolum, qvi non externâ voce, ſed internâ tantùm ſuggeſtione Evam tentaverit. Nos autem cum S. Patribus *Auguſt. lib.* XIV. *d. C. D. c.* XI. Damaſc. lib. II. *cap. de terra*: aliiſqve, & B. Luthero, *comment. in Gen.* qvi habetur tom. x. Witteb. *Germ. fol.* 76. 77. qvem certatim noſtrates ſeqvuntur de vero & naturali ſerpente exponimus. Nam hoc oſtendit 1. Moſis deſcriptio. Neqve enim tantùm ſerpentem vocat, ſed etiam beſtiis agri annumerat v. 1. Idem 2. monſtrat pœnæ conſtitutio v. 14. in qva & maledictus inter omnia animantia ac beſtias terræ pronunciatur, & greſſus victúſqve ejus commutatur, qvæ omnia non niſi vero ſerpenti convenire poſſunt. Neqve tamen cum Joſepho facimus, qvi *lib.* I. *Antiq. Jud. c.* I,I. ſtatuit, hunc ſerpentem merè naturalem fuiſſe, cui etiam loqvendi facultas tunc temporis convenerit: ſed cum B. Luthero de ſerpente, ut ita loqvar, perſonato intelligimus, certò ſtatuentes, Diabolum naturalem ſerpentem agitâſſe & per illum ad fraudem homini faciendam locutum eſſe. Id qvod Megalander noſter *comment. in Gen. fol.* 90. *ex Job.* VIII. 44. pulchrè demonſtrat. Nam *ſi Satan ab initio homicida fuit* (ſunt verba Patris modò laudati) *dic, qvem aut qvot occidit? Nonne Adamum & Hevam per peccatum? Ubi occidit? Nonne in paradiſo? qvando occidit? Nonne cùm elevaret auctoritatem mandati divini, & promitteret Deo ſimiles fore, ſi ederent de arbore vetita? Utrumqve igitur verum eſt: Affuit in Paradiſo ſerpens naturalis, & per iſtum ſerpentem antiqvus ſerpens, Diabolus, hominem decepit & occidit.* Atqve hoc ipſum etiam ex noſtro capite ſufficienter oſtendi poteſt. Nam

Nam hoc evincit partim arguta illa diſputatio; qvâ ſophiſticè, mandatum Dei pervertit, & eſum fructus vetiti Evæ malitiosè perſvaſit v. 1. 4. 5. qvod ſanè in ζῶον ἄλογον per ſe non cadit; partim primaria pœnæ pars, qvæ v. 15. huic ſerpenti à ſupremo judice eſt dictata. Neqve enim ſemen mulieris, Salvator noſter, Protoplaſtis hunc in finem promiſſum eſt, ut caput ſerpentis alicujus naturalis contereret, ſed ut Diaboli, ſerpentis infernalis, opera diſſolveret 1. *Joh. c.* III. 8. Et qvid multis? ſerpentem hunc non fuiſſe merè naturalem manifeſtè innuit D. Apoſtolus 2. *Cor.* XI. 3. & clariſſimis verbis docet S. Johannes Apoc. XII. 9. XX. 2.

(c) *Callidior* Hebr. ערום à radice ערם hoc eſt, calliditate, aſtu uſus fuit. Tribuitur autem huic ſerpenti calliditas, partim, qvia ei naturalis eſt, qvod ipſe Chriſtus innuit *Matth.* X. 16. partim ob aſtutiam Diaboli, cujus inſtrumentum erat. LXX. Interpretes hôc locô habent vocem φρονιμώτατος, cujus poſitivum etiam Servator noſter loc. cit. uſurpavit, ex qvo Epiphan *hæres.* XXXVII. has notatu dignas deducit ſimilitudines: Qvemadmodùm ſerpens in perſecutione totum corpus involvit in caput ſuum, occultátqve cranium, qvia cognovit, per excellentem calliditatem, vitam ſuam in capite exiſtere: ita nos tempore perſecutionis & tentationis omnia noſtra gladio & igni tradere, caput verò noſtrum cuſtodire, hoc eſt, Chriſtum non negare debemus, cùm in eo ſalus noſtra conſiſtat *Act.* IV. 12. Rurſus: ſicuti ſerpens ſiti preſſus & à latibulo procedens, ut bibat, non ſimul accipit ſecum venenum, ſed in latibulo relinqvit, ut idem loc. cit. docet: eôdem modô nos malitioſas cogitationes, odium & voluptates deponere debemus, qvando ad Sanctam Dei Eccleſiam, aut ad myſte-

ria

ria venimus. Alioqvi qvomodò poterimus columbam imitari à malitia non renati? Theodotion autem & Aqvila vocem Hebræam ערום reddiderunt per vocem πανȣ̃ργος, qvæ ad hunc ſcopum magìs ſpectare videtur, qvamvìs aliàs vox φρόνιμος ſerpenti per analogiam rectè tribuatur, uti ex modò dictis patet. Ut enim hanc ſententiam arripiamus, movet nos Apoſtolica Auctoritas, qvæ hanc vocem ex profeſſo explicat, qvando 2. *Cor.* XI. 3. *ſcribit*: Metuo ne qvà fiat, ut qvemadmodùm ſerpens Hevam decepit verſutiâ ſuâ ἐν τῇ πανȣργίᾳ αὐτȣ̃, ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, qvæ erat erga Chriſtum. Confer 1. *Cor.* III. 19. *&* 2. *Cor.* IV. 2. Atqve hoc etiam ipſe eventus docet. Malitia autem non eſt prudentia. Unde rectiſſimè B. Lutherus reddidit: Die Schlange war liſtiger denn alle Thiere. Minùs rectè verò Piſcator: Die Schlange war klüger, denn alle Thiere.

(d) *Cunctis animantibus*. Heb. מכל חית Ad verbum: ſerpens erat callidus *præ omni beſtia*. *LXX.* ἦν φρονιμώτατος πάντων τȣ̃ θηρίων, qvem pluralem etiam B. Lutherus & pleriqve alii interpretes retinuerunt, ſenſum ipſum reſpicientes.

(e) *Qvæ fecerat*) Heb. אשר עשה hoc eſt, qvæ ornaverat, aptaveraret, perfecerat. *Vide B. Chemn. c.* 1. *LL. art. de creat. p. m.* 278. 279. ubi diſcrimen inter ברא & עשה oſtendit.

(f) *Ad mulierem*) In Heb. additur articulus, habens h. l vim ἀναφορικὴν, q. d. ad mulierem illam, cujus anteà facta eſt mentio.

(g) *Cur præcepit*) Heb. אף כי־אמר In qvo explicando interpretes mirum in modum variant. LXX. τί ὅτι εἶπεν ὁ θεὸς, hoc eſt. *Qvid hoc, qvod dixit Deus?* Tremell. *etiamne edixiſſe Deum, ne comedatis?* Piſcator: Etiam, qvia dixit Deus, *in comment. in Gen. p.* 78. Et in verſione Germ. Auch dieweil GOtt geſagt hat, ihr ſolt nicht eſſen von allen

Bäu-

Bäumen &c. Sed qvis Germanorum hôc modô connexionem perſpiciet? Nimia ſubtilitas inſulſum ſermonem ſanè peperit. *Pagninus*: Etiámne dixit Deus, non comedetis &c: qvòd etiam Pareus in Comment. adprobat. omnium optimè ſenſum expreſſit Lutherus. Ja, ſolte GOtt geſaget haben, ihr ſolt nicht eſſen von allerley Bäume im Garten? Qvæ emphaſis non invenitur in particula interrogativa *Cur* vel *Num*, qvæ in Latina verſione habetur, ſed potiùs in nomine Elohim, qvod tentationem fortiorem facit, ut ipſe B. Lutherus in Com. obſervavit, Scopus enim Antiqvi illius ſerpentis non eſt rationem qværere, ob qvam Deus hoc mandatum Protoplaſtis dederit, ſed Evam à verbo abducere, eíqve perſvadere, aut non eſſe Dei mandatum, aut non eſſe ſic intelligendum, qvaſi Deus prorſus nolit ex ea arbore comedi. Id qvod etiam Reſponſum mulieris arguit. Hæc enim mandatum ſine mentione cauſſæ repetit, ut bene Dn. D. Rungius *in comment. p.* 160. annotavit. Senſus eſt: Qvæ hæc veſtra eſt ingenii, judiciíqve imbecillitas, ut exiſtimetis Deum ſeriò vobis uſum illius arboris interdixiſſe? qvaſi verò DEUS hoc ſollicitè curet, num vos de arbore iſta edatis nec ne? Cùm enim arbor ſit ſcientiæ boni & mali, qvomodò in Deum tanta cadet invidia, ut vos ſapientes eſſe nolit? Et qvomodò ſeriò arboris fructum vobis interdiceret, qvi ſuper omnes Paradiſi arbores vos Dominos conſtituit, imò veſtri cauſsâ omnes creavit? Et qvid multis? Cùm hæc ſit Dei erga vos liberalitas, ut univerſale Dominium in omnes beſtias vobis tradiderit, qvis dubitabit, eum ſimul vobis omnium arborum fructum conceſſiſſe? Hæc ſcilicet fuit Diaboli aſtutia, ut Dei benignitatem ſubdolè commendando noſtram omnium matrem à Verbo mandati abduceret. Unde putamus,

mus, qvæſtionem ſerpentis non eſſe ſimpliciter negantis, nec apertè calumniantis, & Deum invidiæ accuſantis, ſed mandatum Dei aſtutè elevantis; aliàs enim blasphemiam Adverſarii Eva facilè animadvertere potuiſſet: qvanqvàm priores ſententiæ analogiæ fidei non ſunt contrariæ. *Videatur omnino B. Lutherus fol. cit. & ſ.*

(h) *Ex omni ligno* מכל עץ qvæ phraſis non nullis videtur ambigua ac poſſe intelligi, vel ut ne ex ulla arbore, vel ut ne ex omni arbore comedant, unde interpretes diverſimodè reddunt. LXX. ἀπὸ παντὸς ξύλου. *Tremell.* ne Comedatis ex omni fructu arborum. *Lutherus:* Ihr ſolt nicht eſſen von allerley Beumen. *Piſcator* Ihr ſolt nicht eſſen von allen Bäumen. *Pagninus:* Non comedetis ex illa arbore, qvô ſenſu Evam intellexiſſe ex reſponſione ipſius colligit Piſcator *in comment. p.* 79. Et ita etiam Chryſoſt. Rupertus & S. Hug. *apud Corn. à Lap. p.* 83. qvi tamen alteram ſententiam, qvæ vertit: non ex omni: illi præferendam eſſe putat, qvô ſenſu etiam nos cum B. Luthero intelligimus.

(i) *Paradiſi)* Heb. הגן hoc eſt hujus horti, qvomodo etiam Tremellius reddidit. Latinus autem interpres ex Græca LXX. verſione deſumpſit, qvi Heb. ita exponunt: ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ παραδείσου, vel ut editio cum annotationibus Vatabli in fol. habet: τοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ, qvæ vox Græcis aliàs urbanum & elegantiorem hortum ſignificat.

v. 2. *Cui reſpondit mulier: (a) de fructu lignorum (b) qvæ ſunt in Paradiſo veſcimur. (c)*

ἐξήγησις.

(a) *Cui reſpondit mulier:* Heb. ותאמר האשה אל־הנחש hoc eſt, Et dixit mulier ad ſerpentem vel dixit autem &c. uti Pagninus reddidit: *Tremellius:* Tum dixit

dixit mulier ſerpenti illi &c. LXX. ſimpliciter dicunt: κ̀ εἶπεν ἡ γυνὴ & nomen ſerpentis non exprimunt, ut habet editio Baſileenſis an. 1550. excuſa, in Commeliniana autem additur τῷ ὄφει ſed res eodem recidit.

(b) *De fructu lignorum, qvæ ſunt in Paradiſo* Hebr. מפרי עץ־הגן hoc eſt de fructu arboris hujus horti. Sumitur autem collectivè pro plurali. Unde Tremell. de fructu arborum hujus horti in plurali & eôdem ſenſu Pagninus reddidit. LXX. verò ſingularem retinent: ἀπὸ καρπȣ̃ τȣ̃ ξύλȣ: qvamqvàm in edit. Commelin. legitur: ἀπὸ παντὸς ξύλȣ.

(c) *Veſcimur*) Heb. נאכל. LXX. φαγόμεθα, qvos Latinus in verſione vulgata imitatur, idémqve Pagninus retinet: Tremellius vertit per futur. *Comedemus*; qvod Piſcator *in com. p.* 79. ita declarat: *Comedere poterimus*: ſeu: *Comedere nobis licet*, uti etiam Vatablus *in annot.* exponit. Pareus *in com. p.* 114. licentiam veſcendi habemus: vel etiam: veſci huc usqve conſvevimus, qvô ſenſu indicaret, ſe aliqvamdiu cum marito in horto vixiſſe ante peccatum. Et ſanè Hebræi futurum uſurpare ſolent, in generalibus ſententiis, qvando ſignificatur, qvod fieri poteſt vel ſolet. Sic *Gen.* VI. 21. Tolle tecum ex omnibus eſcis אשר יאכל qvæ comedi ſolent, vel poſſunt, *& c.* X. 9. על־כן יאמר propterea dici ſolet, ſicut Nimrod &c. Item *Exod.* XX. 9. Sex diebus operaberis hoc eſt, laborare poteris. Unde Piſcator non malè vertit: Wir mögen von der frucht der Bäume dieſes Gartens eſſen.

v. 3. *De fructu verò ligni,* (a) *qvod eſt in medio Paradiſi* (b) *præcepit nobis Deus, ne comederemus,* (c) *& ne tangeremus illud,* (d) *ne fortè moriamur.* (e)

ἐξή-

ἐξήγησις.

(a) *De fructu verò*) *Heb.* ומפרי Litera Vau h. l. adverſative pro At, verò, autem, accipitur, ut ſententiæ cohærentia oſtendit. Sic *Pſal.* 1. *ult.* Qvoniam novit Dominus viam juſtorum ודרך at via impiorum peribit.

(b) *Qvæ eſt in medio Paradiſi*) ſcil. prope arborem vitæ *c.* 11. 9. qvæ *c.* 11. 17. arbor ſcientiæ boni & mali dicitur. Ex hac autem periphraſi Piſcator *in Com. p.* 80. colligit, qvòd colloqvium hoc apud illam arborem non ſit habitum. Alioqvi (*inqvit*) periphraſi iſti non fuiſſet locus, ſed pronomini demonſtrativo. Verùm hujus collectionis infirmitas cuivis facilè patet.

(c) *Ne comederemus*) in Heb. eſt 2. perſ. plur. תאכלו *non comedetis*, uti etiam rectè ceteri interpretes exponunt.

(d) *Et ne tangeremus illud*) Heb. rurſus legitur in perſ. plur. ולא תגעו pro תנגעו à נגע tetigit : *Et non tangetis*. Porrò verò qvid de his verbis judicandum ſit, Auctores non conveniunt. Certum eſt, qvòd non expreſsè in mandato divino *c.* 11. 17. habeantur. Ambroſius, *lib. de Paradiſo, c.* XII. putat, Evam ex tædio & odio de ſuo hoc addidiſſe præcepto, atqve adeò invidiosè exaggeràſſe duritiem præcepti: Pelargus *in Com. p.* 71. exiſtimabat, qvòd Eva imitata mendacii patrem interdictum divinum προσθέσει ſeu Epiſagmate hôc depravaverit. Corn. à Lap. *in com. p.* 83. probabile ſtatuit, Evam adjeciſſe hoc ex religione & reverentia præcepti divini q. d. Deus præcepit, ne hanc arborem tangamus ad comedendum ex ea, ideóqve religionem nobis injecit & metum; ut ſtatueremus nobiſcum nullô modô tangere, ut ſic longiſſimè à comeſtione abeſſemus. Aliis placet,

 hoc

hoc non ab Eva primò additum, ſed ab Adamo præceptum repetente Evæ fuiſſe injunctum, ut eam cautiorem & religioſam magis redderet. Deniqve Druſius *in comment. ad Levit. p.* 319. 320. ex R. Salomone, & Levi docet, qvòd tangere h. l. idem ſit, qvod tangere aliqvid ad edendum, qvam ſententiam etiam Clariſſimo noſtro Troſtio *p. m.* probatam fuiſſe memini. Nec mihi diſplicet. Nam Deum non tantùm illâ lege externum actum, ſed etiam internum adpetitum inordinatum prohibuiſſe videtur colligi poſſe ex Matth. v, 28. ubi ſextum decalogi præceptum nobis exponitur. Sic ergò Eva intellexiſſet Deum non tantùm comeſtionem externam, ſed etiam interiorem adpetitum inordinatum prohibuiſſe; atqve ita non opus eſt, ut ad explicationes priùs datas confugiamus.

(e) *Ne forte moriamur*) Heb. פן־תמתון. Hìc rurſus interpretes variant. Nam LXX. Ambr. Chryſ. Mercerus & Tremellius ſimpliciter vertunt: ἵνα μὴ ἀποθάνητε hoc eſt, ne moriamini, in qvam ſententiam etiam Selneccerus *in Com. p.* 168. Piſcator *in com. p.* 80. & Corn. à Lap. *p.* 83. inclinant. Et ſanè non negamus particulam פן aliqvando ſimplicem denotare negationem ut *Pſal.* 11. 12. *Pſal.* xcı. 12. & alibi. Nos tamen cum B. Luthero, *fol.* 64. Rungio, *p.* 162. & aliis ex noſtratibus probabiliter ſtatuimus, qvòd Eva h. l. ſubdubitare, & in fide vacillare cœperit, qvam ſententiam etiam ex Calvinianis Pareus, *in com. p.* 115. & ex Pontif. Pagninus ſeqvuntur. Statuimus igitur omninò cum B. Luthero *ex com. fol.* 64. Evam callidâ ſerpentis interrogatione & inſtantiâ, tandem ab eo perſvaſam fuiſſe, ut cogitaret, Deum neutiqvàm tàm eſſe crudelem, ut propter pomum guſtatum hominem ad ſui imaginem creatum occideret. Atqve hoc ex Diaboli inſtantiâ patet.

Qvam

Qvamprimùm enim Evam addubitare cœpiſſe ſenſit, mox occaſionem arripit, & nutantem urgere pergit. Unde jam non ampliùs ſubdolas qvæſtiones inſtituit; ſed qvod Deus abſolutè affirmârat, mulier in dubium vocârat, ipſe mendacii pater impudenti ore apertiſſimè negat. Idem *ex v. 6.* colligitur.

v. IV. *Dixit autem* (a) *ſerpens ad mulierem: Neqvaqvàm morte moriemini* (b).

Ἐξήγησις.

(a) *Dixit autem*) Ita & Tremellius. LXX. καὶ εἶπεν *Pagninus*: Et dixit. Heb. וַיֹּאמֶר, videtur autem vav h. l. inſtantiam notare, q. d. *Tunc dixit.* ſeu: *illico* ut Pareus, *in com. p.* 115. rectè monet. Procul enim dubio ſine omni mora ſerpens in ſuo malo propoſito perrexit, poſtqvàm ſemel mulierem nutantem vidit. Unde aptiſſimè Lutherus: Da ſprach die Schlange zum Weibe.

(c) *Neqvaqvàm morte moriemini*) Eôdem modô LXX. & Pagninus. Heb. לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן qvod Piſcator ita vertit: Es iſt nicht gewiſs, dàs ihr ſterben werdet. Alſs wolt er ſagen: Es mag ſein, oder nicht, doch iſt es nicht gewiſs, das ihr ſterben werdet, uti poſteà *in Scholiis* explicat. Et *in comment. p.* 81. ex Tremell. & Junio obſervat, qvòd in Heb. non extet מוֹת לֹא תְמֻתוּן qvod ſimplicem negationem inferat. Verùm hæc Piſcatoris novitas contradicit (1) doctiſſimorum Hebræorum regulæ, qvam de hoc genere tradunt, & ex aliis Clariſſimus noſter Troſtius p. m. *p.* 121. *Gram. Heb.* hiſce verbis proponit: Locutio hæc (*ſi tempus infinitum verbo ſuo adponatur*] qvando affirmativa eſt certiùs, & efficaciùs affirmat, additâ negatione vehementiùs negat [2] veritati & ipſi Piſcatori. Nam qvando *Pſalm* XLIX. 8. *in* Heb. legimus

אחלא פרה יפרה איש qvod Junius ita vertit : Fratrem nullo modô redimere poteſt qviſqvam: Ipſe Piſcator reddidit: Derſelbigen keiner kan ſeinen Bruder einiges Weges erlöſen. *Confer aſſertionem ſolidam Dn. D. Petri Piſcatoris Profeſſ. Salani contra Piſcatorem Herborn. problem.* 1.

v. V. *Scit enim Deus, qvòd in qvacumqve die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri,* [a] *& eritis ſicut Dii,* [b] *ſcientes bonum & malum.* [c]

ἐξήγησις.

[a] *Aperientur oculi veſtri*] Heb. ונפקחו ubi vau reſpondet adverbio Gr. ὅτε, qvemadmodùm particula καὶ in N. T. Luc. 11. 15. & alibi accipitur. Ex hoc autem qvidam apud Abulenſem *in c.* XIII. *q.* CCCCXCII. teſte Corn. à Lapid. *p.* 84. & Judæi referente Paulô Fagiô colligunt, Protoplaſtos tamdiu cæcos fuiſſe, donec de arbore vetita, qvæ vim medendi oculis & auferendi cæcitatem habuerit, comederint; ſed hoc & felicitati illius ſtatus & verſui 19. ac 23. c. 11. nec non verſ. 6. hujus c. apertè contradicit. Nec de corporis, ſed mentis oculis h. l. agitur, ut circumſtantiæ textus oſtendunt. Ludit autem mendacii pater æqvivocationis fallaciâ. Ipſe enim intelligentiæ acumen promittere videbatur, qvô ſenſu etiam Eva accipiebat, qvaſi dixiſſet: adeò perſpicax ingenii veſtri & intellectus acumen evadet, ut antea cæci qvaſi vobis ipſis videamini; cùm tamen aſtutiſſimus Sophiſta conſcientiæ confuſionem & apertionem oculorum ad videndum dedecus ex præcepti transgreſſione ortum intellexerit, ut ex v. 7. apparet.

[b] *Sicut Dii*] Hebr. כאלהים, LXX. reddiderunt. ὡς θεοὶ, qvod Pagninus, Tremellius, Piſcator. in Com. *p.* 68. *& p.* 82. & vulgata imitati ſunt, qvando Latinè verterunt: *ſicut Dii.* Sed cùm

hacte-

hactenus receptum non ſit, ut Divinas perſonas Deos vocemus, qvilibet videt, rectiùs B. Lutherum in ſingulari reddidiſſe: Und ihr werdet ſeyn wie Gott. Illi autem prorſus audiendi non ſunt, qvi vel ita vertunt: *eritis ſicut judices aut Principes*, vel cum Judæis & Vatablo, de Angelis interpretantur, id qvod ex v. 12. manifeſtè conſtat: qvanqvàm hoc non nego, Diabolum iterum proculdubio ſtudioſè ſuam ſententiam ambiguè propoſuiſſe. Ipſe enim ſui ſociorúmqve ſimilitudinem intellexit, cùm Divinam ſimilitudinem promiſiſſe videretur, qvæ tamen non intelligenda eſt de eſſentiali identitate, hanc enim utpote impoſſibilem mulieri perſvadere fortè non potuiſſet; unde etiam non dicit: *Eritis Jehova*; ſed de excellentiſſima ſapientiæ atqve intelligentiæ ſimilitudine, ut etiam ſubſeqventia indicant.

[c] *Scientes bonum*] Iterum ambiguitate phraſeos ludit. Nam omnis boni & mali, veri & falſi, agendorum & fugiendorum accuratiſſimam notitiam & judicium diſcretivum promittere videtur, & tamen miſeriæ & turpitudinis lapſum ſubſecuturæ experimentum intellexit, ut ex v. 7. adparet. Id qvod Rupertus, *lib.* III. *de Trin. c.* VIII. rectè obſervavit. Sub eadem, inqvit, pollicitatione cùm dicitur: aperientur oculi veſtri: Eva ſapientiæ altitudinem, ille cogitat conſcientiæ confuſionem. Sub eadem dictione, cùm dicitur: & eritis ſicut Dii; hæc capere Dei celſitudinem, ille ſuimet ſimilem cogitat invenire cogitationem. Item, ſub eadem pollicitatione ſcientiæ boni & mali, hæc plenitudinem ſcientiæ; ille cogitat experimentum miſeriæ.

v. VI. *Vidit igitur mulier* [a] *qvòd bonum* [b] *eſſet lignum* [c] *ad yeſcendum* [d] *& pulchrum oculis* [e]

aſpectúqve delectabile [f] *& tulit de fructu illius & comedit* [g] *dedítqve viro ſuo qvi comedit.* [h]

ἐξήγησις.

[a] *Vidit*] Hebr. ותרא, LXX καὶ εἶδεν. Eôdem ſenſu Lutherus. Vulgata autem, Pagninus & Tremellius ו Vau vertunt per particulam inferendi, igitur vel Ergo. Unde Cornelius à Lapide, *p.* 85. ſecutus vulgatam ait: Ex τῷ *Igitur* patet, Evam poſt verba Serpentis non ante peccâſſe. Sed hæc illatio nimis liberalis eſt. Annon peccârat priùs qvæ & de præcepti Divini veritate dubitare cœperat, & Diabolo ulterius auſcultaverat? Nec ulla nos cogit neceſſitas, ut â LXX. & B. Lutheri verſione recedamus. Videre autem h. l. non notat ſimplicem intuitum; Nam & priùs, ſed ſine comedendi concupiſcentia viderat: verùm ex curioſo attentóqve intuitu cum affectu judicare.

[b] *Bonum*] Hebr. טוב, hoc eſt, ſvave vel jucundum, qvod oculos videntis & mentem conſiderantis delectat; ut B. Chemnitius, 1. *tom. LL. p. m.* 360. declarat. Eſtqve adeo Synecdoche Generis pro Specie.

[c] *Lignum*) hoc eſt fructus illius, per Metonymiam Efficientis.

(d) *Advescendum*) Hebr. למאכל: LXX εἰς βρῶσιν, hoc eſt, in cibum ut Tremellius vertit. Res tamen eodem recidit. Senſus eſt: Evam non absqve ſingulari adpetitu vidiſſe & judicâſſe fructum hujus arboris prorſus delicatum, ſvavem, & ſapidum, adeóqve palato gratiſſimum eſſe.

(e) *Et pulchrum oculis*) Hebr. וכי תאוה־הוא לעינים hoc eſt, & qvod concupiſcentia ſeu deſiderium eſſet oculis. תאוה enim eſt Nomen, deſcendens ab אוה, *ivah*, hoc eſt eſt, concupivit, deſideravit. LXX reddiderunt: καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν.

Senſus

Senſus eſt: fructum hujus arboris judicio oculorum valde appetibilem fuiſſe. Abſtractum enim pro ſuperlativo uſurpari ſolet.

(f) *Aſpectúqve delectabile*] Hebræ. ונחמד העץ להשכיל. LXX. καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι. *Pagninus*: & concupiſcibilis arbor ad intelligendum *Alii*: concupiſcibile (lignum) ad contemplandum, qvod & Cornelius adprobat, qvia ſcilicet hæc arbor ſuâ formâ & pulchritudine qvaſi detinebat Evam in motoſo ſuo intuitu & contemplatione: ſed rectiùs B. Lutherus, Oſiander & ex Calvin. Pareus & Piſcator *in com. p.* 82. hôc ſenſu vertunt, qvòd Eva judicaverit hanc arborem vel potiùs fructum hujus arboris deſiderabilem fuiſſe ad intelligere vel prudentem faciendum, ſeu dandum intelligentiam; qvô ſenſu etiam Vatablus interpretatur. Hoc enim & verbo להשכיל & Serpentis ſvaſioni v. 5. magis eſt conveniens. Porro verò de hoc verbo B. Lutherus *in com fol. 66. 67.* obſervat, qvòd propriè ejusmodi ſapientiam ſignificet, qvâ Deus ipſe cognoſcitur. Et ſic ſanè accipitur *Pſ.* xiv. 2. Dominus è cælis proſpexit ſuper filios hominum ad videndum היש משכיל an ſit intelligens, qværens Deum. Pſ. xxxii. 8. אשכילך intelligere te faciam & docebo te, in qva via ambules. Eſ. lii. 13. הנה ישכיל ecce ſervus meus (Meſſias) prudenter aget, ſeu intelligere faciet.

(g) *Et tulit de fructu illius & comedit*] hoc eſt, exporrectâ manu fructum ejus (cujus ſpecies ignoratur, qvamqvàm vulgò inſtar pomi pingitur,) decerpſit & comedit, ſicqve adeo utrúmqve fecit, qvod paullò ante Deum prohibuiſſe confitebatur, unde de ea non poteſt dici, qvòd prudenter & ſapienter egerit; ſed rectiùs de ea verbum הסכיל hoc eſt infauſtè ac ſtultè egit, poteſt uſurpari; de Meſſia verò verbum השכיל dici poteſt, cùm & ipſe

omnia bene fecerit Marc. VII. 37. & nos omnes bene facere docuerit, de qvo videatur Dn. D. Johann. Tarnov. *ſup. c.* LIII. *Eſa. p m.* 415.

(h) *Dedítqve viro ſuo, qvi comedit.*) Pagninus & Tremellius ad verbum reddiderunt: dedítqve etiam viro ſuo ſecum; qvi comedit. Nam in Hebr. additur &' עמה hoc eſt, ſecum. Qvod aliqvi accipiunt, pro אשר עמה, qvô innui videatur, Adamum affuiſſe colloqvio Serpentis cum muliere. Sed qvia non videtur veriſimile, Adamum ad tam apertas Serpentis blaſphemias taciturum, (confer 1. Tim. II. 14.) Pareus *in com. p.* 116. colligit, Adamum qvidem ab initio abfuiſſe, tandem verò ſupervenìſſe, cùm Eva jam tùm à Serpente ſeducta inordinatô affectu fructum intuita eſſet, eumdémqve comederet. In qvam ſententiam etiam Piſcator *in com. p.* 68. *&* *p.* 83. inclinat. Poteſt tamen ſimpliciter ita exponi: *& dedit viro ſuo ſocio*; qvô ſenſu accipitur phraſis *Gen.* XXIV. 32. Cornelius verò *p.* 86. exiſtimat, Evam bis comediſſe primò ſolam, & deinde cum Adamo, ut eum ad eſum pelliceret, & in eſu ſe ſociam præberet. Cui LXX. favere videntur. Cùm enim priùs dixiſſent: λαβοῦσα τοῦ καρποῦ αὐτοῦ, ἔφαγε, poſteà pergunt & utuntur verbô edendi in Plurali καὶ ἔδωκε, καὶ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς μετ' αὐτῆς. καὶ ἔφαγον, hoc eſt. & comederunt. Sed qvia in Hebræo eſt verbum ſingulare ויאכל, explicationes priores præferendas eſſe arbitramur. Porro verò Auguſtin. *de Gen. ad lit. lib.* XI. *c.* XXX. exiſtimat, Evam non absqve ſvaſoriis viro ſuo fructum de arbore vetita dediſſe, id qvod ex verſ. 17. & 22. confirmari poteſt. In illo enim Deus Adamo objicit, qvòd voci (ſvaſoriæ) uxoris ſuæ obtemperaverit; in hoc autem inſinuatur, qvòd

&

& ipſe putârit, fructus illius arboris deſiderabiles eſſe, eò qvod ſapientes reddere qveant. Probabile ergo eſt, Evam rationes motivas Serpentis Adamo expoſuiſſe: ipſe verò eò facilius perſvaderi potuit, qvia & chariſſima conjux hæc narrabat, & prætereà eam vi comminationis legalis illicò occiſam non cernebat, ut ipſe S. Aug. loc. cit. innuit.

v. 7. *Et aperti ſunt oculi amborum* [a] *cúmqve cognoviſſent ſe eſſe nudos* [b] *conſuerunt folia ficus* [c] *& fecerunt ſibi perizomata* [d.]

ἐξήγησις.

(a) *Et aperti ſunt)* Heb. ותפקחנה, qvô verbô etiam ſupra v. 5. ſerpens uſus erat: Particula verò Vau h. l. eſt ordinis ſeu temporis, unde rectè Pagninus vertit: *Tunc aperti ſunt oculi amborum*, qvô ſenſu etiam B. Lutherus & ex Calvinian. Tremellius, Pareus & Piſcator reddiderunt. Aperti autem ſunt oculi ipſorum non ad videndum ſimpliciter, id qvod ſupra refellimus; ſed ut vel tandem agnoſcerent ſuam erga Deum ἀχαριστίαν, contumaciam & inobedientiam, qvódqve iram Dei & mortem lege indicatam in ſe propriâ culpâ derivâſſent; qvomodo & Judæ oculi aperiebantur *Matth.* XXVII. 3. *ſ.* Tamdiu ſcilicet oculi mulieris velati manebant, donec & ipſe Adam peccaverat, qvod Moſes hiſce verbis indicat: *q. d.* Clauſerat Satan non ſolùm oculos, ſed cor qvoqve Hevæ per incredulitatem & inobedientiam omnium membrorum, intus & foras. Sed poſt admiſſum & conſummatum peccatum æqvô animô patiebatur aperiri eorum oculos, ut viderent, qvid feciſſent. Hìc enim aliud compendium qværebat Satan, ut ſcilicet in deſperatione perirent, qvi peccaverant; ut B. Lutherus, *in Comment. f.* 68. accuratiſſimè obſervat.

(b) *Cúmqve cognoviſſent ſe eſſe nudos*) ad verbum *Et cognoverunt, qvòd nudi eſſent*, nempe non ſolùm veſtibus ſed præcipuè imagine Divinâ, hoc eſt, juſtitiâ, ſanctitate & gloriâ denudati; contra verò æſtu libidinis impleti. Loqvitur enim hìc textus de nuditate pudibunda, ut ſubſeqventia oſtendunt; non verò concreata, qvæ ipſis non dedecori & ignominiæ, ſed ſummo erat honori & gloriæ; ut B. Lutherus, *loc. cit.* rectè annotavit.

(c) *Conſuerunt folia ficus*) Hebr. ויתפרו עלה & conſuerunt folia, hoc eſt, idcirco conſuerunt. Eſt autem in fonte per Enallagen Numeri nomen ſingulare & qvidem in Regimine עלה, cujus Etymologicum eſt עלה folium, à Rad. עלה adſcendit, qvòd folia arborum ſurſum adſcendere ſoleant. Porro verò conſuerunt folia, ſcil. ad tegenda genitalia propter turpitudinem, qvam in eorum motu ſentiebant. Per hominis enim peccatum inhoneſta facta ſunt, qvæ à Deo honeſta & decora condita erant; ut S. Auguſtin. IV. *contra Julianum*, c. XVI. docet. Ceteras ad corporis partes adhuc nudi manſerunt, donec Deus ipſe eos veſtivit, ut ex v. 10. & 21. colligitur, qvemadmodum Braſilii & Indi incedere ſolent.

(d) *Et fecerunt ſibi perizomata.* Hebraicè חגרת à Rad. חגר accinxit. LXX. περιζώματα; *Pagninus* cingulos; *Piſcator*, & *Vatablus* ſubligacula; *Auguſtinus*, *lib.* XI. *de Gen. ad lit.* c. I. campeſtria; alii ſuccinctoria reddiderunt.

v. 8. *Et cùm audiſſent vocem* (a) *Domini Dei* (b) *deambulantis* (c) *in Paradiſo ad auram poſt meridiem* (d) *abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi.* (e)

ἐξήγησις.

[a] *Et cùm audiviſſent vocem*) ad literam: *&* [mox] *audi-*

audiverunt vocem Domini &c. Sunt autem de hac voce variæ Dd. opiniones. Nam Chryſoſtomus, *homil.* XVII. *in Gen.* de voce & auditione interna exponit, hoc eſt, de recordatione præcepti & condemnatione propriæ conſcientiæ. B. Lutheri, *in Comment. fol.* 70. opinio eſt, vocem Domini obambulantis dici à Moſe ventum ſeu ſonum venti, qvi præceſſit adparitionem Domini. Sicut Chriſtus in Euangelio *Joh.* III. 8. de vento dicit: vocem ejus audis. Cùm enim audiverunt folia crepantia tanqvàm à vento impulſa, cogitaverunt: Ecce jam advenit Dominus, expetiturus à nobis pœnas. Qvò referri poteſt, qvòd tempeſtas vox Dei *Pſal.* XXIX. v. 3. 4. 5. ſalutatur. Atqve in hanc ſententiam etiam ex Calvinianis Piſcator *in Com. p.* 84. inclinat. Poteſt tamen etiam citra abſurditatem de voce externa, ut v. 9. eaqve terribili, qvia præ timore ſe abſconderunt, intelligi, non aliter, ac tempore promulgationis Legis factum eſt, ut ex *Exod.* XIX. *v.* 19. *& ſ.* conſtat.

(b) *Domini Dei)* In Hebr. non tantùm eſt vox Elohim, ſed etiam Jehova, qvæ ſoli vero Deo, cœli & terræ Creatori convenit. Unde reverà Protoplaſtos Dei & non Angeli vocem audiviſſe, contra Cornel. à Lapide concludimus. Hoc notabile eſt, qvòd Chaldæus h. l. per Jehovam verbum Dei, hoc eſt, Meſſiam, intelligat. Ita enim, ut Pelargus *in comment. p* 77. habet, præſentem verſum circumſcribit: *Et audiverunt vocem verbi Domini Dei, deambulantis in horto.* Sic ergò Meſſias ſtatim poſt lapſum in aſſumpta aliqva humani corporis ſpecie, qvâ Patriarchis etiam ſe conſpiciendum præbuit ut Hilario, *lib.* XII. *de Trinit.* aliiſqve Patribus videtur, in horto ambulâſſet, miſeróſqve Protoplaſtos, qvos & condemna-

mnatoria legis ſententia & mordens conſcientia jamjam ad mortem æternam abreptura erat, primùm eſſet allocutus, ut ſuam miſericordiam & φιλανθρωπίαν teſtaretur; id qvod contra Judæos eſt notandum.

(c) *Deambulantis*) In Hebr. eſt מתהלך, qvod Tremellius ad vocem Dei refert, qvaſi dicatur ambulare, cùm intenditur, & hortum totum implet. Sic enim verba Hebr. reddit: *Deinde audiverunt vocem Jehovæ itantem*. Contra verò LXX ita reddiderunt, ut ad Deum ipſum referant: καὶ ἤκουσαν τῆς φωνῆς Κυρίου τοῦ Θεοῦ περιπατοῦντος: qvos Interpres vulgatus, Pagninus, Piſcator *in Com. p.* 84. Pareus, Pelargus, &, qvi primò nobis nominandus erat, B. Lutherus imitantur. Poteſt autem id intelligi vel per ἀνθρωποπάθειαν, ut per illam deambulationem peculiaris præſentiæ declaratio innuatur, vel etiam de vera deambulatione in aſſumpta aliqva ſpecie, in qva *c.* II. cum Adamo erat locutus, ut qvidam probabiliter colligunt.

(d) *Ad auram poſt meridiem*) Hebraicè לרוח היום ubi mira eſt Interpretum varietas. Nam LXX reddiderunt τὸ δειλινόν. *Hieron.* de Qvæſt. Hebr. διὰ πνεύματος ἡμέρας. *Theodotion*: ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. *Pagninus*, ad auram diei. *Irenæus*, *lib.* v. poſt meridiem. *Onkelos*: ſub qvietem diei. *Tremellius & Piſcator*, adventum illius diei. Unde hic in verſ. Germ. ita interpretatur: Dar nach hörten ſie die Stimme GOttes des HErren, welcher in Garten gieng beym Winde des Tages. Et ſanè de verbo ad verbum ſonat ut Tremellius vertit. Porrò verò qvalis ventus intelligatur, rurſus non conveniunt. Calvinus in Comment. ut aliqvid peculiare dicat,

ven-

ventum matutinum intelligit, adeóqve hæc ſub ortum Solis accidiſſe opinatur. Sed id ipſi Pareo, *p.* 120. non ſit veriſimile, qvia ſic homines noctu peccâſſent, qvod congruum non videtur. Pleriqve autem Patrum & noſter B. Lutherus, ut ejus paraphraſis (da der Tag kühle worden war) manifeſtè oſtendit, de aura veſpertina intelligunt, trahúntqve partim ad providam Dei benignitatem auxilium accelerantis, ut tremebundos recrearet & pereuntes præveniret; partim eô ſignificari volunt, qvòd Chriſtus ad Mundi veſperam ad redimendum Protoplaſtos & totum genus humanum venturus eſſet.

(e) *In medio ligni Paradiſi.*) Hebr. בתוך עץ הגן LXX. ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, qvos vulgatus imitatur. Rectiùs *Pagninus*: in medio arborum horti, qvô ſenſu etiam Lutherus reddidit. *Tremellius*: inter arbores illius horti. Qvamqvàm autem in Hebr. eſt nomen עץ Singularis numeri, non tamen eſt neceſſarium, ut cum Johanne Temporario colligamus, hanc arborem ficum Indicam fuiſſe, ſub qva Adam cum uxore delituerit, & cujus foliis ſe texerit; cùm ſub ea arbore homo commodè latere poſſit. Nam in Hebr. Enallage Numeri freqventiſſima eſt, ut etiam Druſius, *in Com. in Gen. p.* 22. obſervavit, ſimilíſqve planè locus eſt *Exod.* x. 15. Aliàs ficus Indicæ deſcriptionem ex Theophraſto, Strabone & Plinio proponit Selneccerus, *in Com. in Gen. p.* 218. 219.

v. 9. *Vocavitqve Dominus Deus* (a) *Adam* (b) *& dixit ei* (c) *ubi es?* (d)

Ἐξήγησις.

(a) *Vocavítqve &c.*] Emphaſis eſt in voce vocandi. Nam in Hebr. eſt Radix קרא, qvæ propriè ſignificat voce ſignificativâ, conceptis & ex-

preſſis

preſſis verbis vocare, inclamare, ut *Eſ.* LVIII. 1. Unde & Tremellius h. l. τῷ inclamavit uſus eſt. Sic ergò fit reſpectus ad fugam hominis, ex qva Deus Adamum ſonorâ voce retrahere voluit,

(b) *Adam*) Hebr. אל־האדם, qvod Pagninus adpellativè reddidit: *hominem.* LXX. autem, B. Lutherus, Tremellius, Piſcator & alii per nomen Proprium vertunt.

(c) *Et dixit ei*) tamqvàm præſenti, etiam cùm lateret: qvô notatur nos etiam in mediis latebris præſentem habere judicem.

(d) *Ubi es?* Hebr. איכה. *ubi tu?* qvod non eſt ignorantis, *Hebr.* IV. 13. ſed 1. ad judicium *citantis*; 2. defectionem & ſtultum conatum majora viribus adfectantem *exprobrantis*; 3. *Increpantis.* Sic Ambroſius, *lib. de Paradiſo c.* XIV. ait: Ubi eſt tua bene ſibi conſcia confidentia? timor iſte culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi es ergò? non in qvo loco qværo, ſed in qvo ſtatu? qvò te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, qvem antea qværebas? 4. *Confeſſionem exigentis*, *ut Gen.* IV. 9. Ubi eſt Abel frater tuus? Sic B. Lutherus, *in Com. fol.* 72. ait: Ideò interrogat, ut ipſe ſuô teſtimoniò convincatur, qvòd peccaverit. 5. *Commiſerantis*; interprete Chryſoſtomô. 6. *φιλανθρωπίαν indicantis*: qvod iterum Noſter *fol* 77. docet, qvando ait: Longè aliter cum Serpente loqvitur, qvàm cum Adam & Evâ, qvos amanter revocat, ubi es? Qvis tibi oſtendit, qvòd nudus eſſes? Hæc oſtendunt amorem Dei erga totum genus humanum, qvòd etiam poſt peccatum homo reqviritur & vocatur, qvòd Deus cum eo diſputat & audit eum. Hæc certa ſignificatio gratiæ eſt. Qvamqvàm enim hæc legalia & judicialia verba ſint, tamen non obſcuram oſtendunt ſpem, qvòd non ſint damnandi in æternum.

v. 10. *Qvi ait* : (a) *vocem tuam* (b) *Domine* (c) *audivi in Paradiſo*, *& timui*, (d) *eò qvod eſſem nudus* (e) *& abſcondi me.* (f)

ἐξήγησις.

(a) *Qvi ait*;) Hebr. ויאמר & dixit, ſcil. Adam.

(b) *Vocem tuam*) LXX. τῆς φωνῆς σου ἤκουσα περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ: ſed vox *deambulantis* h. l. in Hebr. non additur, qvamqvàm hâc ſuâ reſponſione reſpicit Adam vocem Jehovæ deambulantis in horto v. 8. hoc eſt terribilem illum ſtrepitum & fragorem à Deo per arborum concuſſionem excitatum, aut etiam vocem expreſſam, cum illo terrore conjunctam; uti ſuprà diximus, Neqve enim cum qvibusdam referre poſſumus ab illa verba: ubi es? cùm ſe Adam prius abſconderit, uti ex v. 8. patet.

Hiſee autem non excuſat ſe Adam, ſed potiùs magis magiſqve condemnat. Nam cauſſam ſui lapſus non obſcurè in Deum ſuum transfert, dum vocem Dei timoris, nuditatem autem fugæ & abſconſionis cauſſam exſtitiſſe pronunciat. Annon enim audiverat antè qvoqve vocem Domini prohibentis, ne de arbore vetita comederet? cur igitur tum non timuit? cur tum ſe non abſcondidit? cur ſtabat lætus & erectus cùm Deum præſentem videret & audiret? Nunc autem ad ſonitum folii pavet. Cur anteà non erubuit ob nuditatem? Scilicet, qvia pro veſte habebat juſtitiam & ſanctitatem concreatam. Hæc omnia certa argumenta ſunt, qvibus Adam ſeipſum condemnat & peccatum ſuum prodit. Vide B. Luther. fol. 72.

(c) *Domine* In Hebr. non exſtat; ex præcedentibus tamen ſubintelligitur.

(d) *Eò*

(d) *Et timui*) te tanqvàm Zelotem, adeóqve in conſpectum tuum venire erubui.

(e) *Eò qvòd nudus eſſem*) Hebr. כי־עירם אנכי qvia nudus ego; ſcil. qvoad maximam corporis partem. Nam pudenda jam antè ficus foliis obtexerat, v. 7. reverà autem juſtitiâ & ſanctitate denudatus, contrà verò malæ concupiſcentiæ æſtu impletus erat.

(f) *Et abſcondi me*) Hebr. ואחבא igitur abſconditus ſum, ſeu, igitur abſcondi me; ut rectè B. Lutherus vertit, qvod & Cornelius à Lapide, p. 87. non diſſimulat, qvando inqvit: *Et, id eſt, ideo abſcondi me. Hebræum enim vaf ſæpe eſt Cauſale.* Eôdem modô Vatablus exponit.

v. 11. *Cui dixit Dominus* (a) *qvis enim indicavit tibi* (b) *qvòd nudus eſſes* (c) *niſi qvòd ex ligno, de qvo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* (d)

ἐξήγησις.

(a) *Cui dixit Dominus*] Hebr. ויאמר & dixit: ſeu, ut Tremellius vertit: Dixit verò. LXX. καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεός, qvos vulgatus ſeqvitur; Sed vox Jehova in Hebr. expreſsè non adjicitur.

(b) *Qvis enim*) Hebr. particula cauſſalis non exſtat, ſed ſimpliciter legitur: מי הגיד לך. Ineptus verò h. l. eſt Cornelius, *p.* 87. qvando inqvit: vox *enim* non eſt in Hebr. nec eſt cauſſalis, ſed Emphatica, idémqve valet, qvod enimverò, ſed enim, atqvi, cùm ejusmodi uſurpatio particulæ ENIM hôc modò poſitæ in uſu non ſit.

(c) *Qvòd nudus eſſes*) loqvitur de ea nuditate, cujus Adamum pudebat; q. d. Annon nuditas tibi concreata eſt? num eam ut turpem damnas? cur priùs te ejus non puduit? non igitur nuditas te confudit, non vox mea te terruit. Age qvid effugia qværis? Confitere commiſſum! Nonnè de arbore

bore vetita comediſti, & teipſum imagine meâ ſpoliâſti? Hìc, *inqvit B. Lutherus in Com. fol.* 73. Adam, cùm ſic urgetur, in media morte & medio inferno fuit. Coactus enim eſt fateri, qvòd nuditas non eſſet mala, ſiqvidem à Deo concreata erat. Contrà agnovit hoc eſſe malum, qvòd de nuditate jam haberet malam conſcientiam, de qvâ antea, tamqvàm de ſingulari ornamento gloriatus fuerat, & qvòd paveret jam ad vocem DEI, qvàm antea cum ſumma voluptate audiverat.

(d) *Niſi qvod &c.*) ad verbum Hebræa ita reddi poſſunt: *Num ex illa arbore, de qva præcepi tibi, non edere* (h. e. ut ne comederes) *ex ea* (LXX. addunt vocem μόνυ ſcil. ξύλυ) *comediſti?* Non autem eſt qvæſtio ignorantis, an factum ſit, cùm de eo ex timore, fuga & calva excuſatione Adami ſatis ſupérqve conſtet; ſed juſtè accuſantis, qvi mentione præcepti ejus memoriam illi refricare & ignorantiæ prætextum vult adimere, q. d. Perfidè egiſti, qvòd poſthabitô meö ſeriô mandatô voci Serpentis obediviſti, & de arbore vetita comediſti, cùm tamen ceterarum arborum uſumfructum liberaliter Tibi conceſſerim, qvi omnibus interdicere potuiſſem. Qvamqvàm etiam accipi poteſt, ut qvæſtio judicis confeſſionem exigere volentis; qvô ſenſu Piſcator, *in Com. p.* 85. exponit.

v. 12. *Dixitqve Adam*: (a) *Mulier, qvam dediſti mihi ſociam* (b) *dedit mihi de ligno, & comedi.*

Ἐξήγηϛις.

(a) *Dixitqve Adam*) Hebr. ויאמר האדם, qvod Pagninus adpellativè reddidit: *& ait homo.* LXX. autem & pleriqve alii Proprium adhibuerunt.

(b) *Qvam dediſti mihi ſociam*) Hebr. אשר נתתה עמדי h. e. qvam dediſti (ut eſſet) mecum, ut Pagni-

gninus vertit. Hiſce autem iterum non obſcurè cauſſam peccati in Deum transfert; q. d. ſi qvid culpæ commiſſum eſt, mulieri imputetur, qvam tu mihi ſociam junxiſti; ut Lutherus *in Com. fol.* 73. obſervavit. Sed hæc excuſatio prorſus futilis eſt: nam & voci Dei magìs, qvàm mulieris, auſcultare, & ipſe tamqvàm caput Uxoris eam propter tranſgreſſionem mandati Divini objurgare debuiſſet.

v. 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Qvare hoc feciſti?* (a) *qvæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi* (b)

ἐξήγησις.

(a) *Qvare hoc feciſti?*) Eſt autem hæc interrogatio non ignorantis, nec tam de cauſsa qværentis, qvàm admirantis, qvomodo Eva tam improba & temeraria eſſe potuerit; uti Vatablus, & ex noſtratibus B. Rungius, *in Com. p.* 180. obſervavit.

(b) *Serpens decepit me*) Hebr. הנחש השיאני ille Serpens decepit vel ſeduxit me, nempe fallacibus blanditiis, atqve promiſſis. Hinc LXX reddiderunt, *ὁ ὄφις ἠπάτησέ με*, ab *ἀπατάω*, qvod propriè notat viâ deduco, Metaphoricè, fraude & fallaciis decipio. Hâc ſuâ autem reſponſione ipsa etiam Eva cauſſam in Deum non obſcurè transfert, q. d. Serpens, qvem Tu creâſti, & in hoc horto deambulare permiſiſti, fraudulenter ſeduxit me; ut rurſus Megalander noſter *in Com. fol.* 74. eruditè annotat. Sed hâc ſuâ excuſatione delictum potiùs auget, cùm Divino mandato magìs obedire debuiſſet.

v. 14. *Et ait Dominus Deus ad Serpentem* (a) *qvia feciſti hoc* (b) *maledictus es* (c) *inter omnia animan-*

tia

tia & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris (d) *& terram comedes* (e) *cunctis diebus vitæ tuæ.*

ἐξήγησις.

(a) *Ad Serpentem)* ſcil. perſonatum. Eſt autem ſententia hæc judicialis bipartita, cujus prior pars continet tres pœnas Serpenti naturali dictatas; poſterior ad Diabolum propriè ſpectat.

[b] *Qvia feciſti hoc*] q. d. qvia verſutis qvæſtionibus & mendacibus promiſſis hominem decepiſti, inqve meam majeſtatem non leviter injurius fuiſti, ac ſi meum mandatum vel non ſerium, vel iniqvum & ex invidia prolatum fuerit, en jam juſtiſſima te manet ultio. Marem & feminam interrogat, ſed tamqvàm de notoria malitia & indubitatà condemnat.

[c] *Maledictus es*] prima hæc eſt pœna Serpenti naturali, Diaboli organo, impoſita. Neqve enim ad Satanam propriè hæc verba referenda eſſe opinamur, cùm expreſsè animantibus & beſtiis terræ annumeretur, cui h. l. à Deo maledicitur. Durat autem hæc maledictio ad hunc uſqve diem. Cùm enim ante lapſum ſerpens naturalis dubio procul fuerit animal ſvave, pulchrum & domeſticum, inſtar alicujus catuli, cum qvo homo libenter converſaretur, nunc omnibus ferè hominibus exoſus atqve inviſus exiſtit, ſicut B. Luth. *fol.* 63: 77. obſervat.

[d] *Super pectus tuum gradieris.* Hebr. על־גחנך תלך LXX. ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ. Rectiùs *Pagn.* ſuper ventrem tuum gradieris. Referunt autem qvidam Patrum hoc ad Satanam, ut hic ſuper pectus gradi dicatur, qvia jam non cæleſtia, ut olim ante lapſum, ſed terrena, imò infernalia cogitet, ad pœnam ſuperbiæ, judicium

divinum cum horrere maximo extimeſcens. Licèt autem hæc contra analogiam fidei non ſint, nos tamen cum B. Luthero perſpicuitatem literæ urgentes etiam hanc pœnæ ſpeciem ad ſerpentem naturalem propriè pertinere ſtatuimus, qvamvis Dd. diſſentiant, qvomodo greſſus ſuper pectus eidem pœna eſſe poſſit. Et qvidem Corn. *p.* 88. ſcribit, naturale ſerpenti fuiſſe, ut per cavernas reptando ſuper pectus graderetur, poſt lapſum autem hominis eidem hoc confirmatum fuiſſe in pœnam & ordinatum in infamiam, cùm priùs nec abominabilis nec infamis ei hic greſſus fuerit, ſed ſuus ei inter beſtias locus & dignitas. Verùm cùm Deus in hac ſua ſententia judiciariâ expreſsè dicat, *qvia hoc feciſti &c. ſuper pectus tuum gradieris*, qvivis videt, hoc non de nuda confirmatione & ordinatione in pœnam intelligendum eſſe. Secundò ergò S. Baſilius & Didymus apud Corn. nec non B. Lutherus, *fol.* 63. 77. 78. Rung. *p.* 193. Selnec. *p.* 224. Pelarg. *p.* 82. Piſcat. *p.* 86. & Pareus, *p.* 126. putant, greſſum ſerpentis naturalis immutatum fuiſſe, cùm priùs erectô corpore inſtar pavonis aut galli pedibus inceſſerit. Nec hanc ſententiam efficaciter refellit ratio Corn. *p.* 88. qvando ait: Cur qvæſo ſerpenti, in qvo non erat culpa, naturalia dona tollerentur, qvæ nec dæmonibus propter peccata ablata fuerunt? Nam 1. falſum eſt, in Diabolo naturalia non fuiſſe mutata, ut jam dudum Noſtrates demonſtrârunt. 2. Cur Deus in deteſtation[illegible] peccati non potuiſſet ſingulare maledict[illegible] uere exemplum in ſerpente, qvi Sata[illegible] inſtrumentum, cùm naturam terræ im[illegible] ex fertili ſterilem fecerit, nec non in [illegible] hominum delicta beſtias ſimul ſuſtulerit? [illegible] men alii ſentiunt, ſerpentem qvidem

etiam

etiam ante lapſum ſuper pectus inceſſiſſe; non tamen reptatione tàm deformi, & tortuoſâ ſed elegante uſum eſſe; qvali poſt lapſum, & hæc ſententia non eſt improbabilis, ſi vera ſunt, qvæ Buxtorf. *in Lexic. p.* 110. ex R. Sol. monet, vocem גחון tantùm de reptilium ventre uſurpari.

[e] *Et terram comedes.* Hebr. ועפר תאכל *Pagn* & pulverem comedes. Explicant autem & hoc ipſum qvidam de Satana, qvi terrena comedat, hoc eſt, hujus mundi fecibus terrenis, peccatis ſcil. implicetur, hoc eſt, hujus mundi fecibus terrenis, peccatis ſcil. implicetur, ac hominibus terrena ſapientibus delectetur. Sed nos ῥητῶν cum D. Luth. ſeqventes ſtatuimus hanc pœnæ ſpeciem qvoqve ad ſerpentem naturalem pertinere, qvi nunc pulverem comedit, cùm anteà herbis & arborum fructibus cum aliis animalibus tamqvàm cibô uſus fuerit, qvod qvidam ex *Gen.* 1. 30. colligunt.

v. 15. *Inimicitias ponam* [a] *inter te & inter mulierem* [b] *& ſemen tuum & ſemen illius.* [c] *ipſa* [*ipſum*] [d] *conteret* [e] *caput tuum* [f] *& tu inſidiaberis calcaneo ejus.* [g]

ἐξήγησις.

[a] *Inimicitas ponam.*] Hebr. ואיבה אשית LXX. ad verbum reddiderunt: καὶ ἔχθραν θήσω. *ſenſus eſt:* hoſtile odium immutabiliter ſanciam. Intelligit autem hoc Calvin. & Bell. *lib.* III. *de amiſs. gr. c.* XI. de naturali antipathia & odio hominum cum ſerpente & per anagogen ſaltem ad Chriſtum & Satanam refert: ſed nos cum B. Luth. *fol.* 78. Selnec. *p.* 225. Rung. *p.* 193. Piſc. *p.* 87. & aliis firmiter ſtatuimus, hanc ultimam pœnam propriè ad Satanam ſpectare, ſcopúmqve dicti eſſe, ſerpentem infernalem denunciatione pœnæ & æterni

ni exitii dejicere: hominem verò promiſſione liberationis à Satana, ſeveritate legis, peccati & mortis erigere; unde hic textus non immeritò primum Euangelium vocari ſolet. Nam hûc reſpiciunt Vaticinia *Gen.* XXII. 18. *Eſ.* VII. 14. *c.* IX. 6. *& alia*, idémqve oſtendunt circumſtantiæ textus. Meſſias enim, cujus perſona & officium h. l. deſcribuntur, ut poſteà oſtendemus, non contrivit caput ſerpentis naturalis, ſed infernalis, ut 1 *Job.* III. 8. & alibi declaratur.

]b] *Inter te & mulierem.*] Hebr. בֵינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה inter te & hanc ipſam [*qvam digitô qvaſi monſtrat*] mulierem, qvô ſenſu etiam Tremell. vertit, *q. d.* inter te ſeductorem & hanc ipſam mulierem ſeductam. Ineptè ergò monachi h. l. per mulierem literaliter intelligunt B. Virginem, & totam victoriam eidem non abſqve inſigni blaſphemia, & in Chriſtum contumelia adſcribunt.

[c] *Et ſemen tuum, & ſemen illius.*] per ſemen ſerpentis neqvaqvàm prolem ſerpentum naturalem intelligere debemus cum Judæis, ſed partim ſeductoris ſocios, partim homines impios, idololatras, hæreticos, perſecutores, & ſapientes hujus mundi, qvi odiô Chriſti, qvi eſt verum mulieris ſemen, & membrorum ejus ardent. Hi enim ſunt ex infernis & de mundo *Johann.* VIII. 23. hi Patrem habent diabolum, & deſideriis Patris ſui obſeqvuntur v. 44. *&* 1. *Johann.* III. 8. hi ſunt ſerpentes & progenies viperarum (*infernalium*) ut *Johann. B. Math.* III. 7. & ipſe Servator *c.* XII. 34. *c.* XXXII. 33. exponunt. Qvid autem per ſemen mulieris h. l. intelligatur interpretes diſſentiunt, Calvinus in Comment. h. l. qvem Beza, nec non Par. *in Com. p.* 128. defendunt, ſemen mulieris collectivè accipit pro omnibus poſteris Evæ,

qvi

qvi in ſerpentis ſemen non degenerant: Fundamenta ipſorum datâ occaſione in ipſo conflictu diluemus. Nos B. Lutheri ſententiam amplectimur, qvi ſemen mulieris hôc locô non accipit collectivè, ſed individualiter, ut *Gen.* IV. 25. *c.* XV. 3. *c.* XXI. 13. *c.* XXII. 18. & per illud ſolum Chriſtum intelligit, *in Com. f.* 81. Nam 1. ſemen mulieris, qvod h. l. intelligitur conteret caput ſerpentis, ut oſtendit ipſa verborum cohærentia. Demonſtrativum enim הוא reſpicit nomen præcedens זרעה. At nullus homo, qvi non eſt Chriſtus, conteret, vel contrivit caput ſerpentis, Ergò nullus homo, qvi non eſt Chriſtus, eſt ſemen mulieris, qvod h. l. intelligitur. 2 Infallibilem habemus interpretem Paulum, qvi de ſolo Chriſto *Gal.* III. 16. intelligit. 3. ita intellexiſſe Evam ex *Gen.* IV. 1. B. Lutherus & alii Dd. piè oſtendunt.

(d) *Ipſa.)* Ita legit vulgata, qvod etiam Sixtus V. & Clemens VIII. adprobârunt, & præter alios Bellarm. *lib.* II. *de V. D. c.* XII. nec non Corn. *p.* 88. defendere conantur. Sed contra hanc impiam depravationem facit (1.) *Codd. Hebb. Conſtantia.* Omnes enim, ut ipſi Lovanienſes in Catal. variarum lectionum fatentur & Arias M. in Commentatione Bibliis interlinearibus ſecundæ editionis præmiſſa teſtatur, in hunc uſqve diem habent pronomen maſc. הוא IPSE. Nec obſtat qvod Bellarm. *loc. cit.* teſtatur, ſe in uno Cod. legiſſe הוא. Cùm enim nec Bellarm. ipſe, nec Gretſerus hac de re ſæpius rogatus codicem illum nominârit, dubio procul intellexit editionem Antwerp. interlinearem an. 1572. apud Plantinum excuſam, ubi tamen per errorem non הוא ſed הות reperitur, & qvidem cum nota Kethib ac ſi ק Keri eſſet היא *ut* V. 12. *hujus*

c. At 1. Arias M. *loc. cit.* diſertè proteſtatur; hoc contra omnium Hebr. exemplarium conſvetam & conſtantem lectionem factum, & à ſua mente prorſus alienum eſſe. 2. hoc ſacrilegium ii, qvi ſecundæ editioni an. 1584. præfuerunt, deteſtati ſunt, & veram lectionem reſtituerunt. 3. Lucas Brugenſis notationibus ad Biblia Gen. III. expreſsè teſtatur, qvòd Gvido Fabricius Pici Mirandulani Principis auctoritate nixus excudi curaverit הוא licet היא errore poſitum fuerit. (2) *Analogia Gram.* Nam præcedit nomen זרע & ſeqvuntur verbum & affixum ejuſmodi, qvæ non fem. ſed maſc. generis ſunt. *Si* autem *licet perſonarum ſine cauſsa fingere mutationes, nihil certi unqvàm ex ſacris literis colligi poterit*, ut ipſe Bell *lib.* 1. *de Chriſto c.*v. ſcribit. (3.) *Res ipſa* Nulli enim hominum niſi θεανθρώπῳ opus, qvod h. l. deſcribitur, convenire poteſt, ut ex dicendis conſtabit. (4) *Complementi veritas*, Non enim modò de Chriſto aſſertivè legitur, qvòd deſtruxerit opera Diaboli 1. *Joh.* III. 8. & per mortem aboleverit eum, qvi mortis habebat imperium h. e. Diabolum *Hebr.* II. 14. qvæ nullibi B. Virgini tribuuntur: ſed etiam hoc omni homini præter Chriſtum denegatur *Pſal.* XLIX. 8. & excluſivè Chriſto tribuitur *Eſa.* LXIII. 3. 1 Tim. II. 5. (5) *Verſionum convenientia.* Nam Chaldæus de Filio mulieris, Targum Hieroſ. expreſsè de Rege Meſſia interpretantur, & LXX. habent maſc. αὐτὸν, etiamſi præcedat neutrum σπέρμα, non aliter ac D. Paulus *Gal.* III. 16. genus loqvendi mutat. Ex qvo etiam patet ante Chriſti tempora ſic lectum fuiſſe, qvemadmodùm in noſtris Codd. legitur. (6) *Doctiſſimorum Pontificiorum Ariæ M. Pagnini* &c. *adprobatio.* Imò ipſe Corn. *p.* 88. ubi vulgatam defendere conatur, concedit in Hebr. textu legi הוא *hu* hoc eſt ipſum, additqve qvod ita S.

Leo

Leo legerit. Qvod autem ſubjicit h. l. haberi Keri uketif, & in exemplaribus correctioribus notari veram lectionem, ſcil. הִיא *hi* id eſt, IPSA, gratis dicitur. Nam nec Maſoretæ hoc notârunt, nec ullum exemplar probatæ fidei, hac in parte, qvod in margine habeat הִיא hactenus prolatum fuit (7.) *S. Patrum Auctoritas*, qvi apud Witakerum, *tom.* 1. *p. m.* 289. videri poſſunt. Ceteri verò, qvi aliter allegârunt, vel non inſpexerunt fontes & nimium fidei vulgatæ tribuerunt, vel etiam per imperitiam Heb. lingvæ ad fontes recurrere non potuerunt.

(e) *Conteret.*) Heb. יְשׁוּפְךָ à rad. שׁוּף, qvæ ſignificat feſtinanter, occultè & ex inſidiis aliqvem obruere & conterere, uti ex *Job.* IX. 17. & *Pſal.* CXXXIX. 11. patet. LXX. verterunt per vocem τηρήσει, uti habet editio Baſileenſis. an. 1550. per Nic. Brylingerum excuſa, † qvod ſignificat: *obſervabit*, *animadvertet*, uti etiam Chaldæus reddidit: in editione tamen Commeliniana in fol. an. 1616. cum annotationibus Vatabli, aliísqve, habetur vox τειρήσει hoc eſt conteret, qvæ lectio etiam cum fontibus convenit.

(f) *Caput.*) Heb. ראשׁ Alludit autem ad ſerpentem naturalem, in cujus capite omne robur conſiſtit, ut ſupra ex Epiphanio audivimus; éſtqve adeò deſcriptio victoriæ Chriſti, qvi deſtruxit opera Diaboli 1. *Joh.* III. 8. & per mortem delevit eum, qvi habebat mortis imperium *Heb.* II. 14. nec non chirographum, qvod adversùs nos erat, delevit, & cruci affixit, exſpoliatósqve principatus ac poteſtates oſtentavit palàm, triumphans de illis per ſemet ipſum *Col.* II. 14. 15. qvod nemo niſi θεάνθρωπος præſtare poterat.

(g) *Et tu inſidiaberis Calcaneo ejus*) Hebr. ואתה תשופני אקב hoc eſt, & tu conteres ei Calcaneum,

F 5 ut

† & Exemplar Vaticanum Romæ editum.

ut rectè Pagninus, Tremell. Piſcator & alii vertunt, per qvod mors Chriſti figuratè deſcribitur. Per calcaneum enim h. l. Humana Chriſti Natura inſinuatur. LXX. autem in edit. Baſil. rurſus legunr: καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, cujus locô in edit. Commel. τειρήσεις ponitur.

v. 16. *Mulieri qvoqve dixit* (a) *multiplicabo* (b) *ærumnas tuas & conceptus tuos*, (c) *in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris* (d) *ipſe dominabitur Tibi.*

ἐξήγησις.

(a) *Mulieri qvoqve dixit*) Heb. אל־האשה אמר Ad hanc ipſam mulierem (*ſcil. qvæ peccaverat*) dixit. Incipit autem novam orationem, qvæ cum præcedentibus non connectitur, ut innuat, ſe iram ſuam in ſeductorem effudiſſe, jam verò ad homines ſeductos tremebundos ſedatiore animô ſe convertere. Calamitas enim, qvæ illis infligitur non tàm eſt ſeveri judicis pœna, qvàm paterna caſtigatio, cùm ipſos in æternum perdere potuiſſet, uti etiam B. Lutherus, *in Com. fol.* 83. obſervavit.

(b) *Multiplicabo*) Heb. הרבה ארבה multiplicando multiplicabo, hoc eſt vehementiſſimè & certiſſimè multiplicabo. Non enim tantùm infinitivus verbo adpoſitus ſignificationem intendit & auget, ſed qvoqve ipſa radix רבה & continuam & diſcretam qvantitatem notat, ut ita & multæ & magnæ moleſtiæ intelligantur, qvibus gravidæ ſunt ſubjectæ, id qvod etiam exemplum Rachel. *Gen.* xxxv. 16. 18. nec non qvotidiana experientia ſatis teſtatur. Hinc non tantùm Hecuba apud Euripidem ait, malle ſe decies in acie ſtare; qvàm ſemel parere; ſed etiam divina Majeſtas exqviſitiſſimos & inevitabiles qvaſi dolores exprimere volens, eos partu-

turientium doloribus conferre ſolet, uti *Eſ.* XIII. 8. *c.* XXI. 3. *Jer.* IV. 31. *c.* VI. 24. *c.* XIII. 21. *c.* XXII. 23. *c.* XXX. 6. *c.* L. 43. *Oſ.* XIII. 12. *Mich.* IV. 9. *Joh.* XVI. 21. & alibi videre licet.

(c) *Ærumnas tuas & conceptus tuos*) Heb. עִצְבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ dolorem tuum & conceptum tuum, hoc eſt, faciam conceptum tuum doloroſum. Vocat autem dolores conceptuum omnes dolores, qvos in geſtando & pariendo fœtu prægnantes ſuſtinere coguntur, cùm priùs ſine omni moleſtia, imò cum ſingulari voluptate eumdem geſtâſſent, non aliter ac virgo coronam capiti impoſitam citra ullum doloris ſenſum animô hilari geſtare ſolet, qvâ ſimilitudine B. Lutherus; *in com. fol.* 84. utitur.

(d) *Et ſub viri poteſtate eris*) Heb. וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ hoc eſt, & ad virum (erit) deſiderium tuum. LXX. καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου; qvorum verborum ſenſus non eſt hic: Paries cum dolore, ſed tamen iterum conjunctionem cum viro deſiderabis, ſed iſte: deſiderium tuum erit viro ſubjectum, hoc eſt, Viro Tibi præcipienti obedies, uti etiam Buxtorfius, *in Lex p.* 788. ex Aben Eſra explicat, & ita rectiſſimè noſter Lutherus reddidit: Und dein wille ſol deinem Mann unterworffen ſein, und er ſol dein Herr ſein, q. d. qvidqvid deſiderabis: neceſſe erit, ad virum recurras, ut illud impetres & perficias, uti etiam Corn. *in com. p.* 90. Vatablus, Pareus, Piſcat. & ex noſtraribus præter D. Lutherum D. Rungius in *Comment. p.* 207. exponunt.

v. 17. *Adæ verò dixit: qvia audîſti vocem uxoris tuæ,* (a) *& comediſti de ligno, ex qvo præceperam tibi, ne comederes,* (b) *maledicta terra in opere tuo* (c) *in laboribus comedes ex ea* (d) *cunctis diebus vitæ tuæ.*

ἐξήγησις.

(a) *Qvia audîſti vocem uxoris tuæ.*) Rectiùs Pagninus: qvia paruiſti voci (ſvaſoriæ) uxoris tuæ (magìs qvàm verbo meo) Nam שמע conſtructum cum ל ut h. l. & *Exod.* xv. 26. *Lev.* xxvi. 21. & cum ב *ut Gen.* xxii. 18. &c. idem eſt, qvod obtemperavit, obedivit, ſecundum Aben Eſram, qvô ſenſu etiam B. Lutherus h. l. reddidit & Corn. *p.* 90. Pareus, & alii exponunt.

(b) *Ex qvo præceperam &c.*) LXX. rurſus addunt vocem excluſivam μόνȣ: ſed juxta Heb. ſimpliciter ita ſonat: de qva (arbore) præceperam tibi, dicendo: non comedes ex ea, uti rectè Pagninus vertit.

(c) *Maledicta terra in opere tuo.*) Heb. בעבורך hoc eſt propter te (*prævaricatorem*) qvi tuâ inobedientiâ iram meam in te derivâſti, & æternam mortem es promeritus. LXX. autem decepti vicinitate literam ר & ד legerunt dubio procul בעבודך unde reddiderunt: ἐν τοῖς ἔργοις σȣ: qvos Vulgatus interpres imitatus eſt. Fruſtra autem vulgatam verſionem defendit Cornel. *p.* 90. qvia cum LXX. congruat, adeóqve lectio priſca ſit, indéqve verior. Nam 1. LXX. ſæpius à fontibus receſſiſſe conſtat. 2. rivulus ad fontem, non contra fons ad rivulum examinari debet. 3. ſi illa ſtatim lectio verior eſt, qvæ cum LXX. congruit, cur ſuprà v. 15. ab illis receſſit, ubi LXX. αὐτός, non autem αὐτὴ reddiderunt? 4. noſtram lectionem Doctiſſimi Scriptores Pontificii Arias Montanus, Pagninus & alii adprobârunt.

(d) *In laboribus comedes ex ea*) Heb. בעצבון תאכלנה In labore comedes eam, hoc eſt fructus ex terra propullulantes. Neqve enim inſtar ſerpentis pul-

ve-

verem homo comedere debet, ſed ſenſus eſt: non absqve difficultate & labore victum tibi ex terra parabis; éſtqve adeò metonymia cauſſæ.

v. 18. *Spinas & tribulos germinabit tibi,* (a) *& comedes herbas terræ.* (b)

ἐξήγησις.

(a) *Spinas &c.*) per ſynecdochen omnia ſegetum vitia complectitur. *Senſus eſt.* In omni tuo labore & moleſtia vix habebis herbas, qvibus famem ſedes & vitam tuam ſuſtentes.

[b] *Herbas*] In Heb. eſt עשב per enallagen numeri. Notat autem propriè herbam ſativam ex cultura vel ex ſemine ſuo rurſus provenientem. *Vide Gen.* I. 11.

v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuô;* [a] *donec revertaris in terram, de qva ſumptus es,* [b] *qvia pulvis es,* [c] *& in pulverem reverteris.*

Ἐξήγησις.

[a) *Veſceris pane.*) Heb. תאכל לחם. Vox autem לחם panis, qvæ deſcendit à radice לחם hoc eſt veſci; & ἄρτος, qvam h. l. habent LXX. in ſcripturis omnem cibum complecti ſolet, ut ex h. l. non ſolùm, ſed & ex *Gen.* XVIII. 5. *Deut.* VIII. 3. *Eſ.* III. 1. *Marc.* III. 20. VII. 2. *Luc.* XIV. 1. *&c.* manifeſtum eſt.

[b] *De qva ſumtus es.*] Heb. כי ממנה לקחת *Paguinus:* Nam ex ea ſumptus es. *Tremell.* cùm ex ea deſumptus fueris. Pareus autem monet particulam כי h. l. non eſſe cauſſalem, ſed limitantem, hôc ſenſu: *qvatenus ex ea ſumptus es.* Nam ſpiritus ad Deum revertitur *Eccl.* XII. 7. ſed etſi vel maximè Cauſſaliter explicetur, nihil tamen veritati orthodoxæ

doxæ decedet. Commodè enim ſic declarari poteſt: Tam diu in ſudore vultus tui pane veſceris; donec in terram revertaris. Qvamvìs enim te æternæ morti ſtatim ſubjicere poſſem, tamen qvia ex terra deſumptus es & ad terram te convertiſti, in terram converteris.

[c) *Qvia pulvis es.* Ita etiam Pagninus & plerìqve alii interpretes, qvemadmodùm LXX. reddiderunt, ὅτι γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, qvod non omnes orthodoxi exponunt de conditione hominis, qvalis conditus erat, uti Bellarminus lib. de gratia primi hominis c. VI. & IX. facit. Nam ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ creatus eſt *Sap.* II. 23. ſed de ſtatu ejuſdem præſenti, qvalis poſt lapſum factus erat. Alii verò referunt ad originem hominis hôc ſenſu: Qvia originis ratione ex pulvere [terræ] deſumptus es, & per abuſum liberi arbitrii ad terrena te convertiſti, qvamvìs ad vitam æternam creatus eras, hæc erit pœna tua, ut in terram revertaris. Et ſanè particulæ tam inſeparabiles, qvàm ſeparabiles freqventer omittuntur, qvod Cl. noſter Troſtius *p. m. in Gr. Heb. p.* 128. 129. multis exemplis oſtendit. Sic *Gen.* II. 7. Formaverat igitur Deus hominem עפר מן־האדמה è pulvere terræ, ut rectè Pagninus vertit. Atqve hæc explicatio mihi probabilior videtur, qvòd & immediatè præcedentia loqvantur de origine כי ממנה לקחת & *Eccl.* III. v. 20. integra occurrat phraſis: Omne fuit מן־העפר ex pulvere & omne revertetur ad pulverem.

v. 20. *Et vocavit* (a) *Adam nomen uxoris ſuæ Heva* (b) *eò qvod mater eſſet cunctorum viventium.*

ἐξήγησις.

[a] *Et vocavit*] Corn. à Lap. *in Com. p.* 91. vult h. l. eſſe prolepſin ſeu anticipationem: Contigiſſe

ſcil.

ſcil. hoc poſtqvàm Adam ejectus erat à Paradiſo, cùm ſtatim poſt peccatum & ſententiam Dei judiciariam ſit expulſus. Alii tamen rectiùs ſtatuunt, Adamum abſolutâ judicis ſententiâ ſtatim nomen illud Uxori impoſuiſſe, qvia promiſſionem de benedicto ſemine perceperat.

[b] *Heva*] Heb. חוה hoc eſt, vivens [non autem ζωὴ, vita, ut LXX. vertunt] ab effectu, ut Moſes ipſe in immediatè ſubſeqventibus innuit, cùm antea נקבה femina *c.* 1. 27. ratione ſexus, & אשה viriſſa *c.* 11. 23. ratione Originis vocata fuerit. Nominat autem eam חוה cum vau & non חיה cum Jod, ut inter nomen ejus & nomen animalium, ac ceterarum rerum viventium aliqvod diſcrimen eſſet, ut Aben Ezra obſervavit: Et aliàs etiam literæ Vau & Jod facilè inter ſe permutantur, ut ex Grammaticis notum eſt. Atqve hæc eſt vera nominis hujus explicatio. Alii deducunt à חוה hoc eſt locutus eſt, annunciavit & indicavit, qvia femina eſt animal loqvax & garrulum, ſed potiùs eſt alluſio qvàm vera derivatio, ut Cl. Buxtorf. in *Lex. p.* 221. præter alios docet. Prorſus autem nugivendus eſt Corn. à Lap. in *Com. p.* 92. Nam primò ſcribit Rabinos perperam ſubjeciſſe puncta, qvia legendum ſit חוה hoc eſt Cheva vel Heva. Ita enim legerunt, inqvit, LXX. noſter & alii. Nam ut controverſiam de punctis jam noſtram non faciamus R. 1. Arias M. Pagninus & alii eruditiſſimi Pontificii nobiſcum ſentiunt. 2. Nomina propria in aliis lingvis ſæpè aliqvalem mutationem ſubeunt, ut vel ſola vox Jeſus indicare poteſt 3. ipſe Apoſtolus 2. *Cor.* XI. 3. nec Cheva, nec Heva, ſed abſqve adſpiratione Eva legit 4. ſi illa ſtatim lectio verior eſt, qvam LXX. habent, cur ſuprà v. 15. ab illis deceſſit? Deinde ex Lyrano & Abulenſi notat: *Evam ſignificare matrem omnium*

omnium non ſimpliciter, ſed ærumnoſè & miſerè in hac vita viventium. At in voce חוה nihil eſt; qvod ærumnas aut miſeriam connotet. Tertiò addit: *Hinc piè aliqvi contemplantur, aptè vocari Evam, qvaſi hoc nomen alludat ad ejulationem parvulorum ex Eva progenitorum. Maſculus enim recenter natus ejulando dicit A, femina verò dicit E, q. d. Dicant E vel A qvotqvot naſcentur ab Eva.* Sed pia illa contemplatio omni deſtituitur fundamentô. Aliam nominis impoſiti rationem Moſes verbis immediatè ſubſeqventibus indicat. Verùm nondum nugarum ſatis! Pergit enim & inqvit: *Rurſum Eva per Anaſtrophen & Apocopen Latinè eſt Ve, per ſolam anaſtrophen eſt Ave, qvod B. Virgini ſalutando detulit Gabriel Archangelus.* Miror hominis ineptias! Qvis enim hac voce Latinâ Angelum uſum fuiſſe credet, niſi qvi Cornelii ſimilis, hoc eſt nugis delectatur? ſed nunc ad magis ſeria revertamur!

(c) *Eò qvòd eſſe mater.*] Non ſunt verba Adami, ſed Moſis, qvod verbum præteriti temporis oſtendit.

v. 21. *Fecit qvoqve* (a) *Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas.* (b) *& induit eos.* [c]

ἐξήγησις.

(a) *Fecit.*) Hoc Calvinus ſic exponit: Dedit Adamo & uxori induſtriam conficiendi ſibi veſtes; ridétqve noſtram expoſitionem ſimplicem, qvòd Deus ipſe tegumenti locô tunicas pelliceas exulibus parârit: ſed nobis grata eſſe debet ſcripturæ ſimplicitas, à qva nullo modô recedendum, niſi vel circumſtantiæ textus, vel prægnans aliud fundamentum contrarium ſvadeant.

(b) *Tunicas pelliceas.*) Heb. כתנית עור, hoc eſt, tunicas pellis.

[c] Et

[c] *Et induit eos.*] Heb. וילבשם qvod etiam ſic intelligi poteſt: *Et fecit eos induere*, ut aliàs verba in hiphil hôc ſenſu uſurpantur.

v. 22. *Et ait: Ecce* (a) *Adam* (b) *qvaſi unus ex nobis factus eſt* (c) *ſciens bonum & malum. Nunc ergo* (d) *ne fortè mittat manum ſuam* (e) *& ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* (f.)

ἐξήγησις.

(a) *Ecce.*) Heb. הן qvæ particula h. l. non eſt nota Promptitudinis, ut *Eſ.* LII. 13. nec certitudinis, ut *Luc.* XVIII. 31. nec exhibitionis, ut *Joh.* I. 29. 36. ſed attentionis. Solet enim Spiritus Sanctus hôc aſteriſcô uti ad res maximi momenti probè perpendendas, ut *Eſ.* VII. 14. *Zach.* IX. 9. *Matt.* XXI. 5. *Eſ.* LXII. 11. & alibi. Et ſanè h. l. multa notatu digniſſima nobis perpendenda inſinuantur. Nam & hominis miſeria, & diaboli aſtutia, & perſonarum in eſſentia divina pluralitas qvaſi digitô qvôdam monſtratur.

(b) *Adam.*) Heb. האדם qvod Pagninus vertit: *En homo ille.* Cum qvo Pareus ſentit, qvi & ipſe adpellativè intelligendum eſſe exiſtimat, qvia loqvatur de utroqve homine, reis, & habitu pelliceô aſtantibus ac auſcultantibus. LXX. tamen, B. Lutherus, Piſcator *in Com. p.* 89. & alii per nomen proprium reddiderunt.

(c) *Qvaſi unus ex nobis.*) Heb. כאחר ממני ſicut unus ex nobis: qvod Lyra cum Judæis ita exponit: qvaſi unus ex nobis Angelis. Ineptè! Nam 1. Moſes non ſcribit, qvòd aliqvis Angelorum dixerit: *Ecce Adam qvaſi unus ex nobis*, ſed qvod Jehova Elohim hoc dixerit. At 2. Vox Jehova abſolutè poſita ſoli Deo, creatori cæli & terræ, convenit.

3. Qvis absqve inſigni contradictione aſſeret Jehovam eſſe ex numero Angelorum, aut Angelum aliqvem de divina eſſentia participare? 4. Deus his verbis reſpicit fallacem promiſſionem Satanæ v. 5. qvod ex verbis additis: *ſciendo bonum & malum:* manifeſtum eſt. At non Angelicam, ſed divinam ſimilitudinem aſtutiſſimus Sophiſta polliceri videbatur, qvæ argumenta rectiſſimè urget B. Lutherus, *in Com. fol.* 92. & 93. Qvid verò Johannes Calvinus? ille *in Com. p.* 52. 53. ait: Chriſtiani doctrinam de tribus perſonis h. l. eliciunt, ſed vix firmum eſt hujuſmodi argumentum, qvoniam hîc Adam ſub dictione Nobis comprehenditur. Verùm 1. non absqve abſurditate partitivum *Unus ex nobis* ad Adamum referri poteſt. 2. contra eum militant omnia argumenta, qvæ contra Judæos modò protulimus. 3. S. Patres, *Auguſt. lib.* 11. *de Gen. ad lit. c.* XXXIX. *Cyrill. Alex. lib.* III. *contra Jul. p.* 64. *Juſtinus Martyr.* & alii ex h. l. pluralitatem perſonarum probant. 4. Ipſi Dd. Calviniani, *Muſculus*, *P. Martyr*, *Pareus in Com. p.* 139. nec non Piſcator in Notis *ad verſionem Germ.* ut teſtimonium Pluralitatis Perſonarum in Eſſentia Divina hunc locum urgent. Porro verò notandum eſt, qvòd hæc Oratio non ſit ironica & ſarcaſtica illuſio, qvaſi Deus inſultet hominis miſeriæ & eâdem delectetur; nec merè συμπαθητικὴ, qvâ Deus atteſtari velit, ſe ſenſu ingentium miſeriarum generis humani intimè affici, ut qvidam exiſtimârunt; ſed eſt potiùs vox σχετλιαστικὴ Dei verè indignantis, & 1. graviſſimè reprehendentis inſaniam & ingratitudinem primorum parentum, qvòd perfectione Concreatâ non contenti divinam conditionem ſtultè affectârint. 2. iraſcentis Diabolo, qvi hoc Protoplaſtis perſvaſerat, qvòd divinam excellentiam conſecuturi eſſent. 3. priorem ſtatum innocentiæ ho-

homini in memoriam revocantis; & 4. Protoplaſtos & poſteros eorum à ſuperbia & aliis peccatis deterrentis, uti rectè D. Lutherus, *in Com. fol. 92. exponit.*

(d) *Nunc ergò.)* Heb. ועתה LXX. καὶ νῦν. Eſt autem Oratio elliptica, qvalis *Gen.* XLII. 4. & alibi occurrit, qvæ hôc modô ſuppleri poteſt. Nunc ergo *ſcil.* videndum vel *Cavendum eſt*, qvalis apoſiopeſis ſolet eſſe hominis perturbati, ut ſic h. l. Deus per ἀνθρωποπάθειαν introducatur: vel: Nunc ergò *ſcil. expellendus eſt ex Paradiſo*, ut ſit oratio abrupta, qvaſi judicis ad exſecutionem feſtinantis. Prior expoſitio eſt Tremell. & Piſcatoris *in Com. p.* 90. poſterior Pareo placet. Utrámqve Cornel. *p.* 93. ſine cenſura conjungit. Varablus autem & hoc ſubintelligi poſſe exiſtimat: *Cavete o vos Angeli, ne mittat* &c. Nos permittimus, ut qviſqve ſuô hîc abundet ſenſu, cùm nulla ſententia ſit improbabilis.

(e) *Ne fortè mittat.)* Heb. פן־ישלח ידו qvæ rectiùs abſolutè hôc modô redduntur: ne extendat manum ſuam &c. adeóqve contra ſententiam judicis vitam ſibi eſu arboris prorogare conetur, & peccatum peccatô cumulet.

(f) *Et vivat in æternum.)* LXX. καὶ ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. ſed in Heb. eſt: וחי לעלם & vivat in ſeculum; ſuper qvæ verba Calvinus *in Inſtit. lib.* IV. *c.* XIV. *n.* 12. ita ſcribit: Qvid audimus? an ſuam Adæ incorruptionem, à qva jam deciderat, reſtituere poterat fructus ille? minimè. Sed hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet: ne vanâ fiduciâ fruatur, ſi promiſſionis meæ ſymbolum teneat: excutiatur illi, qvod ſpem aliqvam immortalitatis facere poſſet. Sed hæc Calvini gloſſa expreſsè contradicit Sp. S. Deus enim in his verbis non loqvitur de Adami opinione, ſed de re ipſa. Nos ergò ſimpliciter ver-

verbis inhæremus, cùm nullum ſit fundamentum ad Adverſario adductum, qvô abſurditatem literæ demonſtret, colligimúsqve cum D. Luthero ex hoc loco Adamum ſibi hanc vitam prorogare potuiſſe, ſi ex arbore vitæ comediſſet.

v. 23. *Emiſit eum Dominus Deus* (a) *de paradiſo voluptatis*, (b) *ut operaretur terram* (c) *de qva ſumptus eſt.*

ἐξήγησις.

(a) *Emiſit eum Dominus*) Heb. וישלחהו *Pagninus*: & emiſit. Rectiùs Tremell. & *Pareus*: idcircò emiſit. Qvomodo autem emiſerit diverſæ ſunt Dd. opiniones. Nam Corn. *in Com. p.* 93. diſputat, qvòd Deus emiſerit Adamum per Angelum, qvi eum vel manu eduxerit, ut Raphael Tobiam: vel abripuerit, ſicut Habacuc Angelus rapuit ex Judæa in Babylonem, qvòd S. Aug. & Abulenſi placet, prætereà addit, Angelum ex paradiſo Adamum tranſtuliſſe in Hebron, ubi creatus fuerit, vixerit & poſteà ſepultus ſit: Alii verò de mandato explicant, qvòd Deus eum exire juſſerit, *ut Pareus in Com. p.* 141. Nos qvia ſcriptura ſilet τὸ ἐπέχειν, utpote omnium tutiſſimum amplectimur.

(b) *De paradiſo voluptatis* מגן־עדן ex horto Eden, qvô ſenſu etiam B. Lutherus, Pagninus & alii reddiderunt.

(c) *Ut operaretur terram.*) Heb. לעבד את־האדמה hoc eſt, ad colendum terram. Eleganter Lutherus: Das er das Feld bawete.

v. 24. *Ejecitqve Adam* (a) *& collocavit ante paradiſum voluptatis* (b) *Cherubim*, *& flammeum gladium* (c) *atqve verſatilem* (d) *ad cuſtodiendam viam ligni vitæ,*

ἐξήγησις.

(a) *Ejecitqve Adam.* Heb. ויגרש את־האדם qvod Piſcator & Pagninus adpellativè vertunt. LXX. addunt: καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου hoc eſt, & collocavit eum ante paradiſum: ſed hæc in Heb. non extant. Verba autem ſubſeqventia; qvibus LXX decepti, non ad *Hominem* ſed ad *Cherubim* referenda ſunt. Eſt autem vox Heb. גרש emphatica, qvæ ejuſmodi expulſionem notat, qvæ cum impetu, vel indignatione qvadam conjuncta eſt, ut ex *Gen.* IV. 14. *Exod.* XXXIV. 11. *Lev.* XXI. 14. *Jon.* II. 5. & aliis locis manifeſtum eſt.

(b) *Ante paradiſum voluptatis.*) Heb. מקדם לגן־עדן hoc eſt, ab oriente ipſius horti, qvâ parte videtur magis acceſſibilis fuiſſe, ut Dn. D. Rungius piè conjicit, *in Com. p.* 215.

[c] *Et flammeum gladium.*] Heb. ואת להט החרב hoc eſt, & flammam gladii, qvod Piſcator *in Com. p.* 90. per hypallagen intelligendum eſſe putat hôc ſenſu: collocavit Cherubos cum flamma gladii, hoc eſt, cum gladio flammæ hoc eſt, flammeo, qvod rurſus per enallagen numeri exponit, probabile exiſtimans, ſingulos Cherubim gladium tenuiſſe peculiarem ad hominem arcendum. Contrà noſter Megalander *in Com fol.* 95. 96. opinatur, Angelos non vibrâſſe gladios, ſed flammam viſibilem figuram gladii præ ſe ferentem, qvæ expoſitio textui eſt convenientior.

[d] *Atqve verſatilem.*) Hebr. המתהפכת qvod Pagninus ad remotius refert ita: *& aciem gladii verſatilem*: poteſt tamen commodè ſatis àd proximè præcedens referri hôc ſenſu: *& flammam gladii hinc inde ſeſe vertentis*, ſcil. ad terrendum hominem, ut ne paradiſo adpropinqvaret, qvô ſenſu etiam Tremell. & alii verterunt.

Caput III.

Qvô contradictiones Adparentes conciliantur?

Expoſitô Dictorum ſenſu Contradictiones Adparentes conciliabimus. *Prima* occurrit in verbis v. 1. & 14. *hujus cap.* Serpenti enim loqvela adſcribitur, & tamen beſtiis agri annumeratur, qvibus nec per ſe loqvela convenit, nec convenire ullô modô poſſe videtur, cùm ſubjectum prorſus ſint inhabile. Sed ℞. ex hoc tantùm colligitur, qvod non fuerit purus ſerpens; ſed naturâ aliqvâ ſuperiore agitatus. Qvod enim Angelus per beſtiam ſermonem formare qveat & Bileami oſtendit aſina, *Num.* XXII. 30. per qvam Angelum locutum eſſe multi opinantur, & B. Cyrillus Alex. lib. III. contra Julian. exemplis profanis oſtendit.

Secunda eſt inter v. 1. & *Exod.* VI. 3. Ibi enim & aliàs ſæpius in Geneſi vocabulum Jehova expreſsè legitur, cùm tamen *loc. cit. Exodi* dicatur: *Ego Jehova: apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo omnipotente. At in nomine meo Jehovah non ſum cognitus eis.* Sed ℞. Qvidam dicunt, innotuiſſe qvidem Patribus ante Moſen vocem, ſed propriam ejus vim & rationem Moſi demum fuiſſe revelatam, qvòd ſcilicet Jehova dicatur, qvia compleat promiſſa pacta, adeóqve conſtans, firmus & verax ſit in promiſſionibus. Alii verò ſtatuunt hoc nomen Jehovah qvoad has literas ante Moſen non fuiſſe cognitum: in Geneſi tamen occurrere, qvia Moſes eô vocabulô Deum nominare voluerit, qvod uſitatum erat eo tempore, qvô ſcribebat, qvódqve divinitus ſibi erat monſtratum, non aliter ac urbem qvandam Bet-

hel

hel nominat, deſcribens profectionem Abrahæ *Gen.* XII. 8. qvia ſuô tempore hôc nomine gaudebat, à Jacobo ſibi impoſitô, qvæ tamen Abrahami tempore Luza vocabatur *Gen.* XXVIII. 19. Qvam ſententiam *Dn. D. Brentius in c.* III. *&* VI. *Exod. Dn. D. Andreas Oſiander in c.* III. *Exod. lit. b. Dn. D. Franzius tr. de Interpr. ſcript. orac.* 103. *& alii* ſeqvuntur.

Tertia eſt inter v. 6. *&* 7. Ibi enim Evam vidiſſe, hic verò ejus oculos demum apertos poſt lapſum eſſe dicitur. ℞. cum S. Auguſt. *ex lib.* XIV. *de Civ. Dei c.* XVII. Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum; Nam, & antea videbant; ſed ad diſcernendum inter bonum, qvod amiſerant; & malum, in qvod ceciderant. *Confer qvæ c.* II. *ad h. l. diximus.*

Qvarta eſt inter v. 6. & *Rom.* v. 12. Ibi enim expreſsè legimus, qvod uterqve Protoplaſtorum de arbore vetita comedendo peccaverit: hîc autem aſſeritur, qvòd per unum hominem peccatum in mundum intraverit. ℞. 1. Pſeudambroſius & Pelagius, teſte Eſtiô *in c.* v. *Epiſt. ad Rom. p.* 58. opinati ſunt, per hunc hominem non Adamum, ſed Evam intelligi, cùm à muliere lapſus initium factum ſit, ut v. 6. noſtri cap. conſtat. Sed hoc ex ſeqventib. firmiter refelli poteſt, cùm Apoſtolus Adamum ſemel atqve iterum expreſsè nominet. Alii putârunt Phraſin S. Pauli collectivè accipiendam eſſe, ut per unum hominem maſculus & femina ſimul intelligantur, qvia ſint una caro *Matth.* XIX. 6. non aliter ac Gen. I. 26. dicitur: *Faciamus hominem:* nec non v. 27. & *creavit Deus hominem, expreſsè tamen ſubjungitur: maſculum & feminam creavit eos.* Omnium optima eſt ſententia, qvòd per hominem illum intelligatur Adam, qvod patet 1. ex expreſſa determinatione *Rom.* v. 14. 2 Ex ſcopi

Apoſtolici obſervatione. Scopus enim S. Pauli eſt per Antitheſin primum hominem cum ſecundo, hoc eſt, Adamum cum Chriſto comparare, ut ex v. 12. 15. 16. 17. 18. & 19. manifeſtum eſt. 3. Ex alterius loci Apoſtolici 1. *Cor.* xv. 45. ſ. collatione Nec pugnat hæc explicatio cum v. 6. noſtri cap. qvia Apoſtolus *loc. cit.* non tam de peccato ipſo, qvàm ejus propagatione loqvitur, qvæ viro tamqvàm capiti mulieris 1. *Cor.* xi. 3. & principialiori generationis principio adſcribi ſolet, qvô ſenſu etiam *Beda & S. Aug. Dn. D. Hun. in c.* v. *ad Rom. p. m.* 211. *B. Meiſn. Anthr. dec.* 1. *diſp.* iv. *p.* 87. *Corn. à Lap. in c.* v. *ad Rom p.* 76. & *Eſtius loc. cit.*

Qvinta occurrit inter v. 6. 12. 17. & 22. nec non 1. *Tim.* II. 14. Nam ex locis cit. noſtri cap. conſtat, qvòd Adam ab Eva ſeductus ſit: Apoſtolus verò d. l. ait: *Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* De qvibus variæ Dd. opiniones. Qvatuor recenſet Bellarm. *lib.* III. *de amiſs. grat. c* VII. *Prima eſt*: Vir non eſt ſeductus, *ſc. à Diabolo* ſeu *ex colloqvio ſerpentis. Secunda*, vir non eſt ſeductus *ſc. prior. Tertia*, vir non eſt ſeductus *hoc eſt, non ſcribitur in Geneſi ejus ſeductio*, eô ſenſu, qvô Melchiſedech dicitur ab Apoſtolo Heb. VII. 3. ἀπάτωρ ϗ ἀμήτωρ &c. qvia nihil horum de eo legitur in ſcriptura. *Qvarta*, Vir non eſt ſeductus, *ſcil. in prævaricationem*, ut alicui autor prævaricandi fuerit, ſicut mulier viro. Sed & aliæ opiniones inveniuntur. *Qvinta* igitur eſt Magiſtri ſententiarum, qvi *lib.* II. *diſt.* 22. *fol. m.* 148. ſcribit: Adam non eſt ſeductus *in eo, in qvo mulier, ut ſcilicet crederet illud eſſe verum: Eritis ſicut Dii: ſed putavit, utrúmqve poſſe fieri, ut & uxori morem gereret, & per pœnitentiam veniam haberet. Sexta:* Adam non fuit ſeductus, *ſcilicet pro-*

propriè & formaliter. Nam propriè nemo decipitur, ait Eſtius (*in Com.* 1. *Tim.* 11. *p. m.* 779.) niſi à decipiente, id eſt, qvi fallendi animô falſum alteri perſvadet. Unde mulier in ſui excuſationem dixit: ſerpens decepit me: Vir autem non ait: mulier decepit me: ſed: mulier dedit mihi, qvam ſententiam Eſtius, *loc. cit.* Cornel. *in Com.* 1. *Tim.* 11. *p.* 721. & Bellarm. *loc. alleg.* ſeqvuntur. Nos primam, ſecundam & qvartam ſententiam conjungimus. Nam ſcopus Apoſtoli eſt afferre cauſſas, qvas propter mulieri nec docere nec auctoritatem in maritum uſurpare conceſſum ſit, qvia ſcilicet mulier & poſterior à Deo formata ſit, & prior ex externo ſerpentis colloqvio decepta & ſeductionis cauſſa viro fuerit. *Tertiam* opinionem non admittere poſſumus, qvia & fundamentô deſtituitur, & nihil ad Apoſtoli ſcopum facit. *Qvintam*, qvæ Lombardi eſt, rejicimus. qvia non convenit cum *v.* 22. *noſtri c.* qvô Deus ſtolidam credulitatem Adam objicit. Circa *Sextam* notamus (1) Qvod Bellarminus, Eſtius & Corn. S. Patres *Ignat. Iren. Epiphan. Chryſ. Cyrill. Alex. Hilar. Ambr. Auguſt. Proſper. Leonem, Fulgent.* qvos Bellarm. ipſe allegat, nec non *Theod. Oecum & Haym.* qvos Corn. citat, hac in parte dimittant. Hic ſcilicet eſt conſenſus Patrum, qvem Dd. Pontif. contra nos tantâ urgent ſuperbiâ! (2.) Adamum abſolutè loqvendo non eſſe ſeductum falſum eſt. Annon ſeductus eſt, qvi ſuggeſtione Diaboli credidit mulieri, falſam ſerpentis perſvaſionem repetenti; *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum?* v. 11. (3) in Græc. textu Apoſtolus utitur verbo ἀπατάω, qvod utiqve propriè aliqvem viâ deducere notat. πάτος enim viam tritam ſignificat. Annon autem Adam ſuggeſtione Diaboli & perſvaſione Evæ regiâ viâ de-

ductus eſt? (4) Ad ſeductionem propriè dictam animum fallendi reqviri, falſum eſt, cùm aliqvis ſeipſum ſeducere poſſit. 1 *Joh.* 1. 8.

Sexta Contradictio videtur intercedere v. 16. cum 1. *Tim.* II. 12. 13. Ibi enim ſubjectio in pœnam mulieri annunciatur; hìc verò S. Paulus ex ordine creationis probat, mulierem viro ſubditam eſſe. Reſp. Diſt. inter ſpontaneam alicujus ſubmiſſionem, qvæ abſqve omni eſt moleſtia: nec non inter moleſtam atqve adverſam ſubjectionem. Illa etiam ante lapſum locum habuit inter conjuges, cùm procul dubio ἐξοχὴ & prærogativa qvædam viro, tamqvàm capiti, convenerit, ſed citra omnem adverſitatem; cùm neqve maritus qvidqvam importunè vel iracundè fecerit, neqve uxor ulla in re illi refractaria fuerit: Hæc autem, poſtqvàm ἀταξία per lapſum eſt transrupta, peccati pœna exiſtit.

Septima eſſe videtur inter v. 17. ubi labor Adamo in pœnam imponitur & *c.* II. 15. qvô eidem labor ante lapſum injungitur. Sed ſalva res eſt. Nam Labor ante lapſum fuiſſet πόνος ἄπονος, ut Græci loqvuntur, hoc eſt, exercitium ad voluptatem & utilitatem: poſt lapſum eſt laborioſus & moleſtus, qvem ſudor narium, calli manuum & totius corporis defatigatio ſeqvuntur.

Octava eſt inter v. 19. Ubi homo in pulverem dicitur reverſurus, & *Syr.* x. 13. ubi dicitur, qvòd poſt mortem à ſerpentibus & vermibus devoretur. Sed ℞. 1. In Gr. ſimpliciter dicitur: ἐν γὰρ τῷ ἀποθανεῖν ἄνθρωπον κληρονομήσει ἑρπετὰ καὶ θηρία καὶ σκώληκας, qvod ſalvatur, ſi qvorundam hominum corpora vel inſepulta, aut minùs profundè recondita ejuſmodi animalia hæreditent, qvæ & ipſa tamen aliqvando in pulverem conver-

tun-

tuntur. 2. Eccleſiaſticus optimè cum Moſe conſentit. Nam & ipſe *c.* XL. 10. ſcribit: *πάντα ὅσα ἀπὸ γῆς εἰς γῆν, ἀναστρέφει.*

Nona eſt inter v. 22. Ubi dicit Deus; *Ecce Adam, qvaſi unus ex nobis*; & plurima alia ſcripturæ dicta, qvibus aſſeritur, qvòd Adam Dei ſimilitudinem amiſerit, & potiùs Diaboli ſimilis factus ſit. Verùm hæc ex iis, qvæ c. II. ad v. 22. adnotavimus, facilè conciliari poſſunt.

CAPUT IV.

Uſum capitis contra Hæreticos oſtendens.

Errant

I. CALVINIANI docendo

1. Deum non ſeriò voluiſſe, ut homo in integritate concreata perſiſteret, ſed ut laberetur, revera voluiſſe, Beza *part.* II. *Reſp. ad Acta*; & ſuô decretô ac Providentiâ ſic ordinâſſe; Calvinus, *lib.* III. *Inſt*, *c.* XXIII. §. 7. & 8. qvod decretum horribile eſſe fatetur ipſe *loc. cit.* §. 7.

2. Oportuiſſe hominem labi ut Deus manifeſtandæ juſtitiæ & miſericordiæ occaſionem haberet, Beza *in colloq. Mompeleg. p.* 428. 429. & qvia Deus ſic expedire cenſuerit *Calv. loc. cit.* §. 8.

3. Deum Satanam ad ſeducendum hominem provocâſſe. Zanch. *lib.* V. *de Nat. Dei c.* II. & impuliſſe, ut in ſimili negotio ſcribit Calv. *lib.* I. *Inſt. c.* XVIII. §. 2.

4. Deum hominem condidiſſe ut laberetur. Calv. *lib.* III. *Inſt. c.* XXIII. §. 9. Beza *in colloq. Momp. p.* 428. *Piſcator contra Schaffman. & alii.*

5. Dei

5. Dei voluntatem omnium rerum cauſſam. Calv. *lib.* I. *Inſt. c.* XVIII. §. 2. & Deum ipſum omnium (inter qvæ varia peccata cap. cit. recenſuerat) auctorem eſſe §. 3.

Ex qvibus manifeſtiſſimè patet, falſum eſſe, qvod ſcribit Alſtedius, *part.* IV. *Theol. Pol. controv.* 3. *p.* 464. qvòd nullus Orthodoxorum (*Calvinianorum*) unqvàm ſenſerit, Deum peccati auctorem eſſe.

Verumenimverò impiæ hæ aſſertiones ex noſtro capite ſufficienter refutari poſſunt. Non enim tantùm Diabolus v. 1. *&* 4. nec non libera Protoplaſtorum voluntas v. 6. peccati cauſſa aſſeritur, ſed etiam à Deo removetur. Nam peccatum ſeriò prohibuit v. 3. (confer. c. II. 17.) labentem ſeverè punivit v. 16. 17. Irritanti ſupplicium intulit v. 14. 15. cùm facientem mandatum & voluntatem Dei præmia Dei maneant *Joh.* XIV. 21. nec non lapſo medelam attulit v. 15. In ſpecie tamen addimus contra aſſertionem ſecundam (1) Juſtitia juſta non erit, ſi qvis puniendum reum, non inveniſſe, ſed feciſſe dicatur, ut rectè Fulgent. *lib.* I. *ad Monim.* ait & S. Aug. *lib.* III. *Confeſ. c.* II. malevola eſt benevolentia, ſi qvis miſerum aliqvem eſſe velit, ut ejus miſereatur. (2) Non ſunt facienda mala ut inde eveniant bona *Rom.* III. 8. (3) *οὐ χρεῖαν ἔχει ἀνδρὸς ἁμαρτωλοῦ πᾶν βδέλυγμα ἐμίσησεν ὁ κύριος.* *Syr.* XV. 12. qvibus directè Calviniani contradicunt (4.) Juſtitiæ ſpecimen jam antè in punito Satana ediderat. (5) Sicuti æternitatem & alia attributa, ita qvoqve juſtitiam & miſericordiam ſuam verbis homini manifeſtare potuiſſet, etiamſi nulla creatura peccâſſet.

II. SCHO-

II. SCHOLASTICI.

Naturalia poſt lapſum in homine integra manſiſſe ſtatuendo. Corruptionem enim naturæ conſcientiæ morſus, juſtitiæ Originalis defectus, pudibundus corporis aſpectus v. 7. Præpoſterus occultandi modus v. 8. Vitæ deniqve exitus v. 19. manifeſtiſſimè oſtendunt.

III. PHOTINIANI.

1. *Deitatem Chriſti negando.* Contra ſemen mulieris caput ſerpentis infernalis concuſſit v. 15. qvod nudus homo præſtare non potuiſſet *Pſal.* XLIX. 8.

2. *S. Patres, qvi ante Abrahamum vixerunt, nihil de Meſſia ſciviſſe, illi autem primùm promiſſionem Meſſiæ factam eſſe impudenter aſſerendo.* Vid. Smalcius, *lib. de Div. Chriſti c.* 11. Contrà ipſa Moſaici textus cohærentia oſtendit, verſum 15. non de alio, qvàm Meſſia exponi poſſe. Contritio enim capitis ſerpentini regni Diabolici eſt deſtructio, qvod Chriſti opus eſſe ex *Joh.* XIV. 30. & 1. *Joh.* III. 8. planiſſimè conſtat. Adde qvod Apoſtoli in N. T. ſæpè ad hoc πρωτευαγγέλιον digitum intendant, ut ex *Gal.* III. 16. *c.* IV. 4. 2. *Cor.* XI. 3. 1. *Joh.* III. 8. manifeſtum eſt.

3. *Adamum in ſtatu primævæ integritatis adeò rerum ignarum fuiſſe, ut vim arboris vitæ ignoraverit, impudenti ore garriendo.* Vid. Socinus, *lib. de ſtatu primi hominis.* Contrà, ſi Adam ignoràſſet arboris vitæ virtutem, qvi ſubſiſterent, qvæ v. 22. legimus, Divinam ſcilicet majeſtatem ideò Adamum Paradisô ejeciſſe, ut ne de ligno vitæ comederet, & in æternum viveret?

IV. FLA-

IV. FLACIANI.

PeccatumOriginis ipſam hominis ſubſtantiam eſſe pugnando. Contrà. Chriſtus eſt ſemen mulieris, v. 15. adeóqve noſtram naturam non autem peccatum originis aſſumpſit.

V. φαντασιακοὶ καὶ δοκῆται.

Docendo, Filium Dei non aſſumpſiſſe veram humanam naturam, ſed Phantaſma tantùm & ſpeciem qvandam corporis externam, qvod dogma Saturninus apud Iren. *lib.* 1. *c.* XXII. Baſilides apud Epiphan. *hær.* XXIV. Cerdoniſtæ & Manichæi apud S. Auguſt. *lib. de hæreſ.* propugnant. Contrà non putativum, ſed verum mulieris ſemen eſt. v. 15.

VI. ἑτερούσιοι.

Statuendo, *Chriſtum non habuiſſe verum corpus, ut Valentiniani apud S. Aug.* & noſtris temporibus Anabaptiſtæ & Schwenckfeldiani volunt; *vel tamen jam non habere carnem nobis conſubſtantialem*, qvod Apellitæ apud S. Auguſtin. aſſerunt, dum Chriſtum in aſcenſione carnem ſuam depoſuiſſe, ſtatuunt. Contra ſi diverſam à noſtra naturam obtineret, aut poſteà eandem depoſuiſſet, mulieris ſemen ex v. 15. non poſſet ſalutari.

VII. ADAMITÆ ſeu ADAMIANI.

Qvi nudi velut ex matre, tùm viri, tùm feminæ, congregantur, & ſic lectiones ac preces, & qvæcumqve alia perficiunt, ut S. Epiphanius eoſdem deſcribit. Sed hanc ſpurcitiem Deus deteſtatur, qvod ex v. 21. manifeſtum eſt.}

Caput V.

Qvô Textus à Sectariorum abuſu vindicatur.

Abutuntur hôc capite

I. PONTIFICII. Nam

1. Bellarm. *lib. de grat. primi hominis c.* IX. probare contendit, qvòd corpus primi hominis naturâ mortale fuerit, qvia cibô & potu indiguerit ut ex v. 2. *hujus c.* & *c.* I. 29. *patet.* Sed ℞ hæc ratio nulla eſt. Nam nec morbidus eſt homo, nec morti obnoxius, qvia cibi potûsqve indiget; Sed & morbos ſentit, & mortem ſubit, vel qvia homo cibô & potu, qvibus natura ejus debet conſervari, deſtituitur, vel qvia natura humana in nutrimento digerendo, & ad corporis humani partes decenter & cum fructu tranſmittendo, ſuô, uti debet, non fungitur officiô, qvorum neutrum humano corpori conveniſſet, niſi Protoplaſti noſtri peccâſſent.

2. Qvidam ex v. 2. colligunt, omnibus temporibus in populo Dei ciborum fuiſſe delectum, adeò ut in ipſo etiam Paradiſo arbor ſcientiæ boni & mali fuerit prohibita. Sic ergò in N. T. diſcrimen aliqvod ciborum mandari poſſe, ut certis diebus peccatum in certorum ciborum uſu, cultus verò in abſtinentia collocetur. Sed hæc collectio nimis liberalis eſt. Ut enim jam non urgeam, jejunium minimè delectu Pontificiô, ſed abſtinentiâ definiri, duo regero, qvibus conſeqventiæ vis manifeſtæ falſitatis arguitur. Primum eſt: Mandatum Protoplaſtorum non hominem, ſed Deum auctorem habuiſſe. At pontificii fruſtra mandatis hominum divinam majeſtatem colere præſumunt, Matth.

Matth. xv. 9. Alterum eſt, qvòd diſcrimen ciborum in N.T. per Apoſtolicam conſtitutionem ſit ſublatum *Col.* II. 16. Vid. B. Chemnitius, *parte* IV. *Exam. Con. Trid. p. m.* 166.

3. Cornelius à Lap. *in Com. p.* 87. è v. 7. colligit Evam juſtitiâ Originali non fuiſſe ſtatim poſt peccatum ſpoliatam, qvia aliàs erubuiſſet de ſua nuditate, nec auſa fuiſſet nuda ire ad virum, ſed præ verecundia latebras aut veſtem qvæſiviſſet, uti fecit mox, ut Adam peccavit. Sed Reſp. eſt fallacia cauſſæ. Prius enim non erubuit, qvia oculi ejus hujúsqve velati, & incredulitate excaecati manſerunt à Diabolo, ut Adamum qvoqve eò facilius ad lapſum commoveret, ut Megalander noſter in Comment. *p.* 68. obſervavit.

4. Qvidam Pontificii *ex* v. 9. *&* 12. confeſſionem Sacramentalem juris divini eſſe probare voluerunt, ut Gloſſa de pœnitentiâ diſtinct. 5. recitat, cujus infirmitatem tamen ipſa agnoſcit, & tandem concludit: meliùs dicitur confeſſionem inſtitutam fuiſſe à qvadam Univerſalis Eccleſiæ traditione potiùs, qvàm ex V. aut N. T. auctoritate ut refert B. Chemn. *part.* II. *Exam. p.* 325. Et ſanè ineptè Adami confeſſionem pro inſtituto Pontificiorum urgeri certum eſt, qvia 1. non eſt niſi peccati recens commiſſi enarratio 2. facile factu erat, at omnium eſt impoſſibilis. Pſal. XIX. 13. 3. confeſſio non apud hominem, ſed immediatè apud Deum deponebatur. Meritò ergò debebat pudere Bellarm. qvòd *lib.* III. *de pœnit. c.* III. hoc argumentum proferre non erubeſcat.

5. Patrocinium & interceſſionem Mariæ ex depravato textu v. 15. probare conantur: qvi error ex ſupra dictis refelli poteſt.

6. Qvidam inſulsè ex v. 17. carnium prohibitionem probare contendunt, qvia terra maledicta ſit, & per conſeqvens etiam animalia, qvæ in terra vivant,

vant; non aûtem aqva cum piſcibus. Nam 1. eâdem conſeqventiâ, panes, herbas, olera, radices & fructus prohibere deberent. 2. Deus ipſe exponit, qvô ſenſu maledictionem terræ intelligat, qvòd ſcilicet ſpinas & tribulos germinare & in labore ac ſudore vultus homo ex eadem comedere debeat v. 18. 19. 3. Deus ipſe poſt diluvium eſum carnis conceſſit *Gen.* IX. 2. 3. & in N. T. diſcrimen ciborum Leviticum ſuſtulit *Col.* II. 16. Vid. B. Chemn. *part.* IV. *Exam p.* 168.

7. Ex pœna v. 16. 17. 18. 19. Protoplaſtis, remiſsâ culpâ, dictatâ ſatisfactionis meritum excudere conantur. Sed Reſp. eſt fallacia cauſſæ, non enim ideò Deus reconciliatis calamitates immittit, ut vel ſint merita remiſſionis peccatorum, vel ſatisfactiones pro pœnis, cùm Chriſtus moriendo pro culpa & pœna perfectiſſimè ſatiſfecerit. *Rom.* VIII. I. *Eſ.* LIII. 4. 5. 6. 7. Sed 1. ut reſpectu aliorum ſint publica indicia Judicii divini adverſus peccata 1. *Pet.* IV. 17. 2. Ut piis ſint memorialia præcedentium & cautelæ futurorum. 3. Ut in nobis carnis concupiſcentiam mortificent, petulantiam carnis reprimant, fidem & ſpem explorent, ad humilitatem nos erudiant, patientiam & ſtudium precum excitent, & abominationem peccati, ne idem contemnamus, oſtendant. Vid. B. Chemn. l. c. p. 91. ſ. Dn. D. Gerh. tom. III. Locor. de Pœnit. & alii.

8. Bell. *lib. de gratia primi hominis c.* VI. *&* IX. *ex. v.* 19. colligit: hominem ex natura ſua pulverem eſſe, mortalem & fragilem, variis doloribus & laboribus obnoxium, adeóqve immortalitatem donum ſupernaturale fuiſſe. Sed hæc perverſio ex ſupra dictis intelligitur. Jam id ſaltem addimus. Sicuti poſt lapſum homo naturâ eſt filius

 lius

lius iræ *Epheſ.* II. 3. & morti ſubjectus: ita ante lapſum fuit filius gratiæ & vitæ. Et qvemadmodùm poſt lapſum Adam generavit filium ad imaginem ſuam, hoc eſt, peccator peccatorem *Gen.* V. 3. ita niſi peccâſſet, filios ad imaginem Dei hoc eſt, immortalis immortalem generâſſet. Dona autem ſupernaturalia gratiæ hæreditaria non ſunt. Vid. B. Meiſn. *Anth. dec.* I. *diſp.* II. *q.* 2. *p.* 43. *ſ.*

II. SCHOLASTICI.

Nam qvidam Eorum ex v. I. probare conati ſunt, mulierem ad imaginem Dei non fuiſſe conditam, qvòd Diabolum ex ſerpente loqvi neſciverit, adeóqve exactam rerum notitiam non habuerit. Sed I. theſis illa expreſſis verbis *Gen.* I. 27. contradicit. 2. Ex ignorantia illius ſimplici non poteſt inferri imaginis Dei carentia. Protoplaſtis enim noſtris ita ſapientia conveniebat, ut tamen omniſcii non fuerint, adeóqve qvædam ignoraverint. Inprimis autem Evam omnium omninò rerum externarum exactam notitiam habuiſſe, non ſine fundamento negatur, cùm proculdubio Adam utpote caput mulieris I. *Cor.* XI. 3. majoribus donis à Deo fuerit inſtructus.

III. CALVINIANI.

Ita enim Calvin. *lib.* I. *Inſt.* c. XIV. §. XVIII. Qvia promiſſio illa de conterendo Satanæ capite ad Chriſtum & omnia ejus membra communiter pertinet, ideò nego, vinci unqvàm vel opprimi ab eo fideles poſſe. Conſternuntur qvidem ſæpè, ſed non exanimantur, qvin ſe recolligant: concidunt violentiâ ictuum, ſed poſteà eriguntur:

Vul-

Vulnerantur, ſed non lethaliter. Verumenimverò 1. falſum eſt, qvòd promiſſio illa de conterendo Satanæ capite ad omnes Chriſtianos pertineat, ut *c.* II. *ad* v. 15. notavimus. 2. Fideles non tantùm lethaliter opprimi, ſed etiam æternâ morte qvoſdam perire, jam dudum noſtrates ex *Matth.* XIII. 20. 21. *Heb.* VI. 4. 5. *& aliis ſcripturæ locis* demonſtrârunt.

IV. PHOTINIANI.

Nam 1. *ex* v. 2. *&* 19. mortalitatem Protoplaſtorum probare conantur. Sed priori antea ſatisfactum eſt. *Vid. num.* 1. §. 1. *hujus cap.* Nec ideò homo mortalis eſt, qvia ex terra deſumtus, ſed qvia contra Legem divinam peccando mortis reus factus eſt. *Gen.* II. 17. Qvod etiam ex hoc ipſo loco paret, cùm mors à juſto judice in pœnam peccati Adamo h. l. annuncietur.

2. Socinus *ex* v. 7. colligit, Protoplaſtos neſciviſſe; qvòd nudi fuerint, qvia oculi ipſorum perpetratô jam delictô, fuerint aperti & ſe nudos eſſe noverint. Sed qvàm falſa hæc ſit collectio ex *Gen.* II. 25. & ex iis, qvæ *c.* II. diximus, intelligi facilè poteſt. Vid. Dn. D. Brochmand. tom. I. p. 307. 308.

V. ANABAPTISTÆ.

Illi enim è v. 17. evincere conantur, qvòd omnibus omnino ex æqvo manuariæ operæ exercéndæ ſint. Sed ineptè. Nam. 1. Si rigoroſè ſeqventia *in* v. 18. 19. urgere velint, ſolam agriculturam exercendam eſſe ſeqvetur, qvod abſurdum eſt. Sancti enim Patres & ante & poſt diluvium aliis etiam laboribus ſe & ſuos ſuſtentârunt.

runt: Sic Abel fuit ovium paſtor Gen. IV. 2. Melchiſedec fuit Rex Salem *c.* XIV. 18. Abraham 318. vernas domi gubernavit *c.* XIV. 14. Jacob pecuariam exercuit *c.* XXIX. 18. Joſeph. Pro-Rex Ægypti fuit *c.* XLI. 41 *ſ.* 2. in ſacris literis labor ille ita explicatur, ut pro diverſitate ſtatuum diverſa hominibus aſſignentur officia. Sic de ſtatu Oeconomico *Eph.* VI. 5. *ſ. Col.* III. 22. 1. *Tim.* VI. 1. *ſ. Tit.* II. 9. 1. *Pet.* II. 18. Politico *Rom.* XIII. 1. *ſ.* Eccleſiaſtico deniqve *Act.* XX. 28. 29. 1. *Cor.* IX. 14. 1. *Theſſ.* III. 5. 1. *Tim.* V. 17. *ſ. & alibi*, prolixè agitur. Colligimus ergò qvod v. 17. labor in genere cuivis pro ſuo ſtatu, in qvo vivit, à Deo præcipiatur.

CAPUT VI.

Breviſſimis attingens controverſias textum illuſtrantes.

QVÆSTIO I.

Cur Diabolus dicatur ſerpens antiqvus Apocal. XII. 1. *c.* XX. 2. 10.

℟. Serpens qvidem propter neqvitiam & vafritiem ſerpentinam. Cùm enim latenter obrepit per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit, ait Cypr. *tr.* III. *de ſimplicitate Prælatorum.* Antiqvus autem, qvia jam olim ad decipiendum Protoplaſtos ſe in ſerpentem transformaverat.

II. *An ſerpens naturalis cognoverit ſermonem, qvem per illum Diabolus formabat?*

℟. Cum S. Auguſt. ex lib. XI. de Gen. ad lit. *c.* XXVIII.

ꝟ. XXVIII. Serpens verborum ſonos non intelligebat, qvi ex illo fiebant ad mulierem. Ratio eſt, qvia eſt animal ἄλογον.

III. *Qvalis fuerit ſerpens, qvô Diabolus tamqvàm inſtrumentô uſus eſt.*

℞. Multi hac in re curioſi fuerunt. Beda, Dionyſ. Carthus. Bonaventura & alii fingunt fuiſſe ſerpentem blandum, & vultu virgineô præditum, qvod ridiculum B. Lutherus *in Com. fol.* 63. exiſtimat. Eugubinus putat, hunc ſerpentem fuiſſe baſiliſcum, qvi eſt Rex ſerpentum: Delrio viperam: Pererius ſcytalen fuiſſe exiſtimat. Sed hæc incerta ipſe Corn. *in com. p.* 82. pronunciat, qvia Scytales & baſiliſcus ſint ſtultæ naturæ, ínqve ſerpentem Dæmon ingreſſus ſit non veneni ſpargendi, ſed decipendi cauſsâ. Vatablus verò obſervat in Hebr. articulum ה præpoſitum emphaſin habere, qvaſi dicas: Ille verô ſerpens: ut intelligamus Moſen de noto ſerpente loqvi.

IV. *Cur mulier non exhorruerit ſerpentis ſpeciem, qvam nos fugere ſolemus?*

℞. Qvia ante lapſum omnia animalia homini fuerunt ſubdita & qvaſi domeſtica, adeóqve Domina animantium certa erat, nullum ſibi nocere poſſe, qvippe nullius peccati ſibi hactenus conſcia.

V. *Cur non timuerit Eva perceptô ſermone, ex ſerpentino ore progrediente?*

℞. Joſephus, *lib.* I. *Antiq. Judic. c.* II exiſtimat, bruta animalia in Paradiſo facultate loqvendi prædita fuiſſe. Sed hoc eſt ἄτοπον irrationabile. Cyrillus Alex. *lib.* III. *Contra Jul.* & Lombard.

lib. II. *ſentent. diſt.* 21. *lit. b. fol. m.* 145: exiſtimat, Evam ignorâſſe tum temporis, qvòd ſoli homini inter animantia loqvendi facultas à creatore conceſſa fuerit. Sed hoc perfectioni illius ſtatus repugnat. Nos ergo cum B. Rungio, *ex com. p.* 159. ſtatuimus, qvòd viventium mater non ignoraverit ſerpentem loqvelâ naturaliter deſtitutum eſſe, ſed lapsus Angelici hucúsqve ignara ſerpentem loqventem admirata fuerit, magìs intenta qvid loqvatur, qvàm qvis ſermonem inſtituat, ſuſpicata interim, hoc ſuperiore virtute qvâdam fieri. Metus verò omnis aberat, qvia adhuc tranqvillitate animi fruebatur, nullóqve peccatô infecta, inſtar beati Angeli ſecura exiſtebat.

VI. *Cur Spiritus S. aliqvantò obſcuriùs in hoc cap. de lapſu Protoplaſtorum agat, adeóqve claris verbis non aſſerat, Angelum lapſum ſerpentem naturalem agitâſſe & per eumdem Protoplaſtos ſeduxiſſe?*

℞. Ut clarior Lux Chriſto in N. T. tamqvàm Soli, omnia illuminanti, & myſteriorum involucra detegenti, relinqveretur, uti B. Lutherus, *in com. fol.* 60. exiſtimat.

VII. *Cur ſerpente & non alio animante Diabolus uſus fuerit?*

℞. Qvia ſerpens calliditate excellebat, de qva David *Pſal:* LVIII. 6. & Chriſtus ipſe *Matth.* x. 6. teſtatur. Eâ verò ad fallendum opus erat. Vid. B. Luther. *in Com. fol.* 60. *b.*

VIII. *Qva-*

VIII. *Qvalis Diabolus fuerit, qvi Protoplaſtos ſeduxit?*

℞. Qvidam apud Magiſtrum ſententiarum Sent. *lib.* II. *diſt.* 6. *lit. f. fol.* 120. exiſtimant, hunc Diabolum Luciferum fuiſſe, qvi & ſecundum Adamum tentaverit; ſed diverſô eventu, Ibi enim victor, hic victus atqve proſtratus abiit. Sed cùm ex ſcripturis firmiter probari neqveat, nos in medio relinqvimus.

IX. *Cur Diabolus primò mulierem, & non virum aggreſſus fuerit?*

℞. Qvidam putant mulierem non immediatè ex DEO, ſed ex Adamo præceptum de arbore vetitâ audiviſſe, ut ita faciliùs eamdem in contemtum verbi præcipitare potuerit. Rectiùs ſtatuunt alii, ipſum hoc feciſſe, qvia vir & ſagacior, ob majorem ſapientiam, ad fraudem obſervandam, & ad adpetendum fructum prohibitum minus irritabilis fuerit viſus, adeò ut B. Lutherus in *Com. fol.* 62. 63. ſcribat; ſe exiſtimare, Adamum futurum fuiſſe victorem, ſi primò Diabolus eumdem tentaviſſet: qvamqvàm & hoc accidere potuit, ut Eva longiùs à marito evagata delitias horti attentè luſtraverit, ex qvo Satanas tentandi occaſionem ſibi deſumſerit.

X. *Cur non directè Dei, verbiqve divini contemtum ſvaſerit, ſed ſubdolâ interrogatione diſcurſum inchoàverit?*

℞. Qvia ſic malitiam adverſarii Eva facillimè deprehendiſſet, & proculdubio omnibus modis exhorruiſſet.

XI. *Cur Lex Primæva Protoplaſtis data?*

℞. In miniſterii & Perfectionis ac ſufficientis Inſtructionis ſignum, nec non obedientiæ exercitium.

XII. *An Deus homini legem ferendo dederit occaſionem labendi?*

℞. N. Qvia & ut obſervaret eam, seriò præceperat, &, ut ſervare poſſet, ſufficientibus donis eum inſtruxerat, & cùm homo tentari cœpiſſet, eumdem interdicti ſui in conſcientia admonebat. Qvid igitur vineæ ſuæ ultra facere debuiſſet? *Eſ.* V. 4.

XIII. *Cur Deus non aliam legem præſcripſerit, qvam homo ſervare potuiſſet?*

R. Qvia & hanc facilè in tanta frugum optimarum copia ſervare, & qvamcúmqve aliam, ſi arbitrii libertatem malè collocare voluiſſet, eâdem ratione transgredi potuiſſet.

XIV. *Cur ſi Deus, ut homo perſiſteret, voluit, eumdem non ita creavit, ut ne qvidem labi aut peccare potuiſſet; aut non ſtatim in bono confirmavit?*

℞. Qvia cultum ſpontaneum habere, non verò præmium confirmationis ante pugnam conferre voluit. Rectè Damaſcenus, *lib.* IV. *de* O. F. *c.* XX. ἀβίαςον δὲ πρέπει τὸ καλόν.

XV. *Cur Deus hominem à ſerpente tentari permiſerit, cùm hunc Victorem futurum præſciverit, adeóqve lapſum non impediverit?*

℞. Ten-

℞. Tentationem permiſit, qvia obedientiam ſpontaneam ſibi exhiberi voluit; lapſum violentô modô non impedivit, ſed permiſit, qvia ex peſſimo optimum elicere novit, qvod tamen non lapſui, ſed ineffabili Numinis bonitati adſcribendum eſt. Aliàs autem ſuô modô impedivit, legem ferendo, comminationem addendo & ſufficientibus viribus hominem inſtruendo.

XVI. *An Præſcientia divina, homini, ut laberetur, neceſſitatem intulerit?*

℞. N. Nam & proprios actus, qvos ipſe effecturus erat, præſcivit, & tamen liberè eoſdem exercet. Omnia enim qvæ voluit fecit *Pſal.* cxv. 3. καὶ τὰ πάντα ἐνεργεῖ κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ *Eph.* 1. 11. Rectè Hier. in c. xxvi. Hierem. *Non ex eo, qvia Deus ſcit aliqvid futurum, idcircò futurum eſt, Sed qvia futurum eſt, Deus novit, qvaſi præſcius futurorum.*

XVII. *An Deus homini fecerit injuriam, qvòd eumdem à Diabolo tentari permiſerit?*

℞. N. Qvia & ad reſiſtendum & vincendum ſufficienti gratiâ eumdem inſtruxerat *Gen.* 1. 27.

XVIII. *An Deus nudus & qvaſi otioſus ſpectator lapſus humani fuerit?*

℞. N. Nam & labentem & impellentem graviſſimè punivit. *c.* III. 15. 16. *ſ.* & ne ad vitæ qvoqve arborem manum peccatricem extenderet, lapſo prohibuit *v.* 22. *ſ.*

XIX. *An non præſtiterit hominem planè non creari, qvàm ita formari, uti labi potuerit?*

℞. N. Qvia medicinam morbo paravit *c.* III. v. 15. Et eum in finem, ut laberetur, hominem non condidit *c.* I. 27.

XX. *An Filius Dei incarnatus fuiſſet, ſi vel maximè homo non peccâſſet?*

℞. Affirmativam tenet Bucanus in Inſtitut. L.x.Q. III. p. 100. Nos cum Thoma negamus. Rectè enim gloſſa ſuper 1. *Tim.* 1. Tolle morbos, tolle vulnera & nulla erit cauſſa medicinæ. Et ipſe Chriſtus *Matth.* IX. 12. ὀ χρεῖαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.

XXI. *Qvodnam fuerit primum Protoplaſtorum peccatum?*

℞. Apoſtolus in genere lapſum Protoplaſtorum vocat παράβασιν *Rom.* V. 14. παράπτωμα v. 15. & παρακοὴν v. 19. De prima autem radice qvaſi variant ſententiæ. Nam Ambroſius putavit primum peccatum fuiſſe, qvòd addiderit Eva: *&* *ne tangeremus*; Chryſoſt. qvòd cum ſerpente ſermonem miſcuerit. Sed hæc parum probabilia exiſtimat ipſe Cornel. à Lap. *in c.* III. *Gen.* Bell. *lib.* III. *de amiſſ. gr. c.* IV. *ſ.* Corn. *loc. cit.* & alii fontem inobedientiæ ſuperbiam fuiſſe ſuperbè contendunt. Nobis placet ſententia B. Lutheri, qvi *in com. ſuper.* III. *Cap. Gen.* rectè ſtatuit, *incredulitatem* fontem inobedientiæ fuiſſe. Hoc enim patet ex ordine tentationis. Nam Diabolus primò ſollicitavit Evam ad dubitationem de veritate aut ſano

ſenſu

ſenſu præcepti DEI, qvô fructum arboris ſcientiæ boni & mali prohibuerat. v. 4. Poſtea verò ad ſvadendum affectationem æqvalitatis cum Deo acceſſit *v.* 5. Qvin imò tàm diu verbis Diaboli fidem habere, & ad peccatum commiſſum compelli non potuiſſet, qvàm diu Deo ejúsqve verbo conſtanti fide adhæſiſſet. Rectè Lombardus, *lib.* II. *diſt.* 21. *lit. c. fol. m.* 146. *Qvæ dubitavit, ab affirmante receſſit & neganti adpropinqvavit.* Vid. B. Lutherus ipſe & B. Rungius, *ſuper* III. *c. Gen.* Item B. Meiſn. *Anthrop. Dec.* I. *diſp.* IV. *p.* 105. Dn. D. Gerh. *tom.* II. *de Pecc. Orig.* Dn. D. Brochm. *tom.* I. *p.* 433. *ſ. & alii.*

XXII. *An etiam ante tentationem Diaboli, Protoplaſti fuerint ſuperbi?*

℞. Qvidam ante Lombardum, *lib.* II. *diſt.* 22. *lit. b. fol.* 147. exiſtimant, qvamdam elationem in animo hominis præceſſiſſe, ex qva Diaboli ſuggeſtoni conſenſit. Sed hoc repugnat perfectioni illius ſtatus, qvæ ex Gen. *c.* I. 27. adparet. Nec malè Magiſter ibidem addit: *Qvod ſi ita fuit, non ergo alterius ſuggeſtione priùs peccavit, cùm auctoritas tradat, ideò peccatum Diaboli incurabile eſſe, qvòd non ſuggeſtione, ſed propriâ ſuperbiâ cecidit, hominis verò curabile, qvòd non per ſe, ſed per alium cecidit, & ideo per alium reſurgere potuit.*

XXIII. *An peccatum Adæ potuerit eſſe veniale?*

℞. Scotus & alii ſtatuunt fieri potuiſſe, ut Adam peccaret venialiter: Contra Cornelius, *in Com. ſuper c.* III. *Gen. p.* 84. ex Thoma diſputat, hominem in ſtatu innocentiæ non potuiſſe peccare venialiter, idqve ex ſpeciali Dei protectione. Nec enim

enim peccatum veniale, ait, auferre poteſt gratiam, nec rurſum conſiſtere poteſt cum perfectiſſimo illo juſtitiæ Originalis ſtatu. Sed tota hæc diſputatio nititur hypotheſi illâ, ac ſi qvædam peccata per ſe & ſuâ naturâ venialia eſſent, qvam falſiſſimam eſſe jam dudum noſtrates demonſtrârunt.

XXIV. *An Adam graviùs peccaverit, qvàm Eva?*

℞. Divortia hîc occurrunt ſententiarum. Nam Magiſter, *lib.* II. *dist.* 22. *lit. e. fol* 148. diſputat, Evam graviùs peccâſſe qvia 1. in ea majoris tumoris præſumtio fuerit. 2. In ſe & in proximum & in Deum peccaverit: Vir autem tantùm in ſe & in Deum. 3. Mulier graviùs punita ſit, cui dictum fuit, in dolore paries filios. Eamdem ſententiam, ſed aliis argumentis propugnat Chryſoſt. apud Bell. *lib.* III. *de amiſſ. grat. c.* 11. Contrà verò Ambroſius apud eumdem putat virum graviùs deliqviſſe. Auguſtini ſententia à Bell. propoſita eſt, utrúmqve parentem pari faſtu peccâſſe. Dn. D. Brochm. *tom.* 1. *p.* 439. tutiùs dicit cum ſcriptura hîc ἐπέχειν, qvàm citra ductum ſcripturæ qvidqvam temerè definire. Probabile tamen videtur, abſolutè loqvendo, Adami peccatum gravius fuiſſe, qvia majora eidem dona divinitus conceſſa erant.

XXV. *An Peccatum Adami fuerit omnium graviſſimum.*

℞. *Bell. lib.* III. *de amiſſ. Gr. c.* X. *Corn. in com. ſuper.* III. *c. Gen.* cum Scholaſticis negant fuiſſe abſolutè graviſſimum: contrarium verò ex Lege, circa qvam peccavit, loco, efficiente, Objecto, Fine & effectu ſeu pœna ſubſeqvente facilè colligitur. Nam committebatur eo in loco, qvi glo-

riæ

riæ cæleſtis typum geſſit *Apoc.* 11. 7. contra ejuſmodi legem, qvam facillimè ſervare potuiſſet; ab homine, totius humani generis perſonam gerente, & ſummis bonis divinitus inſtructo, *Gen.* 1. 27. ſed divinam æqvalitatem per arbitrii libertatis abuſum appetente *c.* III. 5. 22. qvo in Deum maximè injurius & ingratus ſeipſum *c:* II. 17. & ſuos poſteros *c.* V. 3. ſceleſtiſſimô homicidiô contaminavit, cui non tantùm gratiæ amiſſio, ſed etiam mors ſpiritualis temporaria & æterna ſucceſſit.

XXVI. *Annon peccatum in Spiritum S. gravius ſit peccatô Adami, cùm irremiſſibile ſit?*

℟. N. eſſe ex hac cauſſa. Nam remitti vel non remitti peccato adventitia ſunt.

XXVII. *An Adamus ex ignorantia peccaverit?*

℟. N. Qvomodo enim ignorare potuit Dei voluntatem, qvi ad imaginem ejus creatus erat *Gen.* I. 27. & Dei voluntatem de non comedendo diſertis verbis audiêrat *c.* II. 17?

XXVIII. *An Lapſus Adæ etiam ad nos pertineat?*

℟. Omninò. Qvia enim imaginem Dei pro ſe & poſteris ſuis inſtar feudi diligentiſſimè cuſtodiendam acceperat, ideo etiam non ſibi tantùm, ſed omnibus ſuis poſteris eamdem, de arbore vetita comedendo, perdidit. Unde poſteà non ad Dei, ſed ſuam hoc eſt, pecatricem imaginem & ſimilitudinem filium genuiſſe legitur. *Gen.* V. 3. Atqve hoc ipſum etiam experientia prohdolor! abundè docet. Omnes enim divinâ luce & filiali

fidu-

fiduciâ deſtituti naſcimur, omnes naturâ filii iræ exiſtimus *Eph.* II. 3.

XXIX. *Qvid Satanam ad ſeducendum hominem permoverit?*

℞. Invidia, qvâ ob hominis felicitatem ringebatur *Sap.* II. 24. & inſatiabilis nocendi cupiditas, qvâ nobiliſſimum DEI opificium in æternum exitium ſecum detrahere conabatur.

XXX. *Qvomodo peccatum Originis in nos tranſiêrit?*

℞. Non tantùm exemplô & imitatione; ut Pelagiani voluerunt, ſed carnali generatione. *Gen.* V. 3. *Joh.* III. 7. *Pſal.* LI. 7.

XXXI. *An ſi Eva ſola peccâſſet, peccatum Originis in poſteros propagatum fuiſſet?*

Reſp. Negativam veriſimilem cum Thoma eſſe docet Cornel à Lap. *in c.* V. *ad Rom. p.* 76. qvia Adam fuerit primaria cauſſa uti generationis, ita etiam peccati Originalis. Nobis illud probabilius eſt, nec Deum, nec Adamum fuiſſe admiſſurum, ut Eva peccatô infecta Adamo innocenti conjugaliter cohabitaret, niſi & ipſe priùs peccâſſet. Falſa enim eſt hypotheſis, qvam Bell. *lib.* IV. *de amiſſ. gr. c.* XIII. & alii defendunt, peccatum non per Evam & Adamum junctim, ſed per ſolum Adamum propagari, qvam eruditè refutat Brochm. *tom.* I. *p.* 456.

XXXII. *Cur Pontificii adeò pugnent pro vulgata verſione corrupta v.* 15.?

Reſp. Cauſ-

℟. Cauſſam ex Alberto Ingolſtadienſi Ecebolo adducit B. Chemn. *part.* 1. *Exam. Conc. Trid. p.* 102. dicente: In veteri litera vulgatæ editionis latent multa myſteria fidei (*ſcilicet Pontificiæ.*)

XXXIII. *Cur Spiritus Sanctus in primo Euangelio conciſô & figuratô ſermonis genere uſus fuerit?*

℟. Ut Diabolus perpetuô metu exerceretur; omnésqve mulieres haberet ſuſpectas. B. Lutherus, *in Com. fol.* 80. 2. Ut inter gratiam V. & N. T. illuſtre diſcrimen eſſet. 3. Ut in hominibus deſiderium ardentius excitaret.

XXXIV. *Cur Deus primum damnationis fulmen in ſerpentem ſtringat?*

℟. Qvia primò ſerpens, poſtea mulier, tertiò Adam peccaverat, eô etiam ordine judicii exſecutionem inſtituere voluit.

XXXV. *Cur Deus ſerpentem non prorſus annihilârit?*

℟. Qvia eum, tamqvàm teſtem ſceleris noſtri; oculis noſtris obverſari voluit. B. Rung. *in Com. p.* 192.

XXXVI. *An ſerpens naturalis, qvem Diabolus agitavit, intellexerit verba Dei maledicentis?*

℟. Neg. cum B. Luthero, *ex Com. fol.* 77. qvia eſt ζῶον ἄλογον.

XXXVII. *An*

XXXVII. *An etiam terra tribulos ſpináſqve produxiſſet, ſi vel maximè Protoplaſti non peccâſſent?*

℟. cum B. Luthero, *in com. fol.* 86. vel prorſus hæc & ſimilia non produxiſſet, vel ſanè eadem homini nocere non potuiſſent, ut ex v. 17. 18. patet.

XXXVIII. *An non pœna Protoplaſtis gravior ſit ſtatuta delictó?*

℟. Neg. qvia juſtus eſt Dominus & rectum judicium ejus *Pſ.* CXIX. v. 137. Nec lapſus primorum parentum in nudo pomi raptu conſiſtit, ſed ingentem peccatorum cumulum involvit, ut ex ſupra dictis conſtat.

XXXIX. *Cur Deus Protoplaſtos pellibus induerit?*

℟. Ut 1. pudibundæ nuditatis eos commonefaceret, 2. ut frugalitatem & ſimplicitatem veſtitus ipſis & poſteris commendaret: qvamqvàm & 3. hôc ipſo reſtitutio novæ pellis ſubindicari videtur, hoc eſt, nova juſtitia per & propter victimam, ſeu agnum filii Dei promitti, cujus pelle ſeu juſtitiâ induimur, & noſtra peccata teguntur *Pſal.* XXXII. 2. *Rom.* IV. 7. ut piè B. Selneccerus *in Com. p.* 236. obſervavit.

XL. *Unde arbor vitæ nomen acceperit?*

℟. Non tantùm, qvia ſpiritualem & æternam felicitatem adumbrabat, *Apocal.* II. 7. nec ſolùm, qvia hominem de vitæ à Deo acceptæ præſtantia commonebat: ſed qvia virtute divinitus communicatâ pollebat, qvâ vitam conſervare poterat, ne ullis incommodis labefactata expiraret, qvod

qvod ex v. 22. manifeſtè colligitur. *Vid. Beatus Luth. in Com. c.* 11. *fol.* 39.

XLI. *Unde arbor ſcientiæ boni & mali denominata ſit?*

℞. Partim ab eventu, qvia homo per decerptum & guſtatum arboris vetitæ fructum experturus erat, qvantum bonum amiſiſſet, qvantúmqve malum accepiſſet, qvæ S. Auguſtini eſt opinio; partim qvia Deus per hanc arborem protoplaſtorum obedientiam probabat. *Vid. B. Lutherus in Com. c.* 11. *fol.* 40.

XLII. *An facultas occidendi hominem fuerit arbori ſcientiæ boni & mali naturalis?*

℞. Negat B. Lutherus, *in Com. c.* 11. *fol.* 39. & verbo virtutem illam tribuit, qvod exemplô aqvæ ex petra ſalientis *Exod.* XVII. v. 6. 7. & ænei ſerpentis, virtute verbi infectos ſanantis, *Num.* XXI. 8. declarat.

XLIII. *Qvid per Cherubim Paradiſum cuſtodientes intelligatur?*

℞. Tertull. & Thomas referente Corn. à Lap. *in Com. p.* 93. per eos intellexerunt Zonam torridam; qvæ ob æſtum ſit impervia. Lyranus & Toſtatus ignem undíqve Paradiſum cingentem: Theodoretus & Procopius Spectra terribilia, qvalia terriculamenta contra rapaces aves in hortis collocari ſolent: Sed hæc, ut parum probabilia, Corn. ipſe rejicit: Nos ergo cum B. Luthero, *ex Com. fol.* 97. ceteríſqve interpretibus accuratioribus in-

telligimus Angelos viſibili formâ adparentes, qvam pleríqve humanam fuiſſe opinantur.

XLIV. *Qvô die Protoplaſti lapſi ſint?*

℞. Qvia ſcriptura ſilet, certi nihil determinari poteſt: Afferemus igitur opinionum diverſitates. Qvidam 1. diſputârunt, qvòd Adam tot dies, (ſc. 40.) in Paradiſo vixerit, qvot Chriſtus jejunavit. Alii tantum temporis ſpatium propugnant, qvantum ſecundus Adam in his terris conſumpſit. Sed hæc omni fundamentô deſtituuntur. 3. S. Irenæi conjectura eſt, eâdem feriâ ſextâ & primum Adamum lapſum, & alterum paſſum eſſe. Qvod ſi verum eſt, ad octavum uſqve diem Parentes in Paradiſo fuerunt. 4. Cyrillus & Epiphanius exiſtimant, qvòd Protoplaſti eôdem ſtatim die lapſi ſint, qvô fuerunt conditi. 5. Rurſus alii arbitrantur, Adamum die ſeptimô adhuc in paradiſo fuiſſe, qvia Deus diei ſeptimæ benedixerit, & eandem ſanctificaverit, ut *c.* 11. 2. dicitur. Sanctificatio autem iſta præceptum homini de Sanctificando die ſabbathi datum omninò inferre videtur. Ita ergo vel die ſeptimô, hoc eſt, primô à creatione, & ſic gravius fieret delictum; vel alio die inſtantis Septimanæ ſibi & ſuis poſteris ruinam attuliſſet. Et hæc ſententia maximè probabilis eſſe videtur.

XLV. *An eodem die, qvô peccavit, Adam paradiſô fuerit ejectus?*

℞. Aff. qvia ſtatim à lapſu ad judicium citatus, & ſententiâ latâ expulſus fuit, ut ex hiſtoria Moſis apparet.

XLVI. *Cur Deus hominem paradiſô ejecerit?*

℞. I. In pœnam peccati, 2. ne tàm ſanctum domicilium peccatis profanaret. 3. Ut ne contra Dei voluntatem de arbore vetitâ comedendo graviùs peccaret v. 22. 4. ut eſſet memoriale lapſus præteriti, & cautela futuri.

Cetera, qvæ de Paradiſo moveri poſſent, ſtudiô omittimus cùm ad c. II. potiùs, qvàm ad hoc noſtrum pertineant.

CAPUT VII.

Exhibens aphoriſmos Practicos.

I. *Serpentis forma hæreticorum eſt figura. V. I.* Ut enim in Paradiſo Satanas Protoplaſtos ſeducturus blandâ ſerpentis imagine in ſcenam prodiit: ita adhuc hodiè non tantùm terribili leonis rugitu homines terret 1. *Pet.* v. 8. ſed etiam per Pſeudo-Apoſtolos Angelicam Sanctitatem mentientes, 2. *Cor.* XI. 15. & Pſeudo-prophetas ovinâ pelle indutos Matth. VII. 15. fideles à regio cæleſtis veritatis tramite ſeducere conatur. Ne ergò eſto ſecura, ô Anima mea! Proba ſpiritus num ex Deo ſint, 1. *Joh.* IV. 1. & aſſiduè ſollicita divinum numen, ut ne Spiritum Sanctum à Te auferat. *Pſal.* LI. 13. ſed te ducat in via recta *Pſ* CXLIII. 11.

II. *Primum Diaboli artificium ſerpentini ingenii eſt indicium v.* 1. Ut enim Evam ſubdolâ & ad fallendum natâ qvæſtione ad dubitationis initia commovit: ita ſimili viâ omni tempore hæreſes in Eccleſia excitavit. Hàc arte Arium, eâdem Calvinum hæreticorum Anteſignanos ſeduxit. Neqve enim vel ille æternam Chriſti Deitatem, vel hic ve-

veram ac realem corporis Chriſti in cœna præſentiam umqvàm negâſſet, niſi Satanas eoſdem priùs ad dubitandum commoviſſet. *Vid. B. Lutherus in Com. fol.* 63. Qvoties igitur, *ô homo, Chriſto dedite*, de dictorum veritate ſiniſtra Tibi ſuboritur cogitatio, toties Protoplaſtorum peccatum Tibi ad preces ſit incitamentum, ut ne de eo dubitare incipias, qvod ad credendum divina Tibi proponit veritas.

III. Cùm aſtutiſſimus Sophiſta ſubinde nos omnes in verbi divini contemtum inducere ſtudeat, qvò tandem totos à Deo avellat, v. 1. agite, hanc ſalutis galeam, hunc Spiritus gladium *Eph.* VI. 17. firmiter cuſtodiamus, qvò ſcutô fidei ex auditu verbi accenſæ *Rom.* x. 17. omnia ſerpentis infernalis jacula, qvamvis ignita, exſtingvere poſſimus! *Eph.* VI. 16.

IV. *Ambiguô ſermone proximo inſidiari eſt Diabolum imitari v.* 5. Noſter ergo ſermo ſit: *Eſt, Eſt: non, non*, uti Servator *Matt.* v. 37. monet. Qvæ vera ſunt, honeſta, juſta ac pura & ſi qva alia virtus, hæc cogitemus, ait Gentium Apoſtolus. *Phil.* IV. 8.

V. *Mendacibus promiſſis proximum decipere eſt arti ſerpentinæ ſtudere. v.* 5. Antiqvus enim ille ſerpens in veritate non ſtetit, ſed eſt pater mendacii, ut ipsa veritas *Joh.* VIII. 44. docet. Qvòd ſi ergo divinos honores tibi promiſerit, aut regna gloriámqve mundi commonſtraverit, noli proſtratus eum adorare, ſed Protoplaſtorum lapſus memor cum Servatore tuo ſpiritus gladiô eidem fortiter reſiſte. *Matth.* IV. 10.

VI. Qvod Deus abſolutè affirmat, Diabolus per ſua Organa apertè negat, qvamprimùm hominem dubitantem ſpectat. v. 4.

VII. *Rei prohibitæ intuitus ſolet eſſe occaſio defectus*

v. 6. Exemplo viventium mater eſſe poteſt, à qva longiſſimè abfuiſſet miſeria, niſi eamdem corrupiſſet oculorum concupiſcentia. *Confer* 2. *Sam.* XI. 2. *ſ.* Averte ergò, ô *homo*, oculos tuos, ne vanitatem videant. *Pſal.* CXIX. 37. aut ſi alteruter obſtaculo Tibi fuerit, erue illum & abjice abs te. Expedit enim Tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus in Gehennam injiciatur, monente Chriſtô, *Matth.* V. 29.

VIII. Cùm intemperantiæ vitium æternum afferat exitium *v.* 6. agite honeſtè ambulemus, tamqvàm in die: Non in commeſſationibus ac ebrietatibus: non in cubilibus ac laſciviis: non in contentione & æmulatione; ſed Dominum Jeſum Chriſtum induamus *Rom.* XIII. 13. 14. ne graventur corda noſtra crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ, ſubitúſqve dies extremus nobis ingruat & inſtar laqvei in nos ſuperveniat, qvemadmodùm Servator, *Luc.* XXI. 34. 35. monet. *Confer Prov.* XXIII. 20. 21. *Item v.* 29. *ſ.*

IX. O qvàm verè dictum: *corrumpunt bonos mores colloqvia prava*! 1. *Cor.* XV. 33. Si enim noſtra omnium mater ſerpentis infernalis fugiſſet colloqvium, nec ipſa, nec poſteri in tantum perveniſſent exitium. Noli ergo, veræ pietatis ſtudioſe, blandis hæreticorum ſermonibus fidem dare. Habent formam pietatis, ſed vim ejuſdem abnegant, 2. *Tim.* III. 5. & inſtar cancri depaſcentis homines inficiunt. 2. *Tim.* II. 12. Qvapropter eoſdem poſt unam atqve alteram admonitionem fugito. *Tit.* III. 10. in domum ne recipito, imò nec Ave illis dicito 2. *Joh.* v. 7.

X. Ah miſeriam, qvòd fructum arbore vetitâ decerpſit! Ah funeſtam & numqvàm ſatis deplorandam calamitatem, qvod comedit! Ah ſummam gentis humanæ infelicitatem, qvòd viro dedit:

imò qvòd hic fructum porrectum deglutivit! *v. 6.* Qvid verbis exprimi, aut mente concipi triſtius poteſt, qvàm hoc excellens Dei opificium tàm ſubitò concidiſſe, & divinâ imagine ſeipſum ſuósqve poſteros privâſſe? Ah verè & ſupra modum miſerabilem noſtram omnium conditionem, qvi priùs perditi ſumus qvàm geniti! Ad qvem confugiemus derelicti? Qvem nobis peſtiferô peccati Venenô infectis Medicum qværemus? Ad Te, Deus, mentis noſtræ elevamus oculos. Te ſupplices rogamus, ut ne in æternum tua condemnet juſtitia, qvos tua immenſa creavit potentia. Te ardentibus veneramur ſuſpiriis, ut ne inexhauſtô miſericordiæ fonte recreare dedigneris, qvos tuæ majeſtatis ira ob ſcelus commiſſum terruit. Da veniam, *Pater*, delicti, recipe in gratiam perditos Filios, miſerere, & priſtinæ dignitati ob nominis tui gloriam reſtitue. Sic tuas ſine fine laudes cantabimus &c.

XI. *Qvi ſuggeſtiones Diaboli non recipit, in ejus caſſes non facilè tranſit:* Qvi verò ſerpenti lubrico in principio non reſiſtit, Venenum in ſinu poſt culpam admiſſam cum detrimento percipit. v. 7.

XII. Cùm pudibunda nuditas homini non ſit concreata, ſed ex conſcientiæ confuſione orta, qvoties Tibi, *ô homo*, nuditas corporis pudorem injicit, toties peccatum deteſtare, & ſenſu intimæ miſeriæ, ad divinam miſericordiam confuge, v. 7.

XIII. Hypocritarum mos eſt de externa turpitudine occultanda laborare; de interna verò coram Deo tegendâ aut parum aut nihil ſollicitum eſſe v. 7. Sicut enim primi parentes folia ficus conſuunt: ita illi externis operibus ſanctos ſe & innocentes ſimulant, eleemoſynas in vicis diſtribuunt *Math.* VI. 2. *in* Synagogis & platearum angu-

gulis orant v. 5. Phylacteria ſua dilatant, *c.* XXIII. v. 5 mentham, & anethum & Cyminum decimant, *v.* 23. &c. ſed internam veræ juſtitiæ veſtem, qvæ coram Deo nos tegit, qvámqve in Baptiſmo induimus, aut vilipendunt, aut turpiter prorſus negligunt, adeóqve ut uno verbô comprehendamus, ſimiles exiſtunt ſepulchris dealbatis, qvæ foris qvidem ſpecioſa adparent, intus verò oſſibus mortuorum, omníqve ſpurcitie ſunt pleniſſima, *Matt.* XXIII. 27. Tu contra, *Anima Deo dedita*, Chriſti faſciis te involve, ejúsqve meritô pudibundam tuam egenámqve nuditatem tege. Hôc enim veſtimentô accincta ſecura in conſpectum Dei venire potes. *Pſ.* XXXII. 1. *Rom.* IV. 6. 7. 8.

XIV. Ethnici hominis, ſed veriſſima eſt ſententia: *Magnam vim habet conſcientia in utramqve partem, ut ſemper pœnam ante oculos verſari putent, qvi peccaverint: & nihil timeant qvi nihil admiſerint. Cic. pro Milone.* Sicut enim bona conſcientia excuſat: ita mala inſtar carnificis excruciat, ut non tantùm Protoplaſtorum h. l. ſed Caini qvoqve, *Gen.* XLII. 21. *c.* L. 15. Herodis, *Matth.* II. 5. Judæ, *c.* XXVII. 5. ſcribarum & Phariſæorum, *Joh.* VIII. 9. Neronis & infinita alia exempla oſtendunt. Ante omnia ergo qvisqvis pietatis ſtudioſus audire cupis, in hoc omnibus viribus incumbe, ut bonam milites militiam, fidem habens & bonam conſcientiam 1. *Tim.* 1. 18. 19. ídqve exemplô Pauli, qvi imprimis operam dedit, ut ſemper conſcientiam ſine offendiculo erga Deum & homines haberet, ut ipſe de ſe *Act.* XXIII. 1. *c.* XXIV. 16. teſtatur. Mens enim ſecura eſt, qvaſi juge convivium *Prov.* XV. 15. Contra repulsâ conſcientiâ nonnulli, inter qvos Hymenæus & Alexander, circa fidem naufragium fecerunt. 1. *Tim.* 1. 20. 21. Imò & in hoc laborare Te oportet, ut ne fratri

tuo ſis offendiculo & infirmi conſcientiam polluas. 1. *Cor.* VIII. 10. qvod Apoſtolus ſtudioſè cavit *v.* 13.

XV. Stultum eſt Deo imponere, & ſe cum Protoplaſtis *v.* 8. ejus judicio ſubducere velle, qvem nemo effugere poteſt. Ipſe enim cælum & terram implet *Jer* XXIII. 24. Unde rectè Propheta: Qvò ibo à ſpiritu tuo? & qvò à facie tua fugiam? Si adſcendero in cælum, tu illic es, ſi lectum ſternerem in infernum, ades. *Pſal* CXXXIX. 8. Nos ergò, ubicúmqve locorum degamus, attentè cogitemus, qvòd in conſpectu divinæ majeſtatis ſimus, Deum præſentiſſimum omnium ſcelerum vindicem habeamus, ſi debita eidem non præſtemus ſervitia. *Confer Eccl.* 1. 2. *c.* 12. 13. *Sap.* XVII. 3. 4. *Pſal.* L. 21. 22. *Jer.* X. 6. 7. *Heb.* IV. 13. Exemplo Protoplaſti, *h. l.* Cain, *Gen.* IV. 6. primus mundus, *Gen.* VI. 3. Sodomitæ, *c.* XVIII. 20. 21. Cananæi, Ægyptii & alii eſſe poſſunt.

XVI. *A peccato, non à Deo, ſed ad Deum, piis precibus fugiendum eſt.* *v.* 8. Scelera enim nos à fonte omnis felicitatis ſeparant: *Eſ.* LIX. 2. Preces verò nos cum Deo conjungunt. *Oſ.* XIV. 3. 4. 5. Delapſi ergò in peccata ad Deum fugiamus, delictorúmqve veniam per Chriſtum petamus. In hoc enim pace fruemur, *Rom.* V. 1. in hoc tamqvàm tutiſſimo portu in profundo hoc miſeriarum Oceano navigantibus ſecuris ſubſiſtere licet. Hic ortâ tempeſtate ventos increpare & mare tranqvillum reddere poteſt, ne tumultuoſis fluctibus navicula operiatur *Matt.* VIII. 26.

XVII. *Verè deteſtabilis peccati eſt natura.* Námqve inceptum leviter & ad ictum oculi delectat, commiſſum vehementiſſimè excruciat, tantúmqve homini pavorem injicit, ut ad concuſſarum arborum ſonitum tremat, lucem & Deum ipſum tamqvàm in-

injuſtum & iniqvum fugiat, cujus tamen benignitate erigendus erat. *v.* 8. Scilicet fugit impius, nemine perſeqvente, juſtus autem qvaſi Leo confidens. *Prov.* XXVIII. I. Et qvi mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius: Qvi autem operatur veritatem, venit ad lucem, ut conſpicua ſint facta ejus. *Joh.* III. 20. 21.

XVIII. Qvibus laudibus divinam evehemus miſericordiam? Tanta eſt, ut nec verbis exprimi, nec intellectu humanô poſſit comprehendi. Fugientem revocat: qværit, qvod periêrat. Tanta ſcilicet eſt Dei bonitas, ut non modò non velit mortem hominis, ſed ne qvidem peccatoris, verùm ut convertatur & vivat *Ezech.* XVIII. 23. *&* XXXIII. II.

XIX. In libertate qvidem noſtra eſt poſt lapſum, Deum fugere v. 8. ſed abſqve vocatione ad fontem bonitatis non poſſumus recurrere. v. 9. Mortui enim ſumus cum Protoplaſtis in peccatis *Eph.* II. I. ut non ſit, qvi intelligat & exqvirat Deum, ne unus qvidem: *Rom.* III. II. 12. Deus autem in nobis & velle & perficere pro ſua voluntate operatur. *Phil.* II. 13.

XX. Cùm Deus optimus Max. qvi extra controverſiam eſt omniſcius, itémqve juſtiſſimus judex Protoplaſtos audiat priùs, qvàm ſententiam judiciariam pronunciet *v.* 10. II. 13. noſtrum eſt, ſi Dei imitatores eſſe velimus, neminem niſi cauſsâ probè cognitâ condemnare, ſed ſceleris convictos ſine reſpectu Perſonarum juxta legem judicare. *Lev.* XIX. 15. *Deut.* I. 16. 17. *Prov.* XXIV. 24.

XXI. *In qvovis angulo, Anima fidelis, reverentiam habe Deo & tuo Angelo, ne his præſentibus facias, qvod præſente homine omitteres.* Sicut

enim Deus Protoplaſtos in Paradiſo ad rationem vitæ anteactæ reddendam vocavit. v. 11. 13. ita nos omnes aliqvando ante tribunal Dei ſiſtemur, *Rom.* XIV. 10. ibi cuncta, qvæ fiunt, Dominus ad judicium adducet, etiam occulta, ſive bona ſive mala, *Eccl.* XII. 14. ut unusqvisqve referat, qvæ in corpore ſuo fecit. 2. *Cor.* V. 10.

XXII. *Peccata latentia cum Protoplaſtis, v* 10. 12. 13. *& Caino, c.* IV. 9. *diſſimulare, patefacta excuſare, & à ſe in alium derivare, eſt eadem cumulare, & ſeipſum magis magísqve accuſare.* Qvisqvis ergò es, *ô Fili*, qvi vel cum Protoplaſtis intemperanter vixiſti, vel pallium Babylonicum abſtuliſti, vel Deum tuum abnegâſti, da gloriam Domino Deo Iſraël, da illi laudem, & indica cum Achan, qvid feceris, & ne abſconde: *Joſ.* VII. 19. revertere cum perdito filio, & fatere Te graviter contra patrem cæleſtem peccâſſe. *Luc.* XV. 18. Percute pectus tuum cum Publicano & benignitatem Dei implora, *c.* XVIII. 13. & lachrymis cum Petro triſtitiam cordis tui indica, *Matt.* XXVI. 75. Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniqvitate: ſi verò dixerimus, non peccavimus: mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis 1. *Joh.* I. 9. 10.

XXIII. *Omnibus modis peccata deteſtemur.* Si enim divina majeſtas adeò peccatis Protoplaſtorum fuit offenſa, ut ſeductoris Organo, ſerpenti, propterea malediceret v. 14. qvanta pœna Diaboli ipſi, omnibúsqve impœnitentibus hominibus expectanda erit? Illi ſanè irati judicis vocem non ſine ingenti ſpiritus & omnium membrorum concuſſione audituri ſunt: Diſcedite à me maledicti

in

in ignem æternum, qvi Diabolo & angelis ejus eſt paratus *Matth.* xxv. 41.

XXIV. Qvoties, ô homo, ſerpentem humi repentem intueris, toties lapſûs primorum parentum recorderis. *Rom.* v. 12. & peccatorum veniam preceris.

XXV. O immenſam Dei charitatem, & numqvàm ſatis deprædicandam Patris clementiſſimi benignitatem! v. 15. Qvi tantô peccatorem proſecutus eſt amore, ut filium ſuum Unigenitum pro illius ſalute in mortem traderet. *Joh.* III. 16. *Rom.* v. 8. 1. *Joh.* IV. 9. 10. ô profundam Nati lenitatem! qvi lubens noſtri cauſsâ mortem crucis ſuſtinuit. *Pſal.* XL. 9. Gaudete ergò & lætamini veræ pietatis ſtudioſi! Si enim Deus pro nobis, qvis contra nos? qvi proprio filio non pepercit: ſed pro nobis tradidit illum, qvî fieri poteſt, ut non & cum eodem nobis omnia donet? *Rom.* VIII. 31. 32.

XXVI. Cur triſtis es anima mea? Semen enim mulieris contrivit caput ſerpentis v. 15. & eô ipſo Te ab omni malo liberavit, priſtinæqve dignitati in Paradiſo amiſſæ reſtituit. Cur non inſultas potiùs hoſtibus tuis cum Apoſtolo dicens? *ubi tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne, victoria?* 1. *Cor.* xv. 55.

XXVII. En gaudium magnum, homines Chriſto dediti! Chriſtus enim non manſit in ſepulchro, qvamvìs in duello, calcaneus eidem ſit vulneratus: *v.* 15. Sed divinâ virtute excitatus à mortuis, non ampliùs moritur: mors illi non ampliùs dominatur. Qvòd ſi igitur cum Chriſto mortui ſimus, credimus, qvòd & cum eodem vivemus *Rom.* VI. 8. 9.

XXVIII. Vos interim reputate vosmet ipſos mortuos qvidem peccato, viventes autem Deo, per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum. Ne regnet

gnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore: ſed accommodetis vosmet ipſos Deo velut ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo, ut S. Apoſtolus *Rom.* VI. 12. 13. monet.

XXIX. Piis puerperis incumbit, partus dolores divinitùs impoſitos v. 16. patiente ſuſtinere animô. Qvi enim ob commiſſum ſcelus omnes in æternum damnare potuiſſet, hôc momentaneô cruciatu eaſdem ad pœnitentiam invitare voluit. Forti ergo conſtantíqve animô omnes affectus debent vincere, memores, qvòd præſentis temporis afflictiones non ſint condignæ futurâ gloriâ, qvæ illis conferetur *Rom.* VIII. 18. qvódqve Deum diligentibus omnia in bonum cedant. v. 28.

XXX. Mulieres imperium in viros affectantes ſeveræ divinæ majeſtatis voluntati reſiſtunt. v. 16. Uxores ergò ſuis viris ſubditæ eſſe debent tamqvàm Domino, qvoniam vir eſt caput uxoris, ſicuti Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, *Eph.* v. 22. 23. *Col.* III. 18. *Tit.* II. 5. qvemadmodùm Sara Abrahæ obedivit, eumdémqve Dominum adpellavit. 1. *Pet.* III. 1. & 6.

XXXI. Cùm alterius damnô prudentiores evadere debeamus, nemo mulierum blanditiis ſe à ſancto propoſito abduci patiatur. His enim Adam, v. 17. Samſon, *Jud.* XVI. 21. Salomon, 1 *Reg.* XI. 1. & alii in ſummum ſe præcipitârunt exitium.

XXXII. *Otioſam vitam ducere eſt ordinationi divinæ reſiſtere v.* 17. Otioſi ergò nihil operis facientes, ſed curioſè agentes, in Repub. ferendi non ſunt, cùm divinum ſit præceptum, ut ſi qvis nolit operari, nec manducet. 2. *Theſ.* III. 11. 12.

XXXIII. Sicut terræ fertilitas divinam benedictionem indicat. *Gen.* I. 11. ita ejusdem ſterilitas peccatorum enormitatem manifeſtat *v.* 17. 18. 19.

XXXIV. Ci-

XXXIV. Cibus non debet carnis concupiſcentiæ inſervire, ſed neceſſitati noſtræ ſuccurrere v. 19.

XXXV. O admirandam Dei bonitatem, qvi peccatorum qvoqve curam gerit, nec eos veſtimentis neceſſariis deſtitutos nudos vagari permittit! *v.* 21. Qvid ergo ſollicita es, Anima mea, de corporis indumentis? Qvi enim primos transgreſſores induit, qvi aviculas paſcit, qvi flores & herbas veſtit, *Matth.* VI. 25. *ſ.* Te qvem Paternô prorſus proſeqvitur animô, deſerere non poterit.

XXXVI. Qvid ſuperbis, *ô homo*, ſplendidô veſtitu tuô (*μετὰ πολλῆς φαντασίας Act.* XXV. 23.) cùm veſtis nonniſi ſtigma peccati ſit, memoriale lapsûs & ſignum pudibundæ nuditatis *v.* 21. Sicuti ergo nemo furum aut latronum tam ineptus eſt, ut catenis atqve vinculis glorietur: ita meritò nemo veſtitu ſuperbire debet. Qvi verò luxui in veſtitu indulgent, ſatis apertè indicant, ſe non tantùm divinæ clementiæ immemores, ſed etiam miſeriæ humani generis prorſus eſſe oblitos.

XXXVII. Qvia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam 1. *Pet.* V. 5. exemplô primorum parentum *v.* 22. ædificatorum turris Babylonicæ, *Gen.* XI. 4. Hagar, *c.* XVI. 5. 6. Sodomitarum, *Ez.* XVI. 49. Coreh, Dathan & Abiron, *Num.* XVI. 1. Aaronis & Mariæ, *c.* XII. 1. 2. Goliathi, 1. *Sam.* XVII. 42. 43. Nabuchodonoſoris, *Dan.* IV. 27. Amani, *Eſth.* III. 5. *ſ.* Holofernis, *Judith.* XIII. 10. Herodis, *Actor.* XII. 21. 22. & aliorum deterriti ſuperbiam fugiamus; contra verò exemplô B. virginis *Luc.* 1. 48. Eſtheræ, *Eſth.* II. 15. Davidis, 2. *Sam.* VII. 18. & aliorum veræ humilitati ſtudeamus, ut Deus nos extollat tempore oportunô. 1. *Pet.* V. 5.

XXXVIII. Viri Chriſtiani eſt, non tàm de vitæ hujus prorogatione cogitare, qvàm divinæ legis obſervantiâ meditari *v.* 22. XXXIX. Qvia

XXXIX. Qvia fructu terreſtri arboris vitæ veſci poſt lapſum non poſſumus, panem vitæ hoc eſt, Chriſtum qværamus, *Joh.* VI. 48. qvò in altero ſeculo de ligno vitæ, qvod eſt in medio Paradiſi Dei comedamus. *Ap.* II. 7. *hoc eſt*, æternâ felicite fruamur.

XL. Qvia ſemel Paradisô ejecti peregrinamur *Gen.* XLVII. 9. *Pſal.* XXXIX. 12. agite, avertamus oculos noſtros à terrenis, & ſurſum corda elevemus. Non enim habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inqvirimus, *Heb.* XIII. 14. πολίτευμα noſtrum eſt in cælis, unde Servatorem exſpectamus, Dominum Jeſum Chriſtum, qvi transfigurabit corpus noſtrum humile, & conforme reddet corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciam, qvâ poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia. *Phil.* III. 20. 21.

SOLI DEO GLORIA.

III.

I. N. J.

FIDES VETERUM IMPRIMIS FIDELIUM MUNDI ANTE-DILUVIANI IN CHRISTUM VERUM DEUM ET HOMINEM, EJUSQVE PASSIONEM MERITORIAM

Adverſus

Peſtilentem Novatorum, maximè
D. GEORGII CALIXTI hæreſin;

è Scripturæ teſtimoniis, & Eccleſiæ
conſenſu aſſerta,

AUTORE

ABRAHAM CALOVIO, SS.
Theol. D. & P. P. Paſt. Conſiſt. Adſeſs.
& Circuli Elector, Superint: Generali p. t. Decan.

I. N. J.

DE

FIDE VETERUM,

ET

IMPRIMIS FIDELIUM MUNDI ANTE-DILUVIANI IN CHRISTUM VERUM DEUM ET HOMINEM, EJUSQVE MERITUM

DISPUTATIO SOLENNIS.

προπύλαιον.

NUllus profectò fidei articulus tantas paſſus eſt contradictiones, qvantas pati neceſſum habuit Articulus de Filio DEI, ejúsqve merito: qvi uti ſecundùm vaticinium Simeonis poſitus eſt εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον *Luc.* II. 34. ita ψευδοπροφῆται, & ψευδοδιδάσκαλοι, qvi prædicente S. Petrô, exorituri erant, introducturi αἱρέσεις ἀπωλείας, imprimis hôc charactere inſigniuntur, qvòd abnegaturi eſſent τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην *Herum, qvi emit, vel mercatus eſt ipſos.* 2. Pet. II. 1. & ut S. Judas eoſdem, parili notâ, deſignat τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, *illum*

illum ſolum Herum vel Dominatorem Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum v. 4. Nec aliam falſorum Spirituum & Pſeudo-Prophetarum teſſeram conſtituit S. Johannes 1. *Epiſt.* IV. 3. *Omnis Spiritus, qvi non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.* Longum eſſet, omnes iſtas hæreſes recenſere, qvæ vel divinam Chriſti naturam, aut etiam humanam, vel meritum & ſatisfactionem ejus abnegârunt, qvod alibi factum, neqve inſtituti jam patitur ratio. Poſtqvàm autem *veritatem* hujus cæleſtis doctrinæ evertere neqvidqvàm molitus eſt Satanas, etſi innumera falſorum Spirituum examina ſuſcitaret; ſcenâ veluti ἀπὸ μηχανῆς immutatâ, *neceſſitatem* ejuſdem noviſſimis hiſce imprimis temporibus adortus eſt, vaferrimô conſiliô, ut nempe ipſam qvoqve *veritatem* dogmatis, qvam directè non poterat, *indirectè* ſaltem labefactaret, fideiſqve, ac Eccleſiæ ſtructuræ petram iſtam immotam, cui unicè innititur, ſi non ſubduceret, ſaltem ambiguam pendulámqve redderet: ſiqvidem fideles *ſuper hunc lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum,* & ſuper *hanc Petram*, qvam Petrus confeſſus erat, Chriſtum Dei filium, ſuperſtrui oporteat: *Eſ.* XXVIII. 16. confer *Rom.* IX. 33. 1. *Pet.* II. 6. ut & *Pſ.* CXVIII. 22. *Matth.* XXI. 42. *Act.* IV. 11. nec non *Matth.* XVI. 16. 18. exemplô *Smyrnenſium*, de qvibus eleganter *S. Ignatius* ὁ θεοφόρος, Epiſtolâ ipſis inſcriptâ ſub initium: *Agnovi vos perfectos eſſe in fide immobili* κατηρτισμένους ἐν ἀκινήτῳ πίστει *tamqvàm clavis affixos cruci Domini Jeſu Chriſti & carne & Spiritu, & confirmatos,* ἡδρασμένους *in dilectione (Dei,) in ſangvine Chriſti, & verè ad plenum inſtructos;* πεπληροφορημένους, *(fiducialiter credentes) in Dominum noſtrum (Jeſum Chriſtum, Filium Dei, primogenitum omnis creaturæ, & Deum verbum, uni-*

nigenitum Filium,) qvi eſt ex genere David ſecundùm carnem, & ex Maria Virgine, baptizatus à Johanne, ut adimpleretur ab ipſo omnis juſtitia.

Agit autem hoc ἄσπονδος CHRISTI & Eccleſiæ hoſtis potiſſimùm per ſectarios noſtræ ætatis, ceu noviſſimum, ſive fœtum, ſive excrementum ſuum, qvi in id, veluti conjuratione factâ, maximoperè incumbunt, ut *neceſſitatem* doctrinæ de Chriſto θεανθρώπῳ ejúsqve merito evertant. Qva in cauſsâ ne de *Pelagianis*, *Scholaſticis*, *Papiſtis*, *Franc. Puccio*, & *Zwinglianis* nonnullis, qvi præluſiſſe hæreticis & ſectariis novellis videri poſſunt, aut etiamnum ſubſidiarias ipſis hìc navare operas, dicamus, conjungere ſtrenuè videas ſtudia & molimina ſua nefanda *Socinianos* (qvi tamen veritatem hujus dogmatis etiam directè impugnant) *Anabaptiſtas*, qvi verò itidem facilè Photinianis ſeſe in Deitate, & æterna generatione Filii Dei labefactanda aſſociant, ac inſuper carnem Chriſti noſtræ ὁμοούσιον inficiantur, *Remonſtrantes*, qvi copias qvidem ſuas potiſſimùm inſtruunt adversùs neceſſitatem hujus articuli, ſed non raro ſuppetias etiam ferunt fratribus ſuis Sociniſtis, ut ad minimum dubiam reddant veritatem, qvæ omni dubitatione & exceptione ſuperior eſt; *Henricum Nicolai*, qvi coccyſmô ſuô de *non liqvendo* in hoc etiam dogmate Eccleſiæ obſtrepit, & *Pyrrhonismo Remonſtrantico* improbè velificatur, nec non *D. Calixtum* cum complicibus, qvi uti in aliis multis Socinianorum, & Arminianorum infauſta legit veſtigia, ita neceſſitatem hujus primarii fidei Articuli, reſpectu fidelium V. T. ſic adoritur, ut nullam etiam nobis ejuſdem ſub N. T. credendi neceſſitatem, ſi vim hypotheſium ipſius ſpectes, tandem relinqvat, qvidqvid verbis contrà proteſtetur, & de ſummo hoc fidei capite qvandoqve ſplendidè declamiter.

Si

Si enim ullus unqvàm fidelium citra fidem in Deitatem, & meritum paſſionis Chriſti ſalvari potuit, nemo non fidelium; etiam hodiè, citra illam fidem ſalutem adipiſci poterit. In horum ergò gratiam, vel ut rectiùs dicam, in gratiam Eccleſiæ, qvæ ab hiſce falſis Spiritibus turbatur, & ut imprimis conſtet, olim etiam tempore mundi primi, & antediluviani illam fidem, qvam de Chriſto, Dei Filio, ejúsqve paſſione & ſatisfactione meritoria fovemus; publicè ſonuiſſe in Eccleſia; eâqve ſalutem adeptos eſſe fideles, adeóqve non minùs tùm neceſſariam fuiſſe ſalvandis, qvàm eſt hodie; operæ pretium qvoddam facturi videmur; ſi nonnulla de *fidè veterum* & eorum imprimis, qvi vixêre ante diluvium, in Chriſtum θεάνθρωπον ejúsqve meritum, qvantum permittit temporis & pagellarum anguſtia, ſolenni huic diſputatione exponamus.

Qvæ profectò materia & neceſſitate, & dignitate, & jucunditate ſuâ maximè ſe commendat: *Neceſſitate* qvidem non modò ob moderna Eccleſiæ certamina, ſed imprimis, ut Articulus fidei de *Communione Eccleſiæ*, imò etiam de *veritate fidei noſtræ* de Chriſto illibatus conſtet, noſtrámqve fidem ſciamus eſſe conſangvineam fidei credentium inde à primo Eccleſiæ per Chriſtum inſtaurari ceptæ momento, nósqve ædificatos eſſe ſuper *fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſò ſummo lapide angulari Jeſu Chriſtô Eph.* II. 20. Qvam neceſſitatem qvoqve imponit nobis mandatum Chriſti *Joh.* v. 39. de ſcrutinio S. literarum V. T. taliter inſtituendo, ut Chriſtum, & qvomodo in eodem habeatur vita æterna, indagemus. *Dignitate* verò, qvòd nulla dignior operâ eâ, qvæ doctrinæ de Chriſto impenditur, nihilqve Chriſtianis dignius videatur, qvàm fidem

Chriſtianorum antiqviſſimorum & primorum ſcrutari, & primævam fidei ſuæ antiqvitatem adſerere: Cujus ſtudii dignitatem miris modis commendat *exemplum Chriſti & Apoſtolorum*, doctrinam ſuam è V. T. adſtruentium, & à primis qvandóqve Eccleſiæ incunabulis repetentium; *Martyrum* item, ac *Patrum* Sanctorum antiqviſſimorum, *Polycarpi, Ignatii, Juſtini, Irenæi*, & aliorum diligentia, laude, ac imitatione digniſſima. *Jucunditate* deniqve, ſiqvidem ſvave ſit cognoſcere antiqvas ſemitas, JESUM CHRISTUM, qvi idem heri, hodie, & in ſecula, in cunabulis Eccleſiæ qværere, fidémqve Patriarcharum primi orbis & ipſorum protoplaſtorum indagare, ἐρευνῶντα *etiam Spiritus Chriſti, qvi in ipſis fuit.* 1. *Pet.* 1. 11. ſcrutari, ac *lucernæ in loco caliginoſo lucenti* ita *attendere*, ut *Phoſphorus* eò plenius *exoriatur in cordibus noſtris.* 2. *Pet.* 1. 19.

Non autem jam cum omnibus illis, qvos diximus, congrediemur, nimis hoc prolixum foret, nec commodè ſatis adversùs omnes ſimul gladius Spiritûs ſtringitur, qvum diverſæ ſint non rarò eorum hypotheſes, arma diverſa, & modus etiam pugnandi alius atqve alius, ideóqve potiſſimùm adversùs *Novatores Calixtum*, & complices, non neglectis tamen omnino *Remonſtrantibus*, qvorum telis illi pugnare ſolent, aciem inſtruemus. *Inſtruat nos Dominus Jeſus virtute ex alto, ut pro gloria nominis ſui* νομίμως *pugnemus, ad unius ſui nominis gloriam, fideíqve noſtræ victoriam!*

SE-

SECTIO PRIOR,

Statum Controverſiæ deſignans.

§. I.

Ut Controverſiæ ſtatus ritè deſignetur, præmittenda nonnulla διόρθρα, qvæ ab utráqve parte extra controverſiam poſita ſunt. Primum eſt; *Poſt lapſum primorum parentum Deum, pro admiranda miſericordia ſua adverſus genus humanum, modum & rationem redemtionis iniviſſe, & qvum ſecundùm inviolabilem juſtitiam ſatisfactio, ſive pretium, qvod infinitæ dignitatis & valoris eſſet, exigeretur, ídqve de ſuo homines dependere non poſſent, totum de ſuo obtuliſſe Deum, nempe unigenitum Filium ſuum, qvi factus homo, ut ad homines, qvæ præſtabantur, referri, ſive hominibus imputari & communicari poſſent, præſtitit, qvibus præſtandis genus humanum prorſus impar erat.* Qvod totidem verbis *D. Calixtus* tradit diſputatione noviſſimâ de *pactis, qvæ Deus cum hominibus iniit th.* XXXVIII. Qvod haud inviti etiam admittunt *Remonſtrantes*, in *Confeſſione ſive declaratione ſententiæ ſuæ de Chriſto, Filio Dei*, vero Deo, & vero homine, profitentes, eumdem, qvidqvid ſit de aliis modis, qvos in Socinianorum gratiam ἄτερ γραφῆς attexunt, *verò etiam ergà Deum meritò Servatorem noſtrum eſſe, qvòd ſalutem æternam nobis obedientiâ ſuâ promeruerit, ſeu qvia hòc mediante, præſertim violentâ & cruentâ ipſius morte (veluti λύτρῳ ſeu redemptionis pretiô ac ſacrificiô propitiatoriô) Deus hactenus ſibi omnes peccatores reconciliârit, ut per & propter hoc ipſum λύτρον ac ſacrificium in gratiam cum iis*

redire, & oſtium ſalutis æternæ, viámqve immortalitatis pandere ipſis voluerit. Non neſcio, qvomodo hic ſe involvant Arminiani, etiam ipſe primipilus *Epiſcopius*, qvod alibi † obſervatum: Ceterùm qvia hucúsqve ſatisfactionem & meritum Chriſti ſeſe non inficiari proteſtati ſunt, ſcriptisqve publicis diſſenſum à Socinianis hic manifeſtârunt, *Confeſſione* imprimis & *Apologiâ*, aſſumi hactenus poſſe primam hypotheſin in diſputationibus adverſus ipſos, ceu ὁμολογουμένως conceſſam, nullum eſt dubium.

II. Alterum διδόμενον hoc eſt; *Qvum οἰκονομία hæc redemtionis nemini mortalium in mentem venire potuerit, qvidqvid de ea cognoſcendum & credendum, ac cognitu, creditúqve neceſſarium eſt, non niſi revelatione divinâ conſtitiſſe, aut conſtare potuiſſe.* Qvod itidem cùm *Arminiani*, tùm *Novatores* largiuntur: qvamqvàm interim ipſi & inter ſe, & ab orthodoxis de iis, qvæ creditu neceſſaria ſunt, multum diſcrepent. Qvid enim certius eſſe poteſt, qvàm qvòd revelatio divina menſura in hiſce ſit cognitionis noſtræ, utpote qvæ nonniſi divinâ conſtant revelatione, alioqvin prorſus incognita? Videantur *Math.* XI. 27. *Rom.* XVI. 25. 1. *Cor.* II. 7. Eqvidem *Adolphus Venator* in declar. ſua f. 185 ulteriùs provectus, *gentes, etſi revelatione divinâ deſtitutas, ſcintillas miſericordiæ Dei, ſine qva nemo ad poſſeſſionem vitæ æternæ pervenire poteſt, habuiſſe, eáſqve, qvi ex ipſis piam*, qvam vocant, *vitam duxerunt*, etſi ne verbum de redemptione patefactum iis fuerit, *non condemnatum iri*, p. 136. ſtatuit, qvam verò *præpoſteram miſericordiam* Remonſtrantes publicô calculô, qvantùm conſtat, minimè adprobârunt.

III. Ter-

† Vide B. Calovii Conſiderat. Arminianiſmi, c. VIII. Sect. II. Q. IV. V. VI. ſ. §. V. ſ. p. m. 221. ſ.

III. Tertiò certum hoc qvoqve eſt, *Fidem, qvæ ad ſalutem reqviritur, aliqvam ad minimum cognitionem inferre bujus φιλανθρωπίας divinæ, qvòd nempe hominem peccatorem in gratiam recipere velit.* Qvùm enim Scriptura clariſſimis verbis fidem reqvirat ad conſeqvendam remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam, nec fides locum habere poſſit ſine cognitione, fatentur utríqve, cognitione gratiæ Dei opus eſſe, ut fiduciam in Deum collocare poſſimus. De Juliana ſubtilitate, qvâ *cognitio Dei, aſſenſum antevertens, pars intrinſeca fidei eſſe* negatur, & *aſſenſus veram Dei & myſteriorum divinorum cognitionem antecedere* fingitur, Apol. contra Buſcher: part. II. p. 383. non eſt, qvod hìc dicamus. Revocatus *alibi* fuit ordo ille partium fidei novus, & mirabilis prorſus ſub juſtam cenſuram. Nec hypotheſin de *fide aliena*, per qvam infantibus ſalutem pollicentur Novatores, hìc attingimus, qvum de fide adultorum hìc diſputatio inſtituatur: intereà viderint illi, qvomodo dicta Scripturæ luculentiſſima, qvòd ſalus ſine fide conſtare neqveat, tueri poſſint, qvum non minus abſurdum ſit, qvempiam alterius fide ſalvari, qvàm alterius vitâ vivere. *Juſtus fide ſuâ vivet. Hab.* II. 4. *Rom.* I. 17. *Gal.* III. II. *Ebr.* X. 38.

IV. Qvartò *fidem etiam in Chriſtum aliqvam ad ſalutem neceſſariam eſſe* Novatores admittunt, iidémqve *cognitionem qvoqve Chriſti* reqvirunt ad *conſeqvendam remiſſionem peccatorum* & vitam æternam. *Hominibus poſt lapſum*, inqvit *Calixtus*, tract. de pactis divinis, th. XL. *remiſſione peccatorum & ſalute potiri cupidis, hæc conditio poſita eſt, ut Euangelio divinitus revelato, & promulgato fidem habeant, id eſt, Chriſto promiſſo & venturo innitantur.* De Remonſtrantibus id ſolum conſtat, qvòd aliqvô modô fidem in Chriſtum ſub Veteri Teſtamen-

to neceſſariam faciant. Ita enim ſententiam ſuam declarant in *Apologia Confeſſionis*, c. VII. *p.* 91. *Hæc tamen cùm dicunt Remonſtrantes, non idcircò negant, verum eſſe*, fidem in Jeſum Chriſtum ſub V. T. locum habuiſſe. *Etſi enim credunt, fidem in Jeſum Chriſtum mortuum directè atqve apertè ſub V. T. præſcriptam atqve exercitam non fuiſſe, nihilominus tamen ſtatuunt, fidem illam, qvæ ſub V. T. fuit, indirectè fidem in Jeſum Chriſtum dici poſſe, qvatenus ſub V. T. gratia & ſalus per Chriſtum parta ſub generalis gratiæ, & favoris divini promiſſo abſcondita, & ſub typis & umbris, qvarum corpus erat Chriſtus, velata & rudi Minervâ adumbrata fuit.* Qvæ an & qvomodo diſcrepent ab iis, qvæ hic concedunt Novatores de neceſſitate fidei in Meſſiam, ex illis, qvæ deinceps dicentur, patebit.

V. Qvintò etiam hoc extra controverſiam poſitum eſt penes Novatores, & aliqvâ ratione conceditur à Remonſtrantibus, *Gen.* III. 15. revelationem myſterii redemptionis factam eſſe, ac promiſſionem Euangelicam ibi haberi. Calixtus de pactis, th. LVI. *Euangelium, qvòd primitùs promulgatum, qvibus verbis à Moſe ſit propoſitum, pridem oſtendimus. Nempe* ſemen mulieris conteret ſive conculcabit caput ſerpentis. *Fide huic promiſſo habitâ, & in ſemen mulieris contriturum caput Serpentis, ſive in Redemtorem venturum, & divinâ benignitate homines è poteſtate Satanæ erepturum, conjectâ, ſervati fuerunt, qvotqvot deinceps ſervati ſunt. Hoc enim ipſum ſemen mulieris baſis eſt & fundamentum pacti Euangelici, cui id totum innititur, & absqve qvo iniri ſine dubio non potuiſſet.* E Remonſtrantibus de tempore antediluviano *Simon Epiſcopius*, lib. IV. Inſtit. Theol Sect. V. c. IV. p. m. 409. hæc tradit. *Qvod ad pri-*

ma

ma qvindecim plus minúsve ſecula attinet, gratiam abſcondere voluit Deus ſub promiſſione generali & obſcura ſeminis, cujus calcaneum morſurus erat ſerpens Gen. III. 15. Non diffitemur tamen, obſcuriorem eam promiſſionem facere Remonſtrantes, qvàm Novatores, imò dubiam etiam, pro ſceptica, qvam elegerunt, diſputandi conſvetudine, reddere; ſubjicit enim illicò Epiſcopius: *Etſi enim hìc manifeſtè apparet promiſſio aliqva divina, & verba iſta*, ſemen mulieris conteret caput ſerpentis, *nuſpiam, ut veram promiſſionem de Meſſia continentia, in N. T. allegantur, tamen NIHIL VETAT, ea ſic accipere, tamqvàm ad id indicandum pertinentia, qvia poſtea ſemen Abrahamo promittitur, qvod ad Gal.* III. 16. *Chriſtus eſſe dicitur.*

VI. Sextò concedunt qvoqve Novatores; *pactum Euangelicum, qvô Deus promiſit veniam peccatorum & æternam vitam, per fidem in Chriſtum, cum primis parentibus poſt lapſum initum fuiſſe*; néqve de eo cum ipſis controverſia eſt. Arminianorum verò primipilum *Epiſcopium* id haudqvaqvàm concedere, è lib. II. Inſtit. c. I. conſtat, ubi revelationem, qvæ cum federatione conjuncta fuerit, nullam ante Abrahamum locum habuiſſe diſputat, eámqve, qvæ Abrahamo facta, primam omnium conſtituit. *Prima*, inqvit, *revelatio Abrahamo facta fuit: Secunda Moſi: Tertia Jeſu Chriſto Domino noſtro. Revelationem autem intelligo, non omnem, nec qvalemcumqve, ſed qvæ cum federatione conjuncta fuit. Alioqvin enim multò ante hæc tempora revelationes crebras & varias factas fuiſſe certiſſimum eſt: ſed qvæ cum federis formula factæ fuerunt nullæ reperientur, & federis qvidem ſanciti clarâ atqve expreſſâ promiſſione & ſtipulatione. Revelationes itáqve ante hæc tempora*

factas Adamo, primo generis humani inſtauratori ; hìc excludo, qvia utráqve federationis expers fuit.

VII. Septimò, *fidem promiſſioni Euangelicæ, in paradiſo traditæ, habendam fuiſſe ab omnibus ſalvandis*, inde ab ipſo promulgationis tempore largitur, adeóqve fidem in Meſſiam Redemptorem explicitam ad ſalutem, ipſe etiam antediluvianô tempore neceſſariam facit. *Epiſcopius* verò iſtam ætatem à fide in Meſſiam, ſi non ab omni in Deum fiducia, qvæ è verbo revelato hauritur, & penè omnes iſtorum primorum ſeculorum homines, ab æterna qvóqve ſalute excludit. Ita enim lib. I. Inſtit. Theol. c. X. *Hactenus egimus generatim de religione, qvam recta dictat ratio, & qvæ primitus, Deô ita dirigente, in mundo locum habuit, fermè bis mille annis, ſive potiùs annis* 1657. *ad uſqve tempus diluvii, & aliqvamdiu poſt diluvium. Qvàm infirma ac debilis ea fuerit ad hominem in officio ſuo continendum, aut ad frugem reducendum, ſtatim adparuit, vel hôc unô clarô confirmatum indiciô, qvòd in toto iſto primo mundo, universóqve iſto fere bis mille annorum tempore, non niſi pauci, ac tantùm nominatim tres, aut, ſi* Noachum *adnumeres, qvatuor Dei cultores fuiſſe legantur, Abel, Seth, Enoch ; qvamqvàm ipſum Seth reticeat etiam ſcriptor ad Hebr. c.* XI. *Niſi fortè alios adhuc plures fuiſſe colligas, qvia in familia Sethi Enoſchus filius ejus fuiſſe legitur, cujus tempore cœptum fuerit invocari nomen Dei. Utut ſit, hiſce paucis exceptis, ceteri omnes ad impietatem & profanitatem degenerârunt, nec ad pœnitentiam reduci potuerunt.* Illud tamen, *ceptum fuit invocari nomen Domini* p. 12. poſtmodùm itidem dubium facit, qvaſi idem ſit, *qvod vocari de nomine Dei*, qvòd Filii Dei vocari ceperint : qvam gloſſam ſuam qvoqve facere non dubitavit *Calixtus* de pactis th. LXII. *Circa tempus nati Enoh* tunc ceptum eſt vocari

cari

cari vel adpellari in nomine Domini *Geneſ.* IV. 26. *Tunc cepit illa diſtinctio adpellationum, ut pii, & qvi Deum timerent, dicerentur Filii Dei; impii verò, & qvi Deum contemnerent, vocarentur Filii hominum.* Egregia interpretatio Arminianis & Calixtô prorsùs digna!

VIII. Octavò, qvum ad cognitionem Meſſiæ duo pertineant cùm *perſona*, tum *officium* ejusdem, in explicanda notitia illa, qvæ neceſſaria fuerit inde ab incunabilis Eccleſiæ, vix *perſonæ notitiam aliqvam* reqvirunt, niſi indefinitam, qvòd nempe aliqva perſona redemtrix, qvæcúmqve tamdem illa futura eſſet, credenda fuerit; *officium* verò qvousqve cognitu neceſſarium credant, non ſatis diſertè ſeſe declarant Novatores; Credendum fuiſſe in *Mediatorem*, in *Redemtorem*, in *Servatorem*, in *Contritorem capitis ſerpentini*, in *Meſſiam* ferè contenti dicere, qvomodocúmqve tandem habeat ſeſe illa *mediatio*, *redemtio*, *ſalus*, aut *capitis ſerpentini contritio. Fides in Chriſtrum Servatorem non ſaltem eſt qvaliscúmqve conditio, ſed ſuò modô à parte hominis neceſſaria aliqva cauſſa*, inqvit *Calixtus*, de pactis, th. XII. Unde pactum Euangelicum th. XLIII non aliter, qvàm hiſce verbis deſcribendum duxit; *Nempe perinde eſt, ac ſi Deus dixiſſet, promitto vobis veniam peccatorum, & æternam vitam, ſtipulor autem à vobis fidem, Euangelicis meis de mittendo in mundum Servatore promiſſionibus habendam.* Interim mentionem qvoqve fecit meriti & ſatisfactionis Chriſti, cùm *ante annos viginti & unum* in Epit. Theol. moral. p. 68. *Legem*, qvam vocat, *Euangelicam*, deſcripſit: *Deus igitur humani generis miſertus, ne univerſum æternâ morte periret, filium ſuum unigenitum, qvi pro peccatis ſatisfaceret, & beatitudinem promereretur, dare decrevit. Ergo ſicut aliam à priore rationem ſervandi & beandi homines*

iniit,

iniit, ita qvoqve aliam à priore legem ſive regulam, qvâ in beatitudinem dirigerentur, & qvam ſeqverentur ac obſervarent, tulit & præſcripſit, nempe Euangelicam. Hæc eſt, ut Servatorem ſuum agnoſcant & ejus ſatisfactione ac meritis nitantur. Sed qvum contendat hodiè, paſſionem Chriſti Veteribus cognitu ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe, qvalis relinqvatur ſatisfactionis pro peccatis, & meriti Chriſti cognitionis neceſſitas? Unde ſtudiosè, qvantum obſervare potui, abſtinuit Calixtus in Noviſſimis poſt σύῤῥαξιν in Eccleſia motam, editis ſcriptis, *à meriti & ſatisfactionis Chriſti* commemoratione; cùm ea, qvæ omnibus ſalvandis neceſſaria ſcitu creditúqve fuerint, definit, aut *de pacto Euangelico* in genere diſſerit.

IX. Qvod itaqve ad τὸ κρινόμενον, qvæ propriè Novatores hìc in controverſiam vocant; qvæſtio non eſt *de ordine pædias* in perducendis ad fidem Chriſti Judæis, utrum nempe à demonſtratione Deitatis è Vet. Teſt. exordium faciendum ſit, qvemadmodùm ſtatum qvæſtionis, ut glaucoma imperitis objiceret, pervertit Calixtus: ſed de *revelatione myſterii* de Chriſto, ante Chriſtum exhibitum factâ, de capitibus creditu neceſſariis ſub V. T. & de fide, qvâ ſalvari oportuerit fideles ante adventum Chriſti, ac imprimis etiam eos, qvi ante diluvium vixêre.

X. Qvæ paucis adhuc explicanda videntur. Primò de *revelatione myſterii de Chriſto* disqviritur, è qva fides haurienda fuit. Qvamqvàm enim certum ſit, non omnia, qvæ divinitus revelantur, ad ſalutem creditu neceſſaria eſſe *neceſſitate medii*; probè tamen obſervandum, qvod admittat Calixtus, ſi revelata fuerit Deitas Meſſiæ, eam ſub lege hujus neceſſitatis revelatam fuiſſe, Wiederlegung theſ. LXXIX. denn dis hohe geheimniſs hätte

ja

ja aus keiner anderen Urſachen, aut propter aliud & per accidens, mögen entdecket und offenbahret werden, als darumb, daſs es zu gläuben, und zur Seeligkeit nötig. Loqvitur de myſterio S. Trinitatis, adeóqve Deitatis etiam Filii Dei. Eamdem autem rationem in revelatione Deitatis vel perſonæ & officii Meſſiæ, locum habere, concedet, arbitror, qvod nempe & illa non per accidens, ſed per ſe revelata fuerit, ſi revelata, utpote ad fidem & ſalutem neceſſaria. Qvidqvid ergò de *perſona* & *officio* Meſſiæ relevatum fuit, id creditu neceſſarium ſtatuere oportebit. Non diſqviro de hypotheſi Calixtina, aut, an aliis ſuis hypotheſibus ſatis conſentiat, ſufficiat tantùm, qvid hìc largiatur, obſervâſſe.

XI. Porro myſterium redemptionis divinitùs revelatum plurima complectitur, ſed duo capita nunc potiſſimùm reſpicimus, qvæ etiam imprimis hìc controverſa ſunt; *Perſonam & Officium* Meſſiæ concernentia. De *Perſona* qværitur: *utrum revelatum creditúqve neceſſarium fuerit Meſſiam futurum Deum?* ubi & *tempora* ante Chriſtum, & *ſubjecta*, qvibus revelatio facta, in ſcriptis poſterioribus diſtingvit Julianus. *Tempora* ſcil. priora ante Davidem, vel potiùs ante Prophetas reliqvos, & *poſteriora*: ſiqvidem Pſalmis Davidis, & imprimis Prophetarum ſcriptis Deitatis Meſſiæ documenta non omninò deroget, etſi qvod unâ manu largiri videtur, alterá viciſſim ereptum cupiat, dum tam clara ac luculenta teſtimonia fuiſſe, ut omnes iſtorum temporum homines obligârint ad eamdem credendam, omnésqve eamdem credere neceſſum habuerint, directè inficietur. De primis enim temporibus, & ſcriptis Biblicis ita Calixtus, verbis ſatis diſertis, in der Wederlegung, th. LXXXVII. der ander ſatz (D. Welleri) iſt, D. Calixtus ſchreibet,

man

man habe im Alten Teſtam. an Jeſum Chriſtum, als wahren Gott, nicht eben gleuben müſsen, man habe auch daran in gemein nicht gegleubet. Qvam propoſitionem ſuam eſſe non diffitetur, ſed ita & illuſtrare, & confirmare ſatagit. Hat man ins gemein gegleubet, der zukünfftige Meſſias würde wahrer GOtt ſein, ſo frage ich; ob ſolches vermüge Zeugnüſsen der H. Schrifft gegleubet worden, oder ohne Zeugnüſsen? Wan es ohne Zeugnüſsen gegleubet, iſt warlich die Schrifft ſehr mangelhaftig geweſen, in deme ein ſo hoher Articul hat muſsen gegleubet, und dennoch mit Zeugnüſsen, die gewiſsen und deutlichen beweiſthumb inne hetten, nicht hat können erwieſen werden. Sind hiezu bündige Zeugnüſsen der Schrift nötig geweſen, die finden ſich ja in Moſis büchern nicht, den das Bara Elohim, Kanithi iſch eth Adonai, Pluit Dominus à Domino, wie gnugſam erkleret, wollen es nicht ausrichten. Im Buch Joſue, der Richter, Könige wird ſich auch nicht finden, damit diſs Werck könte gehoben werden. Negat in *libris Moſaicis*, *Joſuæ*, *Judicum*, & *Regum teſtimonia ſtringentia*, & *convincentia Deitatis Meſſiæ reperiri*; negat eam iſto tempore *communiter* à fidelibus creditam, aut credendam fuiſſe. De *poſterioribus* ſcriptis & *temporibus* benigniùs ſentire videtur. In den Pſalmen Davids, und alſo 400. Jahr nach Moſis zeiten, finden ſich hieher gehörige Sprüche: ſed actutum additur, deren doch die meiſten nicht viel ausrichten würden, wenn dieſelbige nicht im N. Teſt. angezogen, und auf Chriſtum weren gedeutet worden. Qvum ergò luce N. T. caruerint homines iſtorum temporum, parum efficere, aut proficere penes ipſos potuêre illa teſtimonia Davidica. Qvid verò de Prophetis? Illorum ſcripta ſola ſuperſunt in V. Teſt. ſi

ergò

ergò nec in illis qvidqvam, qvod ad fidem Deitatis Meſſiæ proficere potuerit, aut teſtimonium aliqvod Deitatis Meſſiæ ſtringens habeatur, nullum in toto V. T. haberi certum erit. Bey den Propheten, inqvit, finden ſich zwar noch mehr, es gehet aber dennoch ſchwer zu, wenn daraus ein bündiger ſchluſs wieder die Jüden gemacht und behauptet werden ſoll. Wenn aber GOtt hette alle Menſchen, und zu jeden zeiten, dahin verbinden wollen, nemlich, des Meſſiæ GOttheit ausdrücklich zu gleuben, ſo würde er dieſelbe auch allewege mit hellen deutlichen Worten offenbaret haben. Non audet id affirmare, vel negare, de qvo ibi qvæſtio erat: non enim de argumentis contra hodiernos Judæos validis, aut de *facilitate*, vel *difficultate diſputandi* contra eosdem propoſitio ſonabat: ſed de teſtimoniis Deitatis, è qvibus, cùm tradita illa ſunt ſub V. T. fides Deitatis Meſſiæ hauriri potuerit; nec hîc reſtabat, ut exponeret Calixtus, an OMNI TEMPORE claris perſpicuisqve verbis traditam Deitatem Meſſiæ crederet, ſed, an tempore Prophetarum; de præcedentibus enim jam negativè mentem ſuam declarârat.

XII. Qvamqvàm verò proteſtetur aliàs non ſemel, ſe non negâſſe, aut etiamnum negare, Deitatem Chriſti è V. T. probari poſſe, Wiederleg. th. XLIV. & poſt refutationem illam, num. XXI. adducens commentum, ut vocat, ſuum, in Mich. v. 2. non tamen nervum tangit, *an tempore Vet. Teſt. ex illis dictis eadem omnibus conſtare potuerit*, ut pro *communiter revelatâ*, ne dicam, omnibus credendâ, aut creditu tùm neceſſaria haberi debeat. Imò ſi clarè revelata in V. T. revelata utiqve, ut ad fidem & ſalutem neceſſaria, qvùm *per accidens* revelari non potuerit, ut de SS. Trinita-

nitatis revelatione ſuprà Calixtus. Id verò luce ipsâ meridianâ clarius eſt, non credere Calixtum, *teſtimonia Deitatis Meſſiæ in V. T.* (ſi qvæ ibi exſtare credit) ita revelata, ut neceſſaria ad fidem & ad ſalutem iſtius ætatis hominibus cognitu fuerit divinitas Meſſiæ. Hanc enim neceſſitatem credendi demum exhibitô Chriſtô exortam eſſe διαῤῥήδην profitetur Wiederleg. th. LXIV. Nemlich, alſs iſt offenbahr und kund worden, daſs numehr der Meſſias oder CHriſtus gekommen, und was dem verlornen Menſchen für dem Verdamnüſs zu befreyen, und der Seligkeit fähig zu machen ſeines theiles nöthig, ins Werck geſtellet und verrichtet, und alſo hinfürder von denen, die ihme durch den Glauben anhängig, oder den Chriſten, hat müſsen veneriret und geehret werden: Da iſt auch eine Nothwendigkeit entſtanden zu wiſſen, ob er nur wäre eine Creatur und bloſſer Menſch, oder aber zugleich wahrer GOtt.

XIII. *Subjecta* etiam diſtingvunt, qvibus facta ante natum Chriſtum revelatio: ideóqve communiter factam revelationem Deitatis, & *communiter* creditam eamdem à fidelibus imprimis impugnant. At Patriarchis, aut Prophetis revelationem ejusdem *peculiarem* factam non uſqve adeo diffitentur, ſed qvam ſibi aſſervârint, aut etiam aſſervare debuerint, qvemadmodùm Drejerus, Erörterung p. 51. de S. S. Trinitatis myſterio affirmat, *id Patriarchis, Prophetis & Viris Synedrii è peculiari revelatione magis cognitum fuiſſe, ſed eos debuiſſe illud clam habere, ut Meſſiæ demum reſervaretur manifeſtandum:* qvod etiam de Deitate Meſſiæ, qvam pariter, uti Trinitatem, vulgo incognitam fuiſſe p. 52. docet, ex mente ipſius dicendum. Nec alia hic Calixti ſententia, qvi dum mentem ſuam, juſſus à ſummo Magiſtratu, de *myſterio SS. Trinitatis*, ſive, ut ipſe

inter-

interpretatur, de *divinitate Filii*, & *S. S.* in V. T. traditâ, *ſuccinctè*, *nervosè* ac *perſpicuè*, ut habent litteræ mandati Annô 1648. 29. Nov. à tribus Principibus dati, proponere, & ἰſκλήματα, qvæ ipſi tribuebantur, declinare voluit, debuit, in *diſſertatione de myſterio Trinitat. Annô* 1649. *editâ*, *Hugonis* verba *de S. Victore iſta de re lib.* I. *de* ſacr. fidei part. x. c. vi. hæc laudavit theſ. V. „ Crevit per tempòra fides in omnibus, ut major eſſet; ſed mutata non eſt, ut alia eſſet. Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo ſalus & redemptio exſpectabatur: per qvem verò & qvomodo ea ſalus perficienda foret, exceptis paucis, qvibus hoc ſcire ſingulariter in munere datum erat, à ceteris, etiam fidelibus, non cognoſcebatur. Sub lege autem perſona Redemptoris mittenda prædicebatur, & ventura exſpectabatur. Qvæ autem ipſa perſona hæc foret, *homo, an angelus, an Deus*, nondum manifeſtabatur. Soli hoc cognoverunt, qvi per Spiritum ad hoc ſingulariter illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeſtè omnibus jam & prædicatur, & creditur, & modus redemptionis; & qvalitas perſonæ Redemptoris. Semper tamen in Eccleſia Dei ab initio fidem & cognitionem fuiſſe credimus incarnationis & paſſionis Chriſti: qvia ab initio numqvàm defuerunt, qvi hoc cognoverunt. *Et capite ſeqvente*: Omnes, qvi futuram redemptionem crediderunt, hæc etiam, in qvibus redemptio conſtabat, crediſſe, non inconvenienter affirmantur. In qvantum enim ipſam, qvæ omnia hæc continebat, redemptionem venturam crediderunt, hæc crediderunt; qvamvìs eamdem de ipſis omnes in credendo cognitionem non habuerunt. Scholaſtici dicerent, *implicitâ* eorum fide præditos fuiſſe, non *explicitâ*.

Qvæ interpretatio adjecta cum iis, qvæ de fide *implicita* ſub V. T. aliàs diſputat, in Reſpon. contr. Mogunt. th. XCIII. & qvæ th. XIII. de *Patriarcharum* & *Prophetarum* cognitione ex *peculiari patefactione* tradit, ipſi non omnino diſplicere Hugonis declarationem facilè docent. Neqve verò negat Calixtus, eam etiam ſuam ſententiam eſſe: *Qvòd ſub lege perſona redemtionis ventura, exſpectata fuerit: Qvæ autem ipſa perſona hæc foret, homo, an angelus, an Deus, nondum manifeſtatum fuerit:* Solùm declarationem verborum iſtorum addit in fine der verantwortung, eamqve hujus tenoris: zu anfang iſt nicht offenbahr geweſen, ob der Meſſias ſein würde anders nicht als ein Menſch, oder ob ſeine Menſchliche Natur mit einer andern höhern, als Engliſchen, oder Göttlichen würde vereiniget werden. In qva declaratione ibi acqvieſcit.

XIV. Qvod *officium* Chriſti attinet, de *paſſione* imprimis Chriſti controverſiam Eccleſiæ movent, utrum eadem primis etiam ſeculis revelata & creditu neceſſaria fuerit: Ita enim Calixtus in der verantwortung Num. XVIII. th. XIX. vom Eſaia iſt auch das Leiden und Sterben Meſſiæ deutlicher prophezeyet, als vorher geſchehen, davon, ehe David ſeine Pſalmen geſchrieben, in vorigen Büchern nichts zu leſen. Negat ergo qvidqvam in libris prioribus Biblicis, ante Davidis Pſalmos, de paſſione & morte Meſſiæ haberi. Cùm incrementum doctrinæ de Meſſia venturo explicat num. XXIII. poſt ſcriptum refutatorium, Wiederlegung, non Davidi, ſed Eſaiæ paſſionis & mortis Chriſti prædicationem tribuit: Zum ſiebenden ſtehet zu beobachten, daſs im Alten die zuſage und Lehre von dem künfftigen Meſſia almehlig zugenommen, und dem vorigen etwas, welches vorhin alſo nicht be-

bekand, zugethan worden. Nemlich anfangs hat Got offenbahret, daſs der Meſſias, der der Schlangen den Kopff zertreten, das iſt, des Teuffels Wercke zerſtören, und der Sünde, dem Tod und Verdamnüſs, welche vom Teuffel eingeführet, ihre Krafft benehmen würde, ſein ſolte Semen mulieris, eines Weibes Sahmen, das iſt, ein Menſch vom Weibe gebohren, Gen. III. 15. Ungefehr nach zweytauſend Jahren iſt hinzugekommen, daſs es werde Abrahams Samen ſeyn, in welchem ſolten geſegnet werden alle Völcker auff Erden. Noch faſt nach tauſend Jahren iſt David König in Iſraël geweſen, deme zugeſaget, daſs Meſſias ſein Sohn, das iſt, aus ſeinen Geblüte, Stamme und Geſchlechte ſolte gebohren werden. Von David biſs auff den Propheten Jeſaiam ſind über zweyhundert Jahr, welcher denn verkündiget, daſs der Meſſias von einer Jungfrawen ſolte gebohren werden, derſelbe hat auch verkündiget, daſs Meſſias für die Sünde der Menſchen leiden und ſterben würde. c. LIII.

XV. Si verò qværatur, an *ſubſeqventibus*, ſive Davidis, ſive Eſaiæ temporibus, & deinceps, *poſtqvàm patefacta Meſſiæ paſſio*, hæc etiam ad fidem ſalvificam pertinuerit, eâqve ratione creditu neceſſaria fuerit? negativam verbis diſertis amplectitur Calixtus, Verantwortung, num. XVIII. Ji. 4. de Petro, Jacobo, Johanne & aliis fidelibus ante paſſionem Chriſti ſcribens, ſie haben gegleubet an den von Gott verheiſchenen Meſſiam, und daſs derſelbe nunmehr gekommen, und were dieſer Jeſus Mariæ Sohn, ob ſie ſchon von ſeinem leiden, ſterben, und aufferſtehen zu der zeit nichts ausdrücklich gewuſt. Solches iſt auch damahls zur Seligkeit gnug geweſen, welches hernach, wie das Ne-

we Teſtam. gäntzlich zur perfection und promulgation gedihen, nicht genug.

XVI. Seductus eſt hìc, ut in aliis multis, ab Arminianis, qvos imprudens ſeqvutus eſt. Qvorum hæc ſunt emblemata: *Adolphi Venatoris* in declar. f. 83. *Multas ob cauſſas ſalus alligari non poteſt hiſtoriali fidei in Jeſu paſſionem & mortem. Nam ſi reqviratur externa hiſtoriæ cognitio, & numqvàm hominem Deo gratum eſſe poſſe ſine fide paſſionis & mortis Jeſu Chriſti, qvid conſilii ſupererit miſeris Judæis, qvibus in qvinqve libris Moſis ne unum verbum hac de re patefactum eſt? Epiſcopii*, part. I. diſput. XI. th. XXI. *Crediderunt* (Patres V. T.) *firmiter promiſſis divinis, qvæ typos & umbras rerum cæleſtium continebant, qvæqve Chriſtum ejusqve beneficia juxta intentionem divinam repræſentabant & præfigurabant: qvâ ratione in Chriſtum Jeſum reſpexiſſe fidem illorum cenſemus. An verò fides hæc in omnibus & ſingulis, (Prophetas enim & alios nonnullos excipi volumus,) conjunctam ſui habuerit notitiam & ſcientiam claram atqve apertam typorum & umbrarum, qvòd videlicet typi atqve umbræ eſſent rerum earum, qvæ nobis nunc adparent, & in Chriſto poſtmodùm evenerunt, disqviri permittimus. Nos difficillimè hoc cum infantili iſtâ populi Iſraëlitici ætate, cúmqve œconomiâ illâ, & ordinaria, qvam Deus in iſta gente obſervavit, diſpenſatione conciliari poſſe credimus. Obſcuram tamen & tenuem habuiſſe neutiqvàm dubitamus.* Apologia Remonſtrantica diſtingvit c. VII. f. 91. fidem in Chriſtum, qvâ tantùm in genere creditus fuit Meſſias venturus, qvam vocat *hiſtoricam*, & qvâ ſpecialiter credimus Meſſiæ mortem, ſatisfactionem, qvam *juſtificantem* rectè nuncupat, & in V. T. reqviſitam fuiſſe negat. *Per fidem in Chriſtum intelligi poteſt aut fides hiſtorica illa, qvâ creditur Meſſiam ali-*

qvando

qvando venturum; aut fides juſtificans, qvâ in Meſſiam moriturum, & morte ſuâ redemptionem populo ſuo impetraturum, imò ex morte in vitam ſuſcitandum creditur: iſtius fidei mentionem expreſſam ſub V. T. ut facerent Remonſtrantes, non erat neceſſe. Nec enim iſta fides eſt fides illa, qvâ ſalus & remiſſio peccatorum obtinetur. Et nemo eſt, qvi dubitare audeat, fidem illam ſub V. T. inter Judæos locum habuiſſe, cum ex hiſtoria V. T. id nimis manifeſtè liqveat, ubi expreſſè legitur, fuiſſe illam communem Judæorum fidem, & inprimis ſanctorum multorum, qvi redemptionem Iſraëlis *exſpectâſſe dicuntur, Luc.* II. 25. *&c. Samaritana etiam mulier id diſertè ſatis teſtatur*, Joh. VI. 52. ſcio Meſſiam venturum, qvi dicitur Chriſtus, cùm venerit, ille nobis annunciaturus eſt omnia. *Hujus autem fidei*, qvà in Chriſtum moriturum creditur, *mentionem expreſſam ſub V. T. ut facerent Remonſtrantes, ſine ulla juſta ratione ab ipſis petitur, cùm certum ſit locum nullum eſſe, unde adpareat*, Fidem iſtam ſub. V. T. præceptam fuiſſe, aut viguiſſe: *imo cùm ex* N. *T.* † *certum ſit, communem Judæorum, ipſorúmqve adeò Apoſtolorum*, jam in Chriſtum credentium, etiam poſt apertam de morte Meſſiæ mentionem, opinionem fuiſſe hanc, fore, ut Meſſias non moreretur, aut morte ſuâ redemptionem fidelibus impetraret. *Hæc autem dum dicunt Remonſtr.* non idcirco negant verum eſſe, Fidem in Jeſum Chriſtum ſub V. T. præſcriptam atqve exercitam non fuiſſe, *nihilominus tamen ſtatuunt, fidem illam, qvæ ſub V. T. fuit, indirectè fidem in Jeſum Chriſtum dici poſſe.* Hactenus *Apologia.*

XVII. Ex his itaqve conſtare arbitramur, qvid de fide in Chriſtum ante ejusdem exhibitionem, qvid ſpeciatim de illa ante tempora Davidis, qvid de-

† Argumentum Drejeri Erörter. p. 52. & Calixti n. XIX. poſt refutation.

deniqve ſub primis qvoqve ſeculis antediluvianis ſive Novatores, ſive Remonſtrantes ſtatuant. Conveniunt nempe in eo, qvòd utriqve negent, *fidem in Chriſtum, ceu verum Deum & hominem, anteqvàm in mundum veniret, neceſſariam fuiſſe ad ſalutem*, (qvam Remonſtrantes ne nunc qvidem ſub N. T. neceſſariam agnoſcunt,) ac porro *fidem qvoqve paſſionis ejus* ab hominibus ſalvandis reqviſitam fuiſſe, inficientur: Tùm verò cum *Venatore* conſentiunt, qvòd *in libris Moſis de fide paſſionis & mortis Chriſti nihil traditum ſit*, imò nullam expreſſam mentionem ejus factam eſſe *ante Davidem*, vel etiam *ante Eſaiam* facilè annuunt Remonſtrantes. Conf. *Apol. c.* VII. *fol.* 91. *verſô*, qvemadmodùm etiam de *Deitate Chriſti non traditâ ante Davidem*, qvantum ex ſcriptis Remonſtrantium adparet, ὁμόψηφοι ſunt utriqve; unde certùm eſt, multò minus *antediluvianis ſeculis* Deitatis ac paſſionis Meſſiæ revelationem concedi. De qvibus tamen, ut & de aliis, fatemur differentiam intervenire qvà propriæ ſententiæ explicationem; etſi facilè conſpirent in orthodoxæ fidei, de neceſſitate revelationis doctrinæ & cognitionis divinæ Chriſti naturæ & paſſionis ejusdem ante adventum Meſſiæ, & fidei Veterum in Meſſiam, impugnatione: qvam hôc mactat Calixtus Tr. de pact. th. XII. præclarô elogiô, *qvòd non fuerit NULLA, & qvòd in V. T. tantùm umbra fuerit fidei*, ſiqvidem *legem umbram habuiſſe* dicat, tùm reſpectu *propoſitionis & declarationis bonorum*, tùm *reſpectu Meſſiæ*, tùm *etiam reſpectu fidei, qvæ à parte hominum tamqvàm medium adqvirendi interceſſit.* Qvæ diverſitas uti ex iis, qvæ diximus, elucescit, ita qvum propoſitum nobis hìc ſit potiſſimùm communem Eccleſiarum noſtrarum fidem & orthodoxiam de *fide Veterum*, in ſpecie *de Deitate Meſſiæ, & paſſione ejusdem ſatiſ-*

fa-

factoriâ aſſerere, non eſt qvod in diverſitate iſta enucleanda occupemur.

XVIII. In terminis qvoqve *fidei implicitæ, neceſſitatis*, ratione *mandati ac medii*, & id genus aliis, in qvibus lubenter κρησφύγετα qværunt Novatores, explicandis, nunc non hærebimus, qvum brevitati ſtudere oporteat, & præclarè talia expedita ſint in Dialyſi Apolog. Dn. D. Hülſemanni noſtri; Nec qvæ hic intercurrunt alia φορτικὰ ἀκούσματα à Remonſtrantibus hauſta, maximè, qvæ in *pernitioſiſſimo Calixti Scripto de pactis*, † *qvæ Deus cum hominibus iniit*, obvia ſunt, perſeqvi licet; qvod alibi, qvantum par erat, factum, *Harmoniâ* nempe *Calixti cum Socin. & Remonſtrantibus c.* IX. Id ſolùm ſuccinctè probabimus, fidem Veterum, qvâ juſtificari, ac ſalutem adipiſci oportuit, etiam temporibus antediluvianis complexam fuiſſe *notitiam Chriſti*, non modò tamqvàm *hominis* & *ſeminis mulieris*, ſed etiam ceu veri Dei; nec ſolùm, qvâ aliqvam is redemptionem præſtiturus erat, ſed qvâ nos *paſſionis ac ſangvinis* λύτρῳ redimere debuit: Qvâ theſi probatâ, cetera *de revelatione Deitatis & paſſionis Meſſiæ*, de *teſtimoniis utriuſqve in V. T.* de *neceſſitate credendi utrámqve*, de *fide non implicitâ in redemtorem, ſed explicitâ*, & ſimilia, haud difficulter conſtabunt.

† edito Helmeſtadii CIↃ IↃC LIV. in 4to, qvem, ſi DEUS dederit, hic iterum brevi curabimus & edemus denuò.

SECTIO II.

Argumentis qvibuſdam veritatem confirmans.

§. XIX.

Qvamqvàm multa pro confirmanda fide veterum in medium adduci poſſint, brevitatis tamen præſcriptæ memores, nonnulla ſaltem annotabimus. Primum autem argumentum petimus à *Meſſiæ Redemptoris* προεσκευασμένοις. Verus Meſſias & Redemptor, in qvem credendum, non eſt niſi θεάνθρωπος, qvi λύτρῳ paſſionis, & ſangvinis ſui genus humanum redimit. Merus enim homo pro Meſſia & Redemptore generis humani haberi ac ſuſcipi neqvit; nec veri nominis redemptor eſt, niſi qvi pretii interventu redimit, qvod hic nullum aliud eſt, niſi λύτρον ſangvinis Meſſiæ. At Meſſias Veterum, qvem illi, & in qvem credidêre, ſecundùm Novatores & Remonſtrantes non eſt θεάνθρωπος, λύτρῳ ſangvinis redimens. Siqvidem ignorârint, an Meſſias futurus ſit Deus, nec ne? an redempturus paſſione ac ſangvine, nec ne? Ideóqve Meſſias Veterum, qvem ipſi, & in qvem credidêre, non eſt verus Meſſias. Ita ergo pios veteres, Patriarchas, alióſqve fideles ignaros & expertes faciunt veri Meſſiæ, & veri Redemptoris, qvum ſine divina natura non ſit Meſſias, neç ſine pretio ſangvinis verè Redemtor ſit, ſed impropriè ſolùm redemptor dicatur. Si enim ſine Meſſia vero fuêre, utiqve *alieni* fuêre *à teſtamentis promiſſionum, ſine ſpe, & ſine Deo in hoc mundo.* Eph. II. 22. *Neſcit planè, neſcit vitam ſuam, qvi Chriſtum,*

ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat, ait *Hilarius*, lib. IX. de Trinit. Qvod verò Redemptor credi non potuerit Meſſias, ſine fide & cognitione *paſſionis*, vel è Catechiſmo B. Lutheri diſci poterat: qvum etiam puer interrogatus: *Qvid credis*, in ſecundo articulo de Jeſu Chriſto? ad hunc modum reſpondeat: *Ego credo, Jeſum Chriſtum verum Deì Filium Dominum meum factum eſſe.* Qvid hoc ſibi vult, *fieri Dominum? Hoc eſt, qvòd me liberavit ſangvine ſuô à peccatis, Diabolo, morte & omni exitio. Ante eum neqve Regem habebam, neqve Dominum, ſed ſub Diaboli poteſtate atqve imperio captivus tenebar, ad mortem condemnatus, inqve peccato ac cæcitate irretitus.* Hunc Dominum, hanc liberationem ſangvine factam, ſi ignorârunt fideles antiqvi, qvænam fiducia, qvænam ſpes ipſis ſupereſſe poterat?

XX. Nec verò eſt, qvòd dicas, non *omnimodam ignorantiam Meſſiæ antiqvis tribui, ſed ſolùm Deitatatis & paſſionis ejus, de cetero ſciviſſe ſeipſos & crediſſe Redemptionem per Meſſiam perficiendam.* Qvæ enim hæc notitia eſt, ſive *perſonæ*, ſive *officii*, qvum id, qvod potiſſimum & ſpecificum, ut ita dicam, eſt in *perſona* & in *officio*, ignoratur, ſine qvo neqve *perſona* Redemptoris, neqve *officium* Redemptionis credi poteſt, ſed penitus ignoratur? Si neſcivêre pii veteres, *An* Meſſias *homo, an angelus, an Deus futurus*, an non planiſſimè ignorârunt perſonam ejus? Nullæ enim aliæ ſunt perſonæ, qvàm *divinæ, angelicæ & humanæ:* qvibus ignoratis, prorſus ignoratur perſona. Si verò id ſolùm ignorârunt, *an Meſſias homo merus, an verò angelicæ, aut divinæ naturæ unitus futurus*, uti nunc noviſſimô ὁῥήματι *Hugonis* verba emollire conatur Calixtus, qvomodo fidem in Meſſiam collocare, qvomodo *ſalutem* ab ipſo & in ipſo ſperare

 re

re potuêre? Num Angelus hominem liberare potuit, aut ſalus ab ipſo ſperari, & in ipſum fides collocari? *Niſi Deus donâſſet ſalutem, non firmiter haberemus eam, & niſi homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei & hominum per ſuam ad utrósqve domeſticitatem amicitiam & concordiam utrâmqve reddere & facere, ut Deus aſſumeret hominem & homo ſe dederet Deo. Deus igitur erat, hominis reliqvam plasmationem in ſe recapitulans, ut occideret qvidem peccatum, evacuaret autem mortem, & vivificaret hominem*, ait *S. Irenæus*, lib. III. c. XX. Hæc à mero homine, vel angelo, aut etiam ἀγγελανθρώπῳ qvem in mente fidelium antiqvorum hæſiſſe fingit Calixtus, dubiâ ac pendulâ prorſus, *an talis futurus eſſet Redemptor, nec ne*; fieri aut exſpectari qvomodo poterant? *Thomas* certè ipſe, etſi Parte III. qvæſt. I. art. II. concluſionem ſtatuerit ejusmodi; *potuiſſet Deus ex infinitate ſuæ divinæ potentiæ alio, qvàm incarnationis opere, genus humanum reparare; ſed, ut homo faciliùs & meliùs ſuam conſeqveretur ſalutem, hoc neceſſarium fuit, ut verbum ejus caro fieret*: in confirmatione tamen ejusdem fatetur, hominem merum ſatisfacere non potuiſſe: § *Qvintò*; *Homo* inqviens, *purus* ſeu merus *ſatisfacere non poterat pro toto humano genere, Deus autem ſatisfacere non debebat: unde oportebat Deum & hominem eſſe Chriſtum.* Rurſus, ſi nec paſſio Chriſti credenda aut credita fuit, qvî, qvæſo, Redemptio hominis, qvæ ſine ſangvinis effuſione nulla eſt, credi potuit? Fatetur *Calixtus* cum Scholaſticis nonnullis, *Alberto M.* in Tertium diſt. XX. art. III. *Thomáqve* ipſo in eamdem diſtinctionem Tertii, qvæſt I. art. IV. & art. II. „ non potuiſſe aliter Redemptionem fieri, „ qvàm per miſſionem Filii, & pretii ſolutionem.

„ Non

„ Non perſvadet, *inqvit, Tract. de pactis th.* XXXI.
„ Durandus, juſtitiæ & veritati ſuas partes fore
„ integras, ſi in eum, qvi ſolennem legem, à ſuo
„ creatore, cui ſemetipſum & tantam ſuam feli-
„ citatem debebat, poſitam, per inobedientiam
„ & contumaciam violaverit, juxta merita ſua non
„ animadvertatur, & pœnæ, qvæ conſtituta &
„ dictata fuit, gratia fiat. Abſoluta igitur Dei po-
„ tentia non eſt eouſqve extendenda, ut abſolutæ
„ ejus perfectioni deroget, aut detrahat. Conce-
„ dunt itaqve Scholaſtici, qvibus oppoſita arridet
„ opinio, qvòd ſi habenda ſit ratio juſtitiæ, (qvâ
„ nos, actiones divinas deſtitui poſſe, negamus,)
„ & redemptionis preciiqve juſti pro redemptione
„ exſolvendi, non potuerit id aliter præſtari,
„ qvàm Filiô Dei in carnem miſſô. Hinc etiam
obſervat diſtinctionem inter *liberationem, qvæ ex-
cludat reſpectum ad juſtitiam, legitimámqve ſatisfa-
ctionem;* & *redemptionem*, qvæ *includat.* Qvomo-
do ergo Patres ac fideles antiqvi potuêre in Re-
demptorem vel Redemptionem credere, ſi nulla
Redemptio locum habuit, aut habere potuit, ne
per *abſolutam Dei potentiam*, utpote qvæ abſolutæ
ejus perfectioni ac juſtitiæ derogare neqveat, niſi
Filiô in carnem miſsô, & redemptionis pretiô ju-
ſtô (Sangvinis) perſolutô, ſiqvidem illis nihil de
Deo Redemptore, aut redemptione, per pretium
ſangvinis peragenda, conſtiterit? Crediderunt er-
go in Redemptorem non-Redemptorem, imò, qvi
Redemptor eſſe non potuerit; crediderunt *redem-
ptionem non-redemptionem*, imò qvæ redemptio eſſe
non potuerit, ne per abſolutam qvidem Dei po-
tentiam.

XXI. Alterum argumentum *à natura juſtifica-
tionis* petimus. Juſtificationem hominis peccato-
ris coram Deo conſiſtere *in remiſſione peccatorum,*

& impu

& imputatione juſtitiæ Chriſti, uti ê Scriptura S. libri noſtri Symbolici, qvibus jurisjurandi ſacramentô adſtrictus eſt Calixtus, docent, & aliàs ex profeſſo demonſtratur, ita negare non poterunt Novatores, niſi in hoc cardinali fidei articulo contra datam fidem à fide librorum ſymbolicorum Apoſtolicâ defeciſſe, ab universa Eccleſia judicari velint. De hoc articulo corpus Julium part. 1. p. 14. ita ſtatuit. Dieſer Artickel, wie wir armen Sünder bey GOtt mögen zu Gnaden kommen, alſo, daſs wir mit ihm, den wir mit unſern Sünden erzürnet haben, wiederumb mögen verſöhnet werden, wie die Apologia recht ſaget, iſt der fürnembſte der gantzen Chriſtlichen lehre, welcher zu klarem richtigem Verſtande der gantzen H. Schrifft fürnemlich dienet, und in die gantze Bibel allein die thür aufthut, ohne welchen Artickel auch kein arm gewiſſen einigen recht beſtendigen Troſt haben, oder den Reichthumb der gnaden Chriſti erkennen mag. Derhalben ſol und muſs dieſer Artickel finis & ſcopus ſeyn, dahin und darauf alle lehren und predigten fürnemlich ſollen gerichtet werden, und ſol derſelbige Artickel ja mit allem fleiſs, gründlich, deütlich, klar und einfeltig dem Volck fürgetragen werden, weil daran gelegen aller Menſchen Heyl und Seeligkeit. Articulum verò ipſum ſic explicat in parte poſtrema, c. VI. p. 86. In dieſem Artickel heiſt rechtfertigen, daſs ein Armer ſünder, der da ſchuldig iſt, von GOtt los geſprochen, und für gerecht angenommen wird, von wegen fremder Gerechtigkeit des Gehorſams, Leidens, Sterbens und Auferſtehung Chriſti, welche den Sündern mitgetheilet, und zugerechnet wird durch den glauben. Finge jam cum Calixto, antiqvos fideles nihil de Filio Dei, nihil de Deo redemptore, nihil de paſſione

ac

ac merito Chriſti ſciviſſe, qvomodo hunc fidei articulum in qvo OMNIUM hominum SALUS ſita eſt, credere potuêre? Qvid ſodes! coram tribunali Dei conſtituti, ac ejus ſententiâ propter peccata condemnati, huic Dei judicio? qvid infinitæ ejus juſtitiæ, atqve iræ? qvid legis maledictioni & condemnationi opponere potuêre, ſi juxtà cum ignariſſimis ſcivêre Redemptionem Filii Dei, & ſatisfactionem pro peccatis? Num ſolam notitiam alicujus redemptoris, de qvo non conſtitit, *homo, angelus, an Deus futurus ſit*, opponere judicio Dei potuêre? Num redemptionem nullam, ſed qvalemcumqve ſolùm liberationem, animô complexi, infinitæ Dei juſtitiæ ſatisfieri, iram Dei placare, æternam ſalutem reſtitui poſſe, vel præſumere tantùm, nedum firmâ fide, ut par eſt, credere potuêre? Longè aliud Scriptura S. longè aliud ex eâ *A. C. Apologia*, ut & *Corpus Julium* docet, qvod parte poſtremâ, art. VI. f. 83. juſtificationis modum, & juſtitiam, qvæ in eadem imputatur credentibus, adeóqve ab omnibus, qvi juſtificari volunt, credenda eſt, hiſce exponit: Dieſer ſein Sohn, (GOttes Sohn) als der Mittler, iſt an unſer ſtatt getreten, und iſt ümb unſert willen unter das Geſetz gethan, Gal. IV. 4. und iſt mit ſeinem Gehorſam, Leiden und Sterben, das Opffer für unſere Sünde worden, und hat damit an unſer ſtatt dem geſetze gnug gethan, und alſo die Gerechtigkeit, ſo das geſetze von uns erforderte, für unſs und an unſere ſtatt erfüllet Rom. VIII. 3. 4. und weil dieſe perſon GOtt und Menſch iſt, ſo iſt auch ſeine gnugthuung und bezahlung, dem geſetz für uns geleiſtet, gantz vollkommen und gnugſam zur bezahlung für die Sünde der gantzen Welt, 1. Joh. 1. 7. Ne verò dicatur, hæc tantùm *cauſſam meritoriam* juſtificationis, non verò *cauſſam formalem* con-

concernere, ilicò ſubjungitur : dieſe gerechtigkeit aber und ſolch verdienſt Chriſti leſt uns GOtt im Wort des Euangelii, und in den lieben Sacramenten fürtragen, anbieten, und wil, daſs wir ſie durch den Glauben, welchen der H. Geiſt durchs Wort in uns anzündet und wircket, begreifen und annehmen ſollen, Rom. III. und alſo werden wir für GOtt gerecht, nicht ohne gerechtigkeit, ſondern vermittelſt und durch die allerhöchſte und volkommenſte Gerechtigkeit, die unſer Mittler der Sohn GOttes, da er unter das Geſetz gethan war, mit ſeinem Gehorſam, Leiden, Sterben, und Aufferſtehung uns erworben hat. Denn dieſe frembde Gerechtigkeit Chriſti rechnet Gott aus gnediger Barmhertzigkeit denen ſündern zu, welche in wahrer buſs durch rechten Glauben Chriſtum im Wort und Sacramenten ergreiffen und annemen, alſs der ihnen zur Gerechtigkeit von GOtt gemacht und gegeben iſt, und ſtellet dieſelbe Gerechtigkeit Chriſti zwiſchen Gottes Zorn und ihre Sünden. Umb dieſer Gerechtigkeit Chriſti, und deſſelben Verdienſt willen, macht GOtt die gleubigen gerecht, das iſt, Er ſpricht ſie gerecht, abſolviret und ſpricht ſie loſs von ihren Sünden, vom Urtheil der Verdamnüſz, und des ewigen Todes, nimbt ſie zu gnaden auf, helt ſie vor ſeine Kinder, und machet ſie Erben der Zeligkeit und des ewigen Lebens. Daher denn die jenigen, ſo durch den Glauben gerecht worden ſeyn, friede mit Gott haben; und einen freundlichen zugang zu Gott und ſeiner gnaden durch den Glauben, in hoffnung der zukünfftigen herligkeit, die GOTT geben ſol, Rom. v. 2. Ut ergo *ſine juſtitia* non juſtificatus umqvàm qvisqvam, ſed *per juſtitiam*; ita non per *qvalemcunqve* juſtitiam, ſed per juſtitiam *ſummam & perfectiſſimam, ipſius Filii Dei paſſione partam*;

nec

nec tantùm ita per eamdem, ut vi & meritô ejusdem juſtificetur, ſed prout eadem fide adprehenditur, & qvum aliena ſit juſtitia, nobis imputatur, qvod non fit, niſi *per fidem adprehendentem, acceptantem, & adplicantem* homini juſtificando hanc juſtitiam, eamdémqve opponentem iræ Dei & peccatis hominis juſtificandi, ſine qva fide imputari non poteſt juſtitia Meſſiæ, qvia adprehendi ſine ea non poteſt: Unde nullus umqvàm inde à primordiis Eccleſiæ juſtificatus eſt, aut juſtificari potuit, niſi qvi fide in meritum Filii Dei præditus fuerit. Atqve hæc eſſe *fundamenta hujus doctrinæ* rectiſſimè profitetur Corpus Julium, locô jam laudatô, das ſind die Fundamenta und Hauptgründe dieſer lehre von der Gerechtigkeit des Glaubens für GOtt.

XXII. Si dicas, *ſuffeciſſe antiqvis, qvòd patefactum fuerit, Deum ipſis gratiam exhibere velle per Mediatorem vel Redemptorem, etſi qvisnam ille Mediator, qvænam ejus redemptio ſit, ignorârint*; contradicis Scripturæ, ut & Symbolicis libris, qvi juſtificationem in remiſſione peccatorum, & imputatione juſtitiæ Meſſiæ ſitam eſſe; ex illa docent, qvâ non tantùm *remiſſio peccatorum*, ſed etiam *juſtitia* illa adprehenditur per fidem. Æqvè ergo ad eamdem opus fuit *fide in juſtitiam*, vel *obedientiam activam & paſſivam Filii Dei*, ut qvæ ſola imputabilis, ut ita dicam, eſt, ad juſtificationem & ſalutem, atqve opus fuit *fide in remiſſionem peccatorum*. Nec habet homo peccator in judicio Dei, ſententiâ legis condemnatus, ob peccata, ex qvo fiduciam remiſſionis peccatotum concipere poſſit, illius notitiâ deſtitutus, qvô ſolo legis maledictio avertitur. Etiamſi ergò audiviſſet, ſe in gratiam receptum iri, obſtitit divina comminatio, *morte morieris*; obſtitit divina maledictio,

de qva voce legis convincebantur; obſtitit τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, naturâ notum, qvô minus potuerit credere remiſſionem peccatorum, ignarus ſatisfactionis & meriti Filii Dei. Ideoqve *primus & principalis Articulus* hic conſtituitur in *Articulis Schmalcaldicis*, parte primâ, qvòd *Jeſus Chriſtus, Deus & Dominus noſter, ſit propter peccata noſtra mortuus, & propter juſtitiam noſtram reſurrexerit Rom.* IV.25. *Et qvod ipſe ſolus ſit Agnus Dei, qvi tollit peccata mundi. Joh.* I.29. *Et qvòd Deus omnium noſtrum iniqvitates in ipſum poſuerit Eſai.* LIII.6. *Omnes peccaverunt, & juſtificantur gratis absqve operibus, ſeu meritis propriis, ex ipſius gratia, per redemptionem, qvæ eſt in Chriſto Jeſu, in ſangvine ejus, Rom* III.23. Et qvòd hoc omnibus, qvi juſtificari volunt, credendum ſit, nec qvidqvam de illo cedi aut à fide eximi poſſit, graviter ibidem monetur. *Hoc cùm credere neceſſe ſit, & nullo opere, lege, aut meritô acqviri & adprehendi poſſit, certum eſt & manifeſtum*, ſolam hanc fidem nos juſtificare, *ſicut Paulus Rom.* III.28 *inqvit:* Statuimus, juſtificari hominem per fidem absqve operibus legis. *Item*, v.26. Ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qvi eſt ex fide Jeſu Chriſti. *De hoc articulo* cedere, *aut aliqvid contra illum largiri, aut permittere nemo piorum poteſt, etiamſi cælum & terra, ac omnia corruant. Non enim eſt aliud nomen hominibus datum, per qvod ſalvari poſſimus* (*inqvit Petrus Actor.* IV.12.) *& per vulnera ejus ſanati ſumus, Eſa* LIII.5. Nullum ergo dubium omnibus, qvicumqve juſtificati unqvàm ſunt, hoc credendum fuiſſe, creditúmqve fuiſſe; qvum in illo uno juſtitia & ſalus hominum conſiſtat, nec alia juſtitia & ſalutis ratio fingi aut excogitari poſsit, tantùm abeſt, ut credi à qvoqvam potuerit, aut ulli ad ſalutem proficere.

XXIII. Ter-

XXIII. Tertium Argumentum petimus à *fidei juſtificantis natura.* Fides enim juſtificans & ſalvifica non eſt *conditio* qvædam *legi Euangelicæ*, ut loqvi cum Arminianis amat Calixtus, addita, qvæ pro ratione temporum variari potuerit, ac aliter atqve aliter præſcribi, aut circumſcribi; ſed qvemadmodùm Eccleſiæ noſtræ hactenus è verbo Dei unanimi conſenſu docuerunt, & in libris Symbolicis docendum eſſe præſcripſerunt, adplicatio ſatisfactionis & meriti Chriſti *θεανθρώπου*, vel redemptionis, *λύτρῳ* ſangvinis ipſius factæ, qvam credentium qvisqve adprehendere ſibíqve adplicare tenetur. Ut qvisqve ſerpentem ſuſpenſum æneum intueri tenebatur, qvi à morſu ſerpentis letifero vivificari volebat; ita omnes qvicumqve morſu planè letali ſerpentis infernalis non perire, ſed vitam æternam conſeqvi umqvàm voluêre, verâ fide Filium Dei in mortem traditum intueri debuêre, teſte Chriſtô *Joh.* III. 16. *Ita omnibus partibus* (inqvit *Calixtus in Concordia Euangeliſt.* p. 132.) *hic typus reſpondet, ideóqve præ aliis electus eſt, qvi adhiberetur, cùm inſuper apertè declaret, non poſſe homines,* NISI *per Chriſti mortem, & fidem in Chriſtum ſalvari, ſicut nec læſi à ſerpentibus ſanari potuiſſent.* Ut in Chriſtum qvìsqve credere, ita fide adprehendere ipſum & juſtitiam ejus tenetur, *Joh.* I. 12. *Phil.* III. 9. Qvæ fides, qvalísnam ſit, qvâ juſtificari oporteat, qvicumqve juſtificantur, docet Paulus Rom. III. qvòd nempe ſit *fides in ſangvinem Chriſti, & redemptionem, ſangvine Chriſti factam, v.* 24. 25 *& juſtitiam ipſius, qvæ per fidem obtinetur, v.* 22. *& in juſtitiam nobis imputatur Rom.* IV. 3. qvòd *traditus ſit propter peccata noſtra, & ſuſcitatus ſit propter juſtitiam noſtram. v.* 26. adeò, ut *unius obedientiâ*, fide adprehensâ, æqvè omnes juſtificentur, qviçumqve juſtificantur, qvemadmodùm

dùm per *inobedientiam unius omnes peccatores conſtituti ſunt Rom.* v. 19. Porrò juſtificantem fidem ita deſcribit Apoſtolus *Gal.* II. 20. qvòd nempe *fides ſit Filii Dei*, vel in *Filium Dei*, *qvi nos dilexit*, *& ſemetipſos pro nobis tradidit*, adeóqve *redemptionem*, qvæ credenda omnibus, qvicumqve per fidem à maledictione legis immunes eſſe cupiunt, non definit citra mentionem *paſſionis & ſangvinis* Chriſti, ſed eam, ceu creditu cumprimis neceſſariam, includit *Roman.* III. 24. I. *Cor.* I. 30. 31. *Gal.* III. 13. *Eph.* I. 7. c. II. 5. 8. *Phil.* III. 9. 10. *Col.* I. 10. I. *Tim.* II. 6. *&c.* Atqve hoc eſt, qvod Auguſt. Confeſſ. art. IV. tradit, *qvòd gratis juſtificentur homines*, *cùm credunt*, *in gratiam recipi*, *& peccata remitti propter Chriſtum*, *qvi ſuâ morte pro peccatis noſtris ſatisfecit*, *& hanc fidem imputet Deus pro juſtitia coram ipſo*; *Roman.* III. *&* IV. Et art. XX. *qvòd opera noſtra non poſſint reconciliare Deum*, *aut mereri remiſſionem peccatorum*, *& gratiam*, *& juſtificationem*, *ſed hanc fide tantùm conſeqvamur* CREDENTES, (qvidnam verò eſt id, qvod credendum?) *qvòd propter Chriſtum recipiamur in gratiam*, *qvi ſolus poſitus eſt mediator & propitiatorium*, *per qvem reconciliatur Pater.* Redemptionem autem ſangvine Chriſti factam hâc fide comprehendi, paullò poſt indicatur, & qvid fides juſtificans ſit, §. *admonentur etiam*, hiſce explicatur. „ Admonentur etiam ho-
„ mines, qvòd hìc nomen fidei non ſignificet
„ tantùm hiſtoriæ notitiam, qvalis eſt in impiis
„ & Diabolo, ſed ſignificet fidem, qvæ credit non
„ tantùm hiſtoriam, ſed etiam effectum hiſtoriæ,
„ videlicet hunc articulum remiſſionem peccato-
„ rum, qvòd videlicet per Chriſtum habeamus
„ gratiam, juſtitiam, & remiſſionem peccatorum.
Similiter definitur fides *juſtificans in* Apolog. Au-
„ guſt.

guſt. Confeſſ. *art. de juſtific. p.* 68. *in F. C.* Sed „ illa fides, qvæ juſtificat, non eſt tantùm noti- „ tia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſſioni Dei, „ in qva gratìs propter Chriſtum offertur remiſſio „ peccatorum & juſtificatio. Ne autem ambiga-mus, incluſam velle Apologiam notitiam *paſſionis*, *meriti & ſatisfactionis* Chriſti, ſubjungit, qvæ hic addimus. *Qvamqvàm facile erit judicare, qvid ſit fides, ſi Symbolum conſideremus, ubi rectè ponitur hic articulus*, remiſſionem peccatorum: *Itaqve non ſatis eſt credere, qvòd Chriſtus natus, paſſus, reſuſcitatus ſit;* (in V. T. qvòd naſci, pati, ac reſuſci-tari debeat) „ niſi addamus & hunc articulum, „ qvi eſt cauſſa finalis hiſtoriæ, remiſſionem pec- „ catorum. Ad hunc articulum referri cetera „ oportet, qvòd videlicet propter Chriſtum, non pro- „ pter noſtra merita, donetur nobis remiſſio pec- „ catorum. Qvid enim opus erat, Chriſtum da- „ ri pro peccatis noſtris, ſi noſtra merita pro „ peccatis noſtris poſſent ſatisfacere? Qvoties i- „ gitur de fide juſtificante loqvimur, ſciendum „ eſt, hæc tria objecta concurrere, promiſſionem „ & qvidem gratuitam, & merita Chriſti tam- „ qvàm pretium & propitiationem. Promiſſio „ accipitur fide, gratuitum excludit noſtra meri- „ ta, & ſignificat tantùm per miſericordiam of- „ ferri beneficium; Chriſti merita ſunt precium, „ qvia oportet eſſe aliqvam certam propitiatio- „ nem pro peccatis noſtris. Ne verò credatur, tantùm de fide juſtificante ſub N. T. ibi ſermo-nem eſſe; additur illicò diſertis verbis, qvòd hæc ipſa fides fuerit Patrum, eâqve juſtificati ſint. Nec tantùm hoc nudè aſſerit Apologia, ſed præ-clarè demonſtrat è Scripturis p. 76. „ Adjicie- „ mus igitur teſtimonia, qvæ clarè pronunciant, „ qvòd fides ſit ipſa juſtitia, qvâ coram Deo ju-

„ ſti reputemur, videlicet non qvia ſit opus per
„ ſeſe dignum, ſed qvia accipit promiſſionem,
„ qvâ Deus pollicitus eſt, qvòd propter Chriſtum
„ velit propitius eſſe credentibus in eum; ſeu
„ qvia ſentit, qvòd Chriſtus ſit nobis factus à
„ Deo ſapientia, ſanctitas & redemptio: in qvam
rem teſtimonia non tantùm è Novo, ſed etiam *Vet. Teſt.* nec ſolùm de temporibus Novi, ſed etiam de temporibus Vet. Teſt. idem docentia, qvòd nempe *illâ fide juſtificati ſint, qvicumqve juſtificati ſunt*, adducit. Ex qvibus omnibus breviter ita concludimus: Adprehenſio fiducialis non poteſt ferri in objectum niſi cognitum: Fides juſtificans eſt adprehenſio fiducialis meriti Filii Dei: E. ferri non poteſt in hoc objectum ſuum, niſi id ipſum cognitum fuerit. Qvapropter veteres fideles aut fide juſtificante deſtituti fuêre, aut cognitum habuêre, neceſſum eſt, meritum Filii Dei. Adprehenſio enim objecti fieri non poteſt, niſi id ipſum cognoſcatur.

XXIV. Si dicas, *fiduciâ veteres non fuiſſe deſtitutos, etſi eam non habuerint notitiam*: qvemadmodùm *Calixtus* excipit de pactis th. XCI. *Etiamſi fides in Meſſiam venturum, qvoad omnia, qvæ paſſus eſt & præſtitit, non eſſet ita plena & diſtincta, ſicut eſt hodie in exhibitum: non tamen erat NULLA, ſed qvo ad latitudinem cogniti objecti tanta, qvanta iſto rerum ſtatu ſufficeret; qvoad* πληροφορίαν *verò æqvalis, aut etiam apud nonnullos major.* Reſp. Non eqvidem ita *plenâ* & *diſtinctâ* fide præcisè opus erat, qvoad OMNIA, *qvæ paſſurus & facturus* erat, qvalem hodie habemus; qvemadmodùm ne hodie qvidem præcisè omnia illa, qvæ vel paſſus eſſe, vel feciſſe Chriſtus legitur, omnibus ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt; interim non ſufficiebat ejusmodi ſolùm fides in Meſſiam, qvæ ſal-

tem non omnino nulla, qvæqve *Deitatis* & *paſſionis* ejus reſpectu planè *nulla* eſſet: Neqve *fiducia*, aut πληροφορία ulla locum habuit, aut habere potuit, nedum *major*, qvàm apud Chriſtianos fideles reperitur, nullatenus cognitâ Deitate, vel paſſione ac ſatisfactione Chriſti: *Fiducia* enim præſupponit *aſſenſum* & *notitiam*. Non cognitâ autem ſatisfactione Filii Dei, qvomodo in eamdem fiducia collocari potuit? Fiducia non niſi in verum Deum collocanda eſt. Qvum maledictus voce Domini pronuncietur is, *qvi in hominem fiduciam collocat*, *Jer.* XVII. 5. qvomodo ergò fiduciam collocare in Meſſiam potuêre veteres, ſi ignorârunt, vel non crediderunt eumdem verum Deum? Fiducia peccatorum remiſſionis nulla eſt, aut eſſe potuit *extra paſſionem*, vel *ſangvinem Meſſiæ*: remiſſio peccatorum non eſt *abſoluta*, ſed fundata in Chriſti paſſione & ſatisfactione, teſte universâ Scripturâ. Qvod ſi itaqve nullam habuêre notitiam paſſionis & ſatisfactionis Meſſiæ, qvomodo fiduciam remiſſionis peccatorum habere potuerunt? πρῶτον ψεῦδος erroris eſt, qvòd *fidem* ut *conditionem* ſolùm *legis novæ*, qvæ *modô hoc*, modò *alio pactô* à Deo reqviri ac præſcribi potuerit, cum *Arminianis* conſiderent Novatores, non verò uti debebant, ceu *medium* ἀντιληπτικὸν *remiſſionis peccatorum in ſangvine Dei*, & *juſtitiæ Filii Dei*, alioqvin hìc non fingerent fiduciam ſine horum cognitione.

XXV. Sed properandum nobis ad argumenta ſpecialiora. Proinde reliqva generalia, qvæ hìc fieri poterant, prætermittimus: & *qvartô* locô ad *decretum Concilii Hieroſolymitani* de identitate juſtificationis & fidei Patrum priſcorum & Noſtræ accedimus. Decretum ita habet *Act.* XV. 11. *Credimus per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti nos ſer-*

vatum iri, qvemadmodùm & illi, antiqvi ſcil. Patres, ſervati ſunt. Hanc enim ejus ſententiam eſſe, admittit *Calixtus* de pactis, th. XL. & alibi: unde concludimus: Qvemadmodùm gratiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti, per fidem adprehensâ, nos ſervamur, ita & ad eumdem modum etiam Patres antiqvi ſervati ſunt. Qvæ propoſitio nititur verbis decreti emphaticis καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι: At nos gratiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti, per fidem adprehensâ, ſervamur, qvatenus credimus in Jeſum Chriſtum verum Deum & verum hominem, Dominum noſtrum, qvi ſibi nos ſangvine ſuô acqviſivit, *Act.* xx. 28. *Gal.* II. 20. *Roman.* III. 25. vel illâ gratiâ, qvam ipſe, non ut nudus homo, ſed ut verus DEUS, Dominus noſter, nobis exhibuit, ſemetipſo traditô pro nobis, ut nos à maledictione legis redimeret, ac lege pro nobis præſtitâ, ut in nobis impleretur juſtitia legis, per fidem in ipſum, vel ut nos obedientiâ ipſius juſti conſtitueremur. E. ad eumdem modum gratiâ Chriſti, per fidem adprehensâ etiam ſervati ſunt Patres.

XXVI. Excipit verò Calixtus Wiederleg. th. LXIII. *nihil aliud hiſce verbis innui, qvàm qvòd in Meſſiam crediderint veteres, & per fidem in ipſum ſervati ſint*, die gläubigen des Alten Teſtaments ſind gleichfals gerecht und ſelig geworden durch einen ebenmeſſigen glauben, daſs GOTT zu ſeiner beſtimten Zeit einen Meſſiam oder Chriſtum ſenden würde, durch welchen vermittelſt Göttlicher unendlicher Barmhertzigkeit, Weiſsheit, und Macht die Miſſethat verſühnet, und die ewige Gerechtigkeit ſolte wiedergebracht, (Dan. IX. 24.) oder vergebung der Sünden und die ewige Seeligkeit erlanget werden. Und dis iſt es, was S. Petrus saget. Act. XV. II. Wir, die wir anjetzo, im anfang des Newen

Teſta-

Teſtaments leben, gleuben durch die Gnade des Herrn Jeſu Chriſti ſelig zu werden, gleicher weiſe wie auch ſie, nemlich die Väter und gläubige Alten Teſtaments, ſelig geworden ſind. ℞. Non tantùm in genere fides in Meſſiam, à Deo deſtinatum, qvicumqve ille tantùm futurus eſſet, *homóne, an Angelus, an Deus*, iis tribuitur, qvi juſtificati fuerunt, ſed fides in *GRATIAM Domini Jeſu Chriſti*, eámqve ſalvatricem. At Dominum per fidem agnoſcere, & qvidem Dominum ſuum, ínqve eumdem collocare fiduciam, ut DOMINUM ſuum, & credere in GRATIAM ipſius; & qvidem IN GRATIAM SALVATRICEM à peccato, inferno, & Diabolo, adeóqve reſtitutricem vitæ æternæ; ac deniqve ita in eam gratiam credere, ut qvum per legem, vel obſervantiam ejusdem, ſalus obtineri neqveat, per fidem in illam Salus obtineatur, eáqve credendo qvis ſalvetur; ea profectò omnia intelligi neqveunt de tali Salvatore, qvo de haud conſtet, an creatura tantùm, an verò Deus ſit: qvum ne ullum qvidem eorum in meram creaturam cadat. Nec verò fides per gratiam Domini Jeſu Chriſti ſalvatricem collocari potuit à priſcis fidelibus *ſine notitia meriti & paſſionis Domini*: ſiqvidem ſine paſſione meritoria nullus gratiæ ſalvatrici locus fuerit, nec Dominus & Salvator exſtiterit, vel etiam exiſtere potuerit Chriſtus, fatente ipſomet Calixtô. Si credendum fuit in Meſſiam venturum, per qvem, mediante infinitâ Dei *miſericordiâ, ſapientiâ & potentiâ, iniqvitas expiari, & æterna juſtitia reduci, vel remiſſio peccatorum & æterna ſalus obtineri debeat*, credendum utiqve fuit in Meſſiam non ſolùm ceu verum hominem, ſed etiam ceu verum Deum: qvia per merum hominem nec iniqvitas, median-

te divinâ miſericordiâ, ſapientiâ, & potentiâ expiari, nec ÆTERNA JUSTITIA reduci, nec remiſſio peccatorum obtineri, nec vita æterna meritoriè impetrari potuerit; credenda etiam fuit *paſſio & ſatisfacto Meſſiæ*, utpote ſine qva itidem neqve peccatorum remiſſio, neqve Salutis æternæ meritum locum habere qviverit. Præclarè de ſententia hujus Concilii & Veterum fide *B. Lutherus*, comment. in Epiſt. ad Gal. Annô 1538. in c. III. Tom. IV. Jenenſis Latin. f. 61. *In omni fide debet ineſſe fiducia miſericordiæ erga Deum. Illa autem complectitur fidem Remiſſionis peccatorum propter Chriſtum. Nam impoſſibile eſt conſcientiam exſpectare aliqvid à Deo, niſi primum ſtatuat, ſibi Deum propitium eſſe propter Chriſtum. Ideò omnes promiſſiones referendæ ſunt ad primam illam de Chriſto, Gen.* III. 15. Semen mulieris conteret &c. *Ita etiam Prophetæ intellexerunt & expoſuerunt. Hinc fides Patrum in Veteri Teſtamento, & noſtra jam in Novo eadem eſt, licèt alia atqve alia externa objecta accedant. Id qvod Petrus, Act.* XV. *teſtatur, cùm ait;* neqve nos neqve Patres noſtri &c. Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, qvemadmodùm & ipſi. *Et Paulus* I. Cor. X. 4. Patres noſtri omnes biberunt de ſpirituali, conſeqvente eos, petrâ: Petra autem erat Chriſtus. *Et Chriſtus ipſe Joh.* VIII. 56. *de Abraham, cùm ait;* Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt. *Hærebat tamen fides Patrum in Chriſto* venturo *ut noſtra hæret jam* in exhibito. *Abraham ſuô tempore juſtificatus eſt fide futuri Chriſti. Si hodie viveret, juſtificaretur fide jam exhibiti & præſentis.* Et paullo pòſt: *Ideò utriqve cùm Abraham & alii Patres, tum nos fide in Chriſtum juſtificamur: ille fide in futurum, nos in præſentem. Diſputamus enim nunc* de natura & ratione juſtificationis, *qvæ utro-*

bíqve

biqve eadem eſt, ſive Chriſtus venerit, ſive venturus ſit. Qvænam verò illa fides juſtificans eadem ſit, præcedente paragraphô hiſce expoſuerat: *Igitur veritas eſt ipſa fides, qvæ rectè de Deo judicat, ſcilicet qvòd Deus noſtra opera & juſtitias non reſpiciat, cùm ſimus immundi, ſed velit noſtri miſereri, nos reſpicere, acceptare, juſtificare & ſalvare, ſi credamus in Filium, qvem miſit, ut eſſet propitiatio pro peccatis totius mundi.* Sed imprimis plenè atqve ſolidè Concilii decretum explicavit Megalander, Tom. VII. Jenenſ. Germ. Librô Von den Conciliis und Kirchen, Annô 1539. eruditiſſimo, fol. 229. Das iſt auf gut deutſch ſo viel geſagt, wir Apoſtlen und wer wir ſind, ſampt unſeren Vorfaren, Patriarchen, Propheten und dem gantzen Volck GOttes haben GOttes gebott nicht gehalten, ſind Sünder und verdampt. Denn er redet ja nicht von der Blutwurſt oder ſchwartzen Galreden, ſondern vom Geſetz Moſi, und ſpricht, es hat es niemand gehalten, oder halten mögen, wie CHriſtus Johan. VII 19. Niemand unter Euch helt das Geſetze, das iſt, (dünckt mich) das Geſetz zum Verdamnüſs geprediget, und ſich ſelber mit zum verdamten Sünder gemacht. --- S. Peter prediget in dieſem ſehr groſſen Artickel erſtlich das Geſetze, daſs wir alle Sünder ſind: Zum andern, daſs allein die gnade CHriſti uns ſelig mache, auch die Patriarchen, Propheten, Apoſteln und die gantze Heilige Kirche vom anfang, welche er alle mit ſich zu Sünder gemacht und verdampt: Zum dritten, ehe denn das Concilium zu Nicea wird, lehret er, daſs CHriſtus rechter GOtt ſey, denn er ſaget, es müſsen alle Heiligen verdampt ſeyn, wo ſie nicht durch die Gnade unſers Herrn Jeſu Chriſti ſelig werden. Gnade und Seligkeit zu geben, als ein HERR, der mus rechter Gott

 ſein,

ſein, der da könne Sünde durch Gnade, Tod und Helle durch Seligkeit weg nehmen, ſolches wird keine Creatur thun, es were denn der Sanctiſſimus zu Rom, doch ohn ſchaden S. Peters predigt. Zum vierden, wer anders helt, und die Chriſten durch Geſetz oder eigen Werck lehret ſelig werden, oder Gnade erlangen mögen, der ſey ein GOttes verſucher. Et paullò poſt: Und iſt wunder zu ſehen, das S. Petrus, der als ein Apoſtel befehl und macht hatte, ſampt andern Apoſteln aufs newe zuſtellen dieſen Artickeln, darumb ſie auch der Kirchen grundſtein heiſſen, dennoch enhindern gehet, und führet ein die Heilige vorige Kirche GOttes aller Patriarchen und Propheten vom anfang, und ſagt ſo viel, es iſt nicht eine newe Lehr, denn alſo haben unſer Vorfahren und alle Heiligen gelehret und gegleubet, was unterſtehen wir uns denn anders, oder beſſers zu lehren, denn daſs wir Gott damit verſuchen, und der Brüder gewiſſen irre machen und beſchweren? Das ſage ich, iſt das Subſtantial oder Heuptſache dieſes Concilii, darumb es iſt zuſammen gefodert oder kommen, iſt auch damit beſchloſſen und alles ausgericht. Si nondum videt Calixtus, à B. Luthero jam informatus, S. Petrum adverſari paradoxo ſuo, *de Deitate Meſſiæ cognitu ſub V. T. haud neceſſariâ*, nihil videt. De fide tamen paſſionis Chriſti, priſcis hìc aſſertâ, convictum ipſum fuiſſe, adeóqve dum eamdem adhuc negat, αὐτοκατακρίτως errare, teſtantur, qvæ *è S. Auguſtino* huic loco ſubjecit th. XL. de pactis; *Hominibus igitur poſt lapſum remiſſione peccatorum & ſalute potiri cupidis, hæc conditio poſita eſt, ut Euangelio divinitùs revelato & promulgato fidem habeant, id eſt, Chriſto promiſſo & venturo innitantur. Hinc S. Petrus Act.* XV. 11. per gratiam Domini noſtri

ſtri Jeſu Chriſti credimus nos ſervatum iri, qvemadmodùm & antiqvi Patres ſervati ſunt. *Rectè igitur Auguſtinus L. contra duas Epiſtol.* Pelagianorum c. XXI. " Qvantælibet fuiſſe virtutis antiqvos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi " fides Mediatoris, qvi in remiſſionem peccatorum ſangvinem fudit. Hactenus D. Calixtus. Si verò hoc rectè *S. Auguſtinus* deduxit è Petrina ſententia, credidiſſe oportuit juſtos antiqvos in *Mediatorem*, non qvemcumqve aut qvalemcumqve, *ſed qvi in remiſſionem peccatorum ſangvinem fundere debuerit*, ut eâ fide juſtificarentur ac ſervarentur.

XXVII. Qvintò *Fidem antiqvorum Patrum* aſſerit S. Paulus, velut ex profeſſo, *Epiſt. ad Ebr.* c. XI. eorum ſcilicet, *qvi per fidem teſtimonium acceperunt*; deprædicans imprimis *Abelis*, *Enochi*, *Noach*, *Abrahami & Saræ*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Joſephi*, *Joſuæ*, *Rahab*, *Gideonis*, *Barac*, *Samſonis*, *Jephthæ*, *Davidis*, *Samuelis*, *Prophetarum*, qvi *in fide mortui*, *promiſſionem Meſſiæ*, id eſt, complementum promiſſionis *acceperunt*, *ſed* πόῤῥωθεν tantùm *viderunt eam*, *eáqve ſe conſolati ſunt*, *v.* 13. qvod νέφος μαρτύρων ſiſtit, ut in Chriſtum, *auctorem & conſummatorem fidei*, *qvi crucem ſuſtinuit*, *aſpicientes*, in fide confirmarentur Ebræi in Filium DEI ejúsqve paſſionem ſalutiferam. In cujus ergo fidei documentum & confirmationem hæc nubes teſtium adducitur, ea fides ſanctis iſtis teſtibus, Patriarchis, & Prophetis, aliísqve fidelibus Vet. Teſt. neqvaqvàm deroganda eſt. At non in fidei qvalislibet, in Meſſiam qvemdam indefinitum, de qvo non conſtet, *homo*, *angelus*, *an Deus ſit*, aut *num ſangvinis pretiô redempturus ſit*, *nec nè*, ſed *in Meſſiam verum* atqve *promiſſum*, ipſúmmet nempe Filium Dei, qvi *paſſione*

ac

ac morte ſuâ genus humanum redimere debuit, documentum ac confirmationem hæc teſtium producta fuit nubes. E. hæc fides ſanctis illis teſtibus deroganda non eſt.

XXIIX. *Minorem*, ſi cum *Arminianis* in dubium revocent, ac ſi Ebr. XI de Fide in meritum Filii Dei non ageretur, hæc obſervanda veniunt: *Primò* de ea fide hic agitur c. XI. qvâ juſtificamur, & vitam æternam conſeqvimur; qvemadmodùm *è fine capitis præcedentis decimi*, *verſibus poſtremis* manifeſtum eſt. Hortatur enim Apoſtolus *ad non abjiciendum* τὴν παῤῥησίαν, v. 35. & *ad perſeverantiam in fide*, ſiqvidem *juſtus fide victurus ſit*. *Hab.* II. 4. qvod oraculum de fide juſtificante agere è *Rom.* I. 18. *Gal.* III. II. manifeſtum eſt. Unde etiam addit *v.* 39. *Nos autem non ſumus ſubtractionis Filii in perditionem*, *ſed fidei*, εἰς περιποίησιν ψυχῆς *in acqviſitionem animæ*; qvam fidem eſſe juſtificantem ac ſalvificam ſole clarius eſt. De illa ipsa autem fide ſubjungit actutum *c.* XI. I. *Eſt autem fides* ἐλπιζομένων ὑπόστασις: de illa ipsa ait v. 2. ἐν ταύτῃ γὰρ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. Jam verò fidei juſtificantis & ſalvificæ *objectum proprium* ſub initium Epiſtolæ & deinceps deſcripſerat, qvòd nempe ſit *æternus Dei Filius*, *Dux Salutis noſtræ Chriſtus*, *per paſſionem mortis gloriâ & honore coronatus*, *qvi per mortem illi*, *qvi habebat mortis imperium*, *poteſtatem adimendo*, *nos à metu mortis redemit*, eaqve fini *ſemen Abrahæ aſſumpſit*, c. I. & II. *Pontifex noſter*, *qvi per paſſiones obedientiam didicit*, & *conſummatus cauſſa ſalutis factus eſt*, c. V. 8. 9. de cujus *ſacerdotio & ſacrificio propitiatorio*, ac *redemptione*, ſangvine ipſius factâ, prolixè *c.* VII. IX. & X. docuerat. Sed & ubi ad fidem exhortari cepit, ob-

je-

jectum illud fidei diſertiſſimè definivit c. x. 19. *Habentes itaqve, Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum IN SANGVINE CHRISTI, qvam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id eſt, CARNEM ſuam, & SACERDOTEM MAGNUM ſuper Domum Dei, accedamus cum vero corde IN PLENITUDINE FIDEI* (*πληροφορία πίστεως*) &c. Qvemadmodùm etiam verſ. 26. iterùm *HOSTIAM PRO PECCATO* commemorat, qvâ, fide adprehensâ, peccatorum remiſſio obtingit: *ſangvinem Teſtamenti Filii Dei*, verſ. 29. *qvô ſanctificati ſumus*; eámqve confidentiam ne amittant, hortatur verſ. 35. Unde manifeſtisſimum eſt, qvodnam ſit *objectum proprium fiduciæ*, ad qvam fovendam & retinendam excitat. Porrò ſidem deſcribens *c.* xI. I. per ὑπόστασιν ἐλπιζομένων & ἔλεγχον ȣ̓ βλεπομένων, tum *notitiam* atqve *aſſenſum* voce ἐλέγχȣ, qvòd veluti convicti, non ſenſuum aut rationis teſtimoniô, vel judiciô, ſed *auctoritate verbi Dei de iis, qvæ non videntur*, qvæ neqve ſenſibus neqve ratione aſſeqvimur, ſtatuamus, ut explicat Oecumenius in h. l. *Fides eſt elenchus, & demonſtratio eorum, qvæ non videntur, demonſtrat autem viſibilia fides ea, qvæ ſunt inviſibilia. Qvomodo? mente & ſpe videns ea, qvæ non adparent*; Tùm *fiduciam* voce ὑποστάσεως, *complectitur*, qvòd ea, qvæ ſperantur, nos tam certâ fiduciâ complectamur, ac ſi eadem reapſe poſſideamus, iiſdémqve ſuſtentemur, ut imperterritô animô conſiſtamus, qvemadmodùm ὑποστάσεως vox imperterritam animi ſubſiſtentiam, non cedentem terroribus, nec periculis, qvalis imprimis eſt militum ſtrenuorum, apud *Polybium*, *Plutarchum*, & alios, notat; τὸ ὑφιστάναι opponitur Ebr. x. 38.

τῷ

τῷ ὑποϛείληται, qvod eſt animô abjectô ſeu demiſſô ſe ſubducere, qvominùs hoſtem irruentem qvis ſúſtineat. Vide *Dn. D. Welleri* noſtri eruditiſſimum in Epiſtolam ad Roman. Commentar. p. 306. Unde *B. Meiſnerus*, Diſp. inaugural. de juſtificante fide, c. III. de partibus fidei, th. LXX. plenam fidei qvoad partes deſcriptionem hìc haberi, rectè obſervat, nempe qvòd ſit tùm ἔλεγχος ὀ βλεπομένων, hoc eſt, *firmus aſſenſus eorum, qvæ non adparent*; tùm ὑποϛάσις ἐλπιζομένων, *exſpectatio promiſſionis, ſeu fiducia, qvâ ſtatuimus verè conferri nobis bona à Deo promiſſa*, videlicet, *qvòd propter Chriſtum nobis certò ignoſcat, & ab æterna damnatione liberet*. Non poteſt autem talis ὑποϛάσις, *imperterrita animi ſubſiſtentia, ac fiducia* locum habere, ignoratâ *Chriſti Deitate, ac paſſione ſatisfactoriâ*: qvum impoſſibile ſit, dicente B. Lutherô conſcientiam aliqvid exſpectare à Deo, niſi ſtatuat Deum ſibi propitium eſſe propter meritum Chriſti Filii ſui unigeniti. Tùm verò è *ſacrificio Abelis*, per fidem oblato, & *juſtitiâ ejus*, è *fide Henochi*, per qvam translatus fuit; è *fide Noah*, *& juſtitiâ ejus, qvâ hæres factus eſt per fidem*; è *fide* item *Abrahæ, Iſaaci & Jacobi, in qva illi mortui ſunt*, non acceptâ promiſſione, ſed πόῤῥωθεν viſâ, è *ſacrificio Abrahæ per fidem oblato, & receptione* Iſaaci ἐν παραβολῇ facta, è mentione *promiſſionis de ſemine benedicto*; è *benedictione Jacobæa*; è fide *Moſis*, qvi pro objecto habuit ὀνειδισμὸν, *opprobrium Chriſti*, paſſionem & ignominiam, qvam pro nobis ſuſtinere debuit, eámqve *prætulit divitiis Ægypti*; è *celebratione Paſchatos, & effuſionis ſangvinis, ac liberatione primogenitorum*; è fide *Davidis, Prophetarum, & aliorum, qvæ operata eſt juſtitiam,*

per

per qvam meliorem reſurrectionem ſperârunt, & complemento deniqve promiſſionis, nobis reſervato; cui tamen fidem ipſi Veteres habuerint, *v.* 39. maximè ſi ea omnia conjunctim accipiantur, oppidò certum ac luculentum evadet, hìc *fidem juſtificantem*, eámqve *non confuſam* & *implicitam*, ſed qvæ explicitè ferebatur *in paſſionem Filii Dei ſatisfactoriam*, intelligi, qvæ in variis documentis & exercitiis eluxerit. Qvod deniqve *concluſio* & *illatio* ab Apoſtolo ſubjuncta comprobat *c.* XII. 2. utpote qvâ imprimis reqvirit, ut JESUM, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς πίστεως, *illius fidei*, qvam habuerunt priſci, de qva locutus erat integrô capite Apoſtolus, non minùs, qvam noſtræ, qvâ is *locô propoſiti ſibi gaudii crucem ſuſtinuit*, & *opprobrium* vel ignominiam *reſpiciamus*, exemplô teſtium priſcorum, qvos recenſuerat, inducti, qvos proinde, ut de Moſe diſertè profeſſus erat, oportet qvoqve reſpexiſſe ac fide amplexos eſſe *paſſionem* ac *opprobrium Chriſti*. Unde cùm Chriſtum *Mediatorem Novi Teſtamenti*, & *ſangvinem aſperſionis* ipſius, ad qvem acceſſerant fideles Ebræi, commemorat Apoſtolus v. 24. non excludit à conſortio ejusdem antiqvos, ſed expreſsè includit, comprehenſos nomine *Spirituum perfectorum juſtorum*: Illos Mediatoris iſtius *gratiâ* & per *ſangvinem aſperſionis juſtos factos, & conſummationem adeptos innuens*, qvia ut ſuprà *Auguſtinus*, lib. I. contra duas Epiſtolas Pelag. c. XXI *qvantalibet fuiſſe virtutis antiqvos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit niſi fides Mediatoris, qvi in remiſſionem peccatorum ſangvinem fudit.* Atqve hoc eſt, qvod c. XIII. 8. inculcatur, *JESUS CHRISTUS heri, hodie, idem & in ſecula.* Siqvidem id etiam inter alia indicet, eamdem doctrinam de Jeſu Chriſto in Veteri Teſtamento traditam, qvæ hodie traditur, cujus vis in ſecula ſeſe

ſe porriget: ubi τ͂ ἡγεμένων, id eſt *Patriarcharum*, *Sacerdotum*, *Prophetarum*, *qvorum omnium* ἀρχηγὸς eſt JESUS CHRISTUS, interprete *B. Ægidiô Hunniô*, annuente itidem *Dn. D. Dorſcheô* in Exeg. hujus loci, gratam memoriam commendat, & à novis ac peregrinis doctrinis dehortatur. Non ergo alia fingenda doctrina in N. T. qvàm fuerit in Veteri, alioqvin hæc *nova & peregrina* foret, nec Chriſtus Jeſus ſemper ὁ αὐτὸς eſſet.

XXIX. *Sextò* fidem hanc in Chriſtum θεάνθρωπον ejúsqve meritum haurire poterant fideles è *Prot-Euangelio* Paradiſiaco, *Gen.* III. 15. deſcripto. Hôc enim & Deitatem Chriſti Redemptoris, & paſſionem ejus ſatisfactoriam contineri, facilè probatur. *Deitatem* qvidem evincit prædicatum: *conteret caput Serpentis.* Hoc enim, qvum opus creaturæ meræ non ſit, aut meri hominis, ideóqve *ſemen mulieris* non poteſt de ψιλανθρώπῳ intelligi, ſed qvemadmodùm opus illud verè divinum eſt, infinitæ virtutis & potentiæ, ita ſemen mulieris, cui id adſcribitur, omnino oportet eſſe verum Deum. Qvo de audiamus *B. Lutheri præclaram & dulciſſimam conſeqventiam* comment. in Geneſ. in h. l. f. 57. *Si enim Serpentis caput conteri debet, profectò oportet aboleri mortem. Si mors aboletur, etiam mortis meritum aboletur, hoc eſt, peccatum. Si peccatum, ergò lex qvoqve aboletur. Nec id tantùm, ſed reſtituitur ſimul obedientia, qvæ amiſſa eſt. Hæc autem omnia qvia promittuntur per ſemen hoc, ſatis clarum eſt, naturam humanam poſt lapſum ſuis viribus, nec peccatum tollere, nec pœnas peccati & mortem effugere, nec obedientiam amiſſam recuperare; majorem enim vim, & robur majus, qvàm hominum eſt, reqvirunt iſta. Itaqve Filium Dei, oportuit victimam fieri, ut hæc nobis conficeret, ut tolleret peccatum, devoraret mortem, & amiſſam*

miſſam obedientiam reſtitueret. Hæc *Megalander* noſter, qvi de hoc Prot-Euangelio f. 55. ita ex vero ſtatuit: „ Hanc primam conſolationem tamqvàm „ fontem omnis miſericordiæ & omnium promiſ- „ ſionum ſcaturiginem primi parentes & eorum po- „ ſteri ſummâ diligentiâ didicerunt. Viderunt e- „ nim, ſi absqve hac promiſſione eſſent, manſu- „ ram qvidem inter homines, ſicut inter reliqva „ animantia, generationem: ſed qvæ nihil aliud „ ſit, qvàm generatio ad mortem. Illud igitur „ donum, divinitus naturæ additum, hìc augetur, „ imò conſecratur, cùm ſpes ſit talis generationis, „ per qvam Satanæ ſit conterendum caput, ut „ non ſolùm ejus tyrannis infringatur, ſed etiam „ natura propter peccatum morti addicta conſe- „ qvatur vitam. Non enim agit hìc Moſes am- „ pliùs de ſerpente naturali: de Diabolo loqvitur, „ cujus caput ſunt mors & peccatum; ſicut Chri- „ ſtus dicit, Joh. VIII. 44. qvòd ſit homicida & „ pater mendacii. Contritâ igitur poteſtate ejus, „ hoc eſt, ſublatô per Chriſtum peccatô & mor- „ te qvid reſtat, qvàm ut Filii Dei ſalvemur? Ad „ hunc modum Adam & Heva hunc textum in- „ tellexerunt, & conſolati ſunt ſe contra pecca- „ tum & deſperationem, ſpe hujus promiſſionis „ in noviſſimo die etiam reſurgent in æternam „ vitam. In qvam ſententiam etiam *Leo M.* ſerm. II. de Nativ. Domini jam olim ita ſcripſit; „ Deus omnipotens & clemens, cujus natura bo- „ nitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſe- „ ricordia eſt, ſtatim ut nos diabolica malignitas „ venenô ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata „ renovandis mortalibus ſuæ pietatis remedia, in- „ ter ipſa mundi primordia præſignavit, denunci- „ ans ſerpenti futurum ſemen mulieris, qvod noxii „ capitis elationem ſuâ morte contereret, Chriſtum

„ ſc. in carne venturum, DEUM HOMINEM-
„ QVE SIGNANS, qvi natus ex virgine; vio-
„ latorem humanæ propaginis incorruptâ nativi-
„ tate damnaret. Idem longè ante Leonem *S. Irenæus*
ſeculô ſecundô à nato Chriſto, tamqvàm ὁμολογουμένως certum adverſus *Tatianum*, Adami ſaluti contradicentem, aſſumpſit, lib. III. c. XXXVIII.
„ Qvapropter inimicitiam poſuit inter ſerpentem
„ & mulierem, & ſemen ejus obſervantes invi-
„ cem, illo qvidem, cui mordetur planta, &
„ potente calcare caput inimici, altero verò mor-
„ dente, & occidente, & impediente ingreſſus
„ hominis, qvoadúsqve venit ſemen prædeſtina-
„ tum calcare caput ejus, qvod fuit partus Mariæ.
„ Victus autem erat Adam ablatâ ab eo omni vi-
„ tâ, & propter hoc, victô rurſus inimicô, rece-
„ pit vitam Adam: noviſſima autem inimica eva-
„ cuatur mors, qvæ primum poſſederat hominem.
„ Qvapropter liberatô homine, fiet, qvod ſcri-
„ ptum eſt: Abſorpta eſt mors in victoria, ubi eſt
„ mors victoria tua? ubi eſt mors aculeus tuus?
„ Qvod non poterat juſtè dici, ſi non ille libera-
„ tus fuit, cui primùm dominata eſt mors. Il-
„ lius enim ſalus evacuatio eſt mortis. DOMINO
„ igitur vivificante hominem, id eſt Adam, eva-
„ cuata eſt mors. Cum qvo loco conferri me-
rentur, qvæ librô V. habentur, p. m. 320. „ O-
„ mnia ergo recapitulans recapitulatus eſt, & ad-
„ verſum inimicum noſtrum bellum provocans,
„ & elidens eum, qvi initiô in Adam captivos
„ duxerat nos, & calcans ejus caput, qvemad-
„ modum habet in Geneſi, dixiſſe ſerpenti Deum,
„ Et inimicitiam ponam inter te & inter mulie-
„ rem, & inter ſemen tuum & ſemen ejus, ipſe
„ tuum obſervabit caput, & tu obſervabis ejus
„ calcaneum. Ex eo enim, qvi ex muliere virgi-

„ ne

„ ne debebat naſci ſecundum ſimilitudinem Adam,
„ præconiabatur, obſervans caput ſerpentis, id eſt
„ ſemen, de qvo ait Apoſtolus in Epiſtola ad Ga-
„ latas; legem factorum poſitam, donec veniret
„ ſemen, cui promiſſum eſt. Manifeſtius autem
„ adhuc in eadem oſtendit epiſtola, dicens: Cùm
„ autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Fi-
„ lium ſuum, factum de muliere. Neqve enim
„ juſtè victus fuiſſet inimicus, niſi ex muliere ho-
„ mo eſſet, qvi vicit eum. Per mulierem enim
„ homini dominatus eſt ab initio, ſemetipſum con-
„ trarium ſtatuens homini. Propter hoc & Do-
„ minus ſemetipſum filium hominis confitetur,
„ principalem hominem illum, ex qvo ea, qvæ
„ ſecundum mulierem eſt, plaſmatio facta, in ſe-
„ metipſo recapitulans; uti qvemadmodùm per
„ hominem victum deſcendit in mortem genus
„ noſtrum; ſic iterum nos adverſus mortem per
„ hominem accipiamus palmam. Non autem Do-
„ minus antiqvam illam & primam adverſus ſer-
„ pentem inimicitiam in ſemetipſo recapitulatus
„ fuiſſet, adimplens promiſſionem Demiurgi, &
„ perficiens præceptum ejus, ſi ab alio veniſſet
„ Patre, ſed qvoniam unus & idem eſt, qvi ab
„ initio plaſmavit nos, & in fine *Filium ſuum* mi-
„ ſit, præceptum ejus perfecit Dominus, factus ex
„ muliere, & deſtruens adverſarium noſtrum &
„ perficiens hominem ſecundum imaginem & ſi-
„ militudinem ſuam. Ut taceam *Chaldæas para-
phraſes, Targum Jonathan & Hieroſolym.* ita ex-
ponentes, qvod in diebus Meſſiæ remedium futu-
rum ſit generi humano à morſu ſerpentis. Qvale
certè remedium à φιλανθρώπῳ præſtari non pot-
eſt. Ita enim παραφράζει *Jonathan*, interprete
Helvicô, *veruntamen ipſis futurum eſt remedium,
& tibi non futurum eſt remedium. Et erunt illi, ut*

habeant medelam in calcaneis, in diebus Regis *Meſſiæ.* *Targum* vero Hieroſolymit: interprete *Fagiô*, ſic enarrat: *Veruntamen remedium erit filiis mulieris, tibi verò ſerpenti nullum erit medium, qvandoqvidem futurum eſt, ut amoveant morſum, qvi factus eſt in calcaneo, in fine dierum, ſc. diebus Meſſiæ.* Unde conſtat, qvô ſenſu hæc promiſſio à Judæis jam olim accepta fuerit.

XXX. Qvod ergo ad *paſſionem Meſſiæ* attinet, innuitur ea *contritione calcanei: Et tu conteres eidem calcaneum.* Hæc enim contritio complectitur plagas, à Sathana, ſerpente antiqvo, ipſi ſemini mulieris in propria perſona infligendas, tempore paſſionis, ubi calcanei vulnus lethale qvidem inflixit humanæ naturæ, ſed ejusmodi, ut parte tantùm læsâ, capite ſalvus, erectus ac victor ſteterit, caputqve ſerpentis contriverit. Significatur ergo tùm *paſſio*, qvòd non illæſum dimiſſurus ſit ſerpens ſemen mulieris, ſed calcaneo ejus acerba & cruenta vulnera inflicturus, & ad crucis etiam ſupplicium, pedibus clavis affixis, redacturus, qvemadmodum rectè obſervavit *B. Gerhardus* in Comment. ad h. l. *per calcaneum ſeminis mulieris* à ſerpente conterendum ſignificari, qvòd *Chriſtum in propria perſona ſit oppugnaturus vi apertâ, & occultis tentationum inſidiis, & rem eò perducturus, ut in crucem ipſum agat. Serpens*, inqvit, *inſidiabitur calcaneo Meſſiæ, id eſt, adiget eum in crucem, non ceſſabit eum oppugnare, donec morti eum tradiderit. Per contritionem calcanei non obſcurè genus mortis ſignificatur, videlicet crucifixio, in qva pedes Chriſti clavis affixi:* Tùm è *paſſione eluctatio*; ſiqvidem calcaneum tantùm conteret, caput attingere non poterit, unde plagas divinâ virtute facilè ſanare poterit, illæsô capite; tum deniqve *ſatisfactio per paſſionem præſtanda*: ſiqvidem dum conterit ſer-

pens

pens ſemini mulieris calcaneum, conteritur ipſi caput, omníſqve ejus *poteſtas*, *robur & imperium* deſtruitur, adeóqve illo deſtructô, genus humanum in priſtinam libertatem ac ſalutem adſeritur: utpote cujus gratiâ hæc pugna ſuſcipitur, hæcqve inimicitia divinô decretô conſtituitur. Qvæ omnia è Scripturæ S. analogia non tantùm ſolidè confirmari poſſent, ſed doceri etiam, qvòd univerſa ſalutaris χειστογνωσία ex hoc veluti fonte ac ſcaturigine redundârit, ac in *Prophetarum* & *Apoſtolorum ſcripta*, ceu Oceanum, ſeſe diffuderit, ſi id chartarum præſentium anguſtia permitteret: intereà videri de eo poſt *B. Lutherum*, poterunt *Dn. D. Polycarpus Lyſerus*, & *Dn. D. Gerhardus* in h. l. nec non *Dn. D. Waltherus* in offic. Biblic. ut & *Dn. D. Sal. Glaſſius in* χειστολογ. Moſaic. aliiqve.

XXXI. Sed habet, qvod hìc regerat Calixtus; *hæc ita qvidem nobis patere, & à nobis beneficiô revelationis, in Scriptura S. factæ, è prot-Euangelio deduci poſſe, id verò dubium eſſe, an primi parentes hoc ita intellexerint, aut intelligere è verbis illis paullò obſcurioribus potuerint, & an omnes deinceps etiam id ex hoc prot-Euangelio percipere qviverint?* Reſp. (1) Si hoc detur, qvòd is ſenſus ope collationis S. literarum, imprimis de Meſſiæ veri & hominis paſſione ſatisfactoria, erui poſſit, concedendum omninò erit, hunc eſſe genuinum ſenſum à Deo, Prot-Euangelium promulgante, intentum. Non enim alium ſenſum aperiunt S. literæ, qvàm qvem autor Deus ipſe intendit. *Si* verò illum Deus tùm intendit, ſine dubio etiam perceperunt eumdem protoplaſti, utpote qvorum gratiâ hoc promulgatum fuit: alioqvin, qvum nulli alii fuerint, qvos ea promiſſio concernebat, verbum Dei reverſum fuiſſet vacuum, qvod fieri neqvit *Eſ.* LV. 11. Neqve ambiguum eſſe poteſt, Deum id, qvod inten-

dit, per hæc verba, mentibus protoplaſtorum per S. S. virtutem & efficaciam tum indidiſſe, ut conſolationem inde perciperent vivificam, eâqve in graviſſimis ærumnis & tentationibus, imò deſperationis præcipitio, in qvo verſabantur, ſeſe erigerent ac ſuſtentarent. Qvod argumentum video etiam B. Lutherum, pro more ſuo, graviter urſiſſe, Tom. IIX. Jenenſ. Germ. verb. noviſſim. Dauidis fol. 157. Sie (Eva) wirds auch nicht allein ſo verſtanden haben, ſondern Adam wird mit ihr lange zuvor davon geredet, und dieſen Spruch untereinander wol geübt, und ſich getröſtet haben, wieder die Sünde und Tod, ſo durch dieſen Samen ſolle weg genommen, dafür die verlorne unſchuld und leben wieder bracht werden, ſonſt weren ſie verzweiffelt, ſo iſt auch Gottes wille noch weiſe nicht, daſs ſein eüſſerlich Wort, (wie diſs iſt) ſolle vergeblich geredet, und von niemand verſtanden werden, wie er ſpricht, Eſ. LV. 11. mein wort ſoll nicht leer wieder zu mir kommen, ſondern ausrichten darzu ichs ſende. Nu waren hie allein zwey Menſchen, Adam und Eva, die es verſtehen kunten, darumb haben ſie es müſſen fruchtbarlich, ſeliglich, und recht verſtanden haben, aller ding, wie wirs Chriſten, und zuvor alle Propheten, verſtanden haben. Et Tom. IV. Jenenſ. Germ. Enarratione in c. III. Gen. f. 28. Annô 1528. jam concinnatâ: Und wem iſt das alles gepredigt? Niemand, denn Adam und Eva: nu gehet Gottes wort nicht vergeblich, noch ohne frucht abe, darum mus es Adam ſampt dem Weibe wiedergebracht und geholet haben, und wieder getröſtet, daſs er darauff geſtanden iſt, und ſich verlaſſen hat, daſs ein Menſch kommen würde, der den Tod und Sünde überwünde: da hat er gegleubet, und iſt wieder geneſen, und dachte,

hie iſt wieder Gnade und Friede, Leben und Troſt. So ſicheſtu, wie Gott mit ſo kurtzen Worten reden kan, daſs man ein Wort nicht gnungſam ausbreiten kan, wenn man gleich lang davon predigte. In den Worten iſt begrieffen und verfaſſet CHriſtus zukunft von der Jungfrawen, Leiden, Sterben und Auferſtehen, ſein Reich und Euangelium. Wer kant es ſo mit kurtzen Worten faſſen, oder darinnen finden. Darumb heiſt es billich Gottes wort, daſs es anders redet und höhere dinge, denn Menſchen wort. (2) Tùm verò verba ipſa ſatis clara ſunt ad ea, qvæ diximus, indicanda. Deitas certè Meſſiæ luculenter indigitatur; opere ipſi tributô planè divinô. Siqvidem ſerpentis, Draconis illius magni infernalis, qvi potuerat protoplaſtos, in ſtatu integritatis conſtitutos, imagine Dei inſtructos, & gratioſâ inhabitatione ac protectione S. S. Trinitatis gaudentes, de hoc perfectionis gradu in extremum miſeriæ, infelicitatis, mortis & damnationis barathrum præcipitare, caput, poteſtatem, robur ac imperium omne penitus conterere, qvod verba ipſa important, non eſt niſi verè divinum opus, idemqve mero homini nullatenus competere poterat. Non enim dixit Deus, *Ego per ſemen mulieris conteram caput ſerpentis*, ſed *ipſum*, ſemen illud, *conteret*. Unde invictè concludere poterant & debebant protoplaſti; ſemen mulieris fore verum Deum. (3) Ut ergo hoc ipſum opus non niſi Deo ſoli vindicatur paſſim, *Eſ.* XXVI. 4. 5. ſ. *Joh.* XI. & XLI. *Rom.* XVI. 20. *Ebr.* II. 14. 1. *Joh.* III. 8. ita protoplaſti per Spiritum S. edocti, omnino hinc percipere potuêre, at percepêre, qvod ſemen iſtud mulieris non tantùm ſit verus homo, ſed verus Deus. (4) Qvod etiam imprimis ſenſus, hâc ſententiâ comprehenſus, evincit. Siqvidem *caput ſerpentis conteri, re-*

gnúmqve Sathanæ deſtrui non poterat, niſi *peccatum, mors & damnatio æterna tolleretur*, pérqve hanc contritionem vindicaretur genus humanum, ex poteſtate Sathanæ ereptum, priſtinæqve libertati ac ſaluti reſtitutum. Qvod neqvaqvam fieri potuiſſe à ψιλῷ ἀνθρώπῳ, Calixtus largitur: unde nec Protoplaſti aliud hinc percipere poterant, qvàm qvòd *ſemen mulieris futurum ſit Jehovah*. Nec ſanè credere potuiſſent talem contritionem, indéqve in iſtis terroribus conſolationem vivificam haurire, niſi hoc animis ipſorum certum fuiſſet & indubium. Nam ſi *mero* homini hoc θεέργημα adſcripſiſſent, non hæc fides, ſed hæreſis graviſſima fuiſſet. Si *indefinitè* credidiſſent, ignari an μονονικητὴρ & *contritor ille capitis ſerpentini homo, an angelus, an Deus futurus eſſet*, annon hæſitâſſe ipſos μετεωρίζοντας oportuiſſet intér hæreſin & veram fidem: hæreſis enim eſt, homini aut Angelo opus tantum, támqve divinum adſcribere; Veræ autem fidei conſentaneum id donum eſt, id tribuere divinæ infinitæ virtuti. Et qvomodo hôc ſuô *paraſtatâ & hyperaſpiſte* ſeſe erigere ac ſuſtentare potuiſſent in tanto conflictu ac bello conſtituti adverſus Sathanam ipſiúsqve regnum, ignari, an is *merus homo, an angelus, an verò Deus ſit*? Qvomodo adverſus *condemnationem legis ac maledictionem divinam*, qvâ premebantur, ſeſe conſolari potuiſſent, de eo incerti relicti, qvod unum ſolum ad id, ut divinæ infinitæ juſtitiæ ſatisfieret, & ab ira Dei & condemnatione æterna liberaretur genus humanum, reliqvum erat, extra & præter qvod, ne per abſolutam Dei potentiam, aliud remedium, (ut fatetur Calixtus,) conſtitui poterat? (5) urgetur etiam non immeritò cum *B. Luthero* ipſa *inimicitiarum conſtitutio*: qvòd nempe Deus homi-

hominem non mancipium, qvale erat Diaboli, reliqverit, ſed hoſtem, qvi in prælio adverſus ipſum dimicaret, conſtituerit, qvi ipſi virtute ſeminis benedicti reſiſtere qveat. *In eo*, inqvit B. Lutherus, *Sol conſolationis, anteà qvaſi tenebris qvibusdam caliginoſarum nubium involutus, ſupra nubes attollitur & jucundiſſimè lumine territa corda aſpicit; qvòd Adam & Eva non ſolùm non audiunt ſibi maledici, ſicut Serpenti, ſed qvòd audiunt, ſe conſtitui tamqvàm in acie contra damnatum hoſtem, idqve ſpe auxilii, qvod eis laturus ſit Filius Dei, ſemen mulieris. Hìc igitur remiſſio peccatorum & plenaria receptio in gratiam Adæ & Evæ oſtenditur, tamqvàm abſolutis à culpa, & redemtis à morte, tamqvàm liberatis jam ex inferno & illis pavoribus, qvibus in conſpectu Dei tantùm non occiſi ſunt. Hæc conſolatio inde naſcitur, qvòd Deus non maledicit Adæ & Evæ, ſicut ſerpenti: Hoc tantùm fit, qvòd Adam & Eva cum hoc hoſte committuntur, ne ſint occiſi. Ergo hoc ipſum qvoqve cedit homini in bonum. Illud autem CAPUT conſolationis eſt, qvòd etſi hoſtis hic aſtutiâ & dolis pugnet; tamen naſciturum ſit ſemen, qvod caput ſerpentis conterat. Hìc enim oſtenditur finalis deſtructio tyrannidis Satanæ, qvamqvàm ea non ſit abitura ſine acerrimo certamine, qvod homini depugnandum eſt.*

XXXII. (6) Sed aſſumamus id, qvod hìc confitetur Calixtus; *hoc è ſcripturis clarum eſſe, omnes per hanc fidem poſt lapſum ſalutem adeptos eſſe, contritorem ſerpentini capitis Salvatorem eſſe, per qvem ab æterna morte & condemnatione liberandi, & æternæ ſalutis participes reddendi ſint.* Ohne iſt es nicht, ait n. XXCIII. Wiederleg. daſs aus der Schrifft erhellet, es ſein alle, welche von anfang und nach dem Menſchlichen falle ſelig worden, zu ſolcher ſeligkeit gelanget durch den Glauben, daſs GOtt

nach ſeiner unendlichen Barmhertzigkeit, und unerforſchlichen Weisheit, und unbegreifflichen Krafft durch einen zukünfftigen, und zu ſeiner zeit præſentirenden Heyland und Schlangentreter würde ins werck ſtellen laſſen, dadurch ſie vom ewigen tod und verdamnüſs zu erretten, und der Seligkeit fähig zu machen. Das ſie dieſes gegleubet, ſind wir gewiſs. Et n. XXIII. poſt ſcriptum prædictum der Wiederlegung. Anfangs hat GOtt offenbahret, daſs der Meſſias, der der Schlangen den Kopff zertreten, das iſt, des Teuffels wercke zerſtören, und der Sünde, dem Tode und Verdamnüs, welche vom Teuffel eingeführet, ihre Krafft hinnehmen würde, ſein ſolte ſemen mulieris, eines Weibes Sahmen, das iſt, ein Menſch vom Weibe gebohren Gen. III. 15. Largitur ergo *conterere caput ſerpentis eſſe Diaboli opera deſtruere, peccato, morti & condemnationi, à Diabolo invectis, efficaciam & vim adimere*, vel à *morte & condemnatione liberare, & æternam ſalutem reſtituere*, idqve ita intellectum eſſe à primis parentibus. Qvorum nullum qvum cadere poſſit in merum hominem, ſed ſolius Dei hæc propria ſint, neceſſum eſt, primos parentes omnino intellexiſſe, non merum hominem, ſed verum Deum per contritorem capitis Serpentini deſignari. Nec eſt, qvod exceſpiat; *non valere conſeqventiam à cognitione & redemptione Meſſiæ, ad cognitionem Deitatis*: Wil derowegen nicht bündig ſein, wenn einer ſprechen würde, (ait locô citatô Wiederleg.) wer gegleubet hat, daſs GOtt durch einen zukünfftigen Meſſiam das Menſchliche Geſchlecht erretten würde, der hat auch nothwendig müſſen gleuben, daſs derſelbe zukünfftige Meſſias würde wahrer GOTT ſeyn. Alle Gleubige unter dem Alten Teſtament haben gegleubet, daſsGOtt durch einen zukünfftigen

Meſſiam das Menſchliche Geſchlecht erretten würde. Ergò. Die major, ſpreche ich, oder der Vorderſatz wil den ſtich nicht halten, und kan nicht probiret werden. ℞. Pervertit terminos: Non enim tantùm dicitur Deus per Meſſiam redempturus & contriturus caput ſerpentis; ſed SEMEN MULIERIS ipſum conteret caput ſerpentis. Ideóqve ſemen mulieris capitis ſerpentini conterendi, ac operis redemptionis, *deſtructionis poteſtatis Sathanæ, peccati, inferni & mortis* cauſſa conſtituitur non *inſtrumentalis*, ſed *principalis* Hæc verò nec eſt, nec cogitari, nec credi alia poteſt, qvàm Jehovah ſummus Deus. Major ergo infallibilis veritatis & omni exceptione major eſt: *Qvi credit Meſſiam futurum contritorem capitis ſerpentini & redemptorem generis humani, qvi poteſtatem Sathanæ, peccati, inferni & mortis deſtructurus, vitámqve æternam reparaturus eſſet, is credidit & credere neceſſum habuit, Meſſiam eſſe verum Deum. At de fidelibus Vet. Teſt. verum eſt prius*, fatente Calixtô: *E. & poſterius.*

XXXIII. (7) Qvod novô argumentô, eóqve itidem ἀδιαλύτῳ confirmatur, à fide in hunc Meſſiam reqviſitâ. *Qvi enim credidit, Meſſiam eſſe contritorem ſerpentini capitis, & in eum fiduciam collocavit ceu redemptorem ſuum, ac collocare debuit, eum credere oportuit, Meſſiam eſſe verum Deum*: qvia fiducia in creaturam meram collocari non poteſt, nec debuit, ſed in ſolum Deum collocanda eſt. Ubi vaniſſimum eſt κρήσφυγετον Calixti th. XXCIV. *eum non in meram creaturam fiduciam collocare, qvi credit & ſperat, Deum omnipotentem ſibi per hominem qvemdam ſalutem & opem exhibiturum.* Qvia fiducia non tantùm in Deum collocanda fuit, ſalutem exhibentem per ſemen mulieris, ſed etiam in ipſum mulieris ſemen.

men. Qvod arbitror, non negabit Calixtus. Qvomodo enim crediding in Meſſiam, ſi fiduciam in ipſum haud collocâſſent? Qvapropter ſemen mulieris non potuit credi merus homo: qvia in merum hominem fiduciam collocare, mera eſt idololatria; ut ὐδὲν πρὸς διόνυσον faciant exempla de hominibus, per qvos Deus ſalutem præſtitit, utpote de *Moſe*, *Act.* VII. 26. 36. *Paullo*, I. *Cor.* IX. 22. *& aliis miniſtris.* Siqvidem illi tantùm *inſtrumentalis* cauſſa iſtius ſalutis ſint, nec in illos fiducia collocari potuerit, ut in Meſſiam. Qvod agnoſcit ipſe Calixtus U. S. Woraus denn erheller, daſs auch ſelig machen ohne Abgötterey einer Creatur oder Menſchen zugeſchreiben wird, wenn GOtt nur nicht ausgeſchloſſen, ſondern es alſo genommen und verſtanden wird, daſs GOTT als principal oder Hauptürſache vermittelſt einer Creatur, oder durch einen Menſchen, die Seligkeit wircke und zuwege bringe. Applicet ergo hoc jam ad rem præſentem: Qvid aliud dici poterit, qvàm Protoplaſtos alióſqve, aut ſemen mulieris tantùm *habuiſſe pro cauſſa inſtrumentali* contritionis capitis ſerpentini, qvod cùm Prot-Euangelio refragatur, tùm fiduciæ ipſorum in Meſſiam; qvia in cauſſam inſtrumentalem abſqve idololatria non poteſt fiducia collocari, facitqve ipſos protoplaſtos ac fideles V. Teſt. *peſſimos hæreticos & idololatras*; aut *habuiſſe pro cauſſa principali*, adeóqve pro ipſo *Jehovah* ac vero Deo; niſi Julianum acumen fingere velit, hæſiſſe eoſdem, an Meſſiam *pro principali*, *an inſtrumentali* ſolùm cauſſâ habere debeant? unde hæſiſſe etiam ipſos oportuit, utrum *in Meſſiam fiduciam collocare debeant, nec ne? num Meſſiam invocare & adorare debeant, nec ne?* Ita ergo aut *idololatræ* relinqvuntur protoplaſti, aut *infideles*, ſine fiducia in Meſſiam, adeóqve

qve ſine Chriſto, ac proinde ἄθεοι ſine Deo. Horſum enim abire oportet acumen Julianum, dignum profectò Theologô Seniore ac decrepitô; antiqvitatis melioris præ ceteris ſtudioſô, purioris, imò puriſſimæ partis Eccleſiæ Doctore & Anteſignano! Qvantò potiùs hìc aures præbere debebat Megalandro noſtro, ſi γνησίως Lutheranus non tàm dici, qvàm eſſe velit, qvàm ſuis, vel Remonſtranticis phantaſiis indulgere. Dieſer Weibes Sahmen, inqvit Witteberg. noſter, Tom. IIX. Jen. Germ. Von den letzten Wortten Davids Annô 1543. f. 156. ſol ein Menſch ſein, oder Moſe wird ein Abgöttiſcher Teüffels Prophet ſein, denn er giebt dieſem Sahmen die macht, die allein Gott, und keiner Creatur gebürt, nehmlich, daſs er ſolle den Tod und todtſchläger, Sünde und GOttes Zorn wegthun, Gerechtigkeit und leben wieder bringen. Lieber, daſs wird kein Engel, noch alle Engel zuſammen nicht thun. Es muſs ein höher, mächtiger Mann ſein, denn alle Engel und alle Creaturen ſind: ein verdampter Abgöttiſcher Prophet, (ſage ich noch einſt;) mus Moſes ſein, ſo er ſolch Werck, den Tod und Sünd erwürgen, und überwinden, lebendig und gerecht machen, einem Weibes Sahmen gibt, der eine bloſſe Creatur, und nicht ſelbſt der einige GOtt iſt, der allein Lebendig machen kan, wie Johan. 1.4. vom Worte ſagt, in ihm war das leben. Es mus ja auch die Vernunft ſelbſt bekennen, daſs, wer den Tod kan untertreten, der kan auch das Leben wieder geben, wer Sünde kan untertreten, der kan Gerechtigkeit wiedergeben, ſintemal, Tod wegnemen nichts anders iſt, den das Leben wieder geben, Sünde wegnehmen nichts anders iſt, den Gerechtigkeit wiedergeben, davon die Schlange, der Teuffel in der Schlangen, Adam und Eva

ſampt

ſampt allen ihren nachkommen und Menſchen-Kindern böſslich bracht hat, und durch ſeine Lügen in die Sünde und Tod gefellet hat, wie der Text klar da ſtehet: du ſolt nicht eſſen vom Baum, oder du muſt ſterben: dawieder ſagt der Lügner und Mörder, ihr möget wol davon eſſen, und werdet nicht ſterben, ſondern GOtt gleich werden, und alles wiſſen, das iſt (wie droben geſagt,) alles von Sünden und Tod geredet, ſo die Schlange geſtifftet und angerichtet hat, darümb muſs das untertreten der Schlangen nichts anders ſein, denn ſeine Werck und Macht zerſtören, wie Paulus redet, daſs CHriſtus den Tod zerſtöret hat, und das leben ans licht bracht. 2. *Tim.* 1. 10. was Jüden, Mahmeth und andere, (*Calixtus* und ſein anhang,) hie ſuddeln mit ihren gloſſen, achten wir nichts; Moſe ſtimmet hie mit dem N. Teſtament, das iſt uns gnug.

XXXIV. (8) Nec inficiatur Calixtus, pluribus verbis tùm myſterium redemptionis declaratum fuiſſe divinitùs: *Nolim negare*, inqvit tr. de pactis th. XXXIIX. *myſterium redemptionis noſtræ PLURIBUS & fortè MANIFESTIORIBUS verbis tunc expoſitum fuiſſe.* Cur ergo ambigit, ea, qvæ maximè ad fiduciam in Mediatorem collocandam, conſcientiam, in judicio Dei damnatam, tranqvillandam neceſſaria ſunt, tum propoſita eſſe; qvalia certè ſunt illa capita *de Deitate Chriſti*, *& paſſione ejus ſatisfactoria*, ſine qva nec fides in Chriſtum, nec conſcientiæ tranqvillitas ullum habere potuit locum?

XXXV. (9) Sed nec aliter à primis parentibus intellectam creditámqve fuiſſe promiſſionem hanc Euangelicam, res ipſa docet. Non exiſtimandum ſanè, habuiſſe eos tantùm implicitam fidem S. S. Trinitatis, utpote qvi *ad imaginem Dei* conditoris,

Pa-

Patris, Filii & S. S. *in cognitione ejus conditi exſtant*, *Col.* III. 9. *&* SS. Trinitatis templa exſtiterant; unde etiam Eva, myſterii hujus gnara, nomine plurali Elohim Deum deſignat Gen. III. 3. Qvâ felicitate etſi exciderint, adeóqve cognitio etiam veri Dei in ipſis obſcurata fuerit, hujus tamen Prot-Euangelii, qvod Jehovah Elohim promulgâſſe dicitur, *Gen.* III. 14. virtute & efficaciâ lux cognitionis iterum excitata eſt, & imago Dei reparari in iisdem cœpit: qvemadmodùm etiam poſtmodùm Deus in paradiſo perſonarum in eſſentia pluralitatem manifeſtavit. *Gen.* III. 22. *Ecce Adam factus eſt qvaſi UNUS ex NOBIS.* Neqve dubium eſt, ubi myſterium redemptionis pluribus ac manifeſtius expoſitum eſt Protoplaſtis, expreſſam Filii Dei redemptoris ac capitis ſerpentini contritoris mentionem factam eſſe: ſiqvidem in Novo Teſtamento ab ipſo Spiritu S. in locis parallelis, veluti ex inſtituto Prot-Euangelium declarantibus, ita explicetur; qvalia imprimis ſunt 1. *Joh.* III. 8. *&* *Ebr.* II. 14. 16. Non diffitetur utiqve Drejerus, Patriarchas Myſteriorum horum, de S. S. Trinitate & de Meſſia Filio Dei, notitiam habuiſſe; Qvomodo ergo Patriarcharum omnium primo, progenitori ac Præceptori communi, eamdem denegabunt? De qva etiam παμμητέρ@ deſiderium teſtari poteſt, *Gen.* IV. 1. qvemadmodùm ſacrificium, ab Abele oblatum, informationem à Protoplaſtis acceptam de paſſione Meſſiæ ſatisfactoria confirmat; de qvibus poſtmodùm.

XXXVI. (10) Qvid? qvòd Chriſtus ipſe dum ad Moſen, ceu teſtem ſuum, provocat, eum *de ſe ſcripſiſſe*, docet, eúmqve, ceu *Judæos* incredulos *accuſantem apud Patrem*, qvòd nempe in Filium, in qvo *vitam æternam nos habere Scriptura*

V. T.

V. T. teſtatur, credere nolint, introducit, ad hoc imprimis oraculum, qvod præ ceteris in Moſe eminet, digitum intendat, *Joh.* v. 46: Qvum diſcipulos in via Emauntica informaret, *qvòd Chriſtum ea pati oportuerit, qvæ perpeſſus eſt, & in gloriam ſuam intrare*, non modò è ceteris Prophetis, ſed etiam ex ipſo *Moſe* teſtimonia produxiſſe legitur Luc. xxiv. 24. Qvum diſcipulis reliqvis mentem aperuit, ut Scripturas intelligerent, *ita SCRIPTUM eſſe*, teſtatus eſt, *ita pati debuiſſe Chriſtum & reſurgere à morte*, & qvidem *ſcriptum* ita *in* LEGE *Moſis, in Prophetis & in Pſalmis.* Qvod, qvantum ad Moſis ſcripta, dubio procul è Prot-Euangelio imprimis tùm deduxit ac demonſtravit, utpote qvod in lege Moſis inter oracula de Meſſia vel maximè radiat, & reliqvorum fons & ſcaturigo haberi debet. Gloſſa Calixti, *qvaſi typos tantùm è lege Moſis tùm produxerit Chriſtus*, eósqve *obſcuros & non ſatis penetrabiles*, vel *ea, qvæ typis & figuris involuta erant*, th. CLXX. de pactis, non qvadrat. Qvomodo enim de tàm obſcuris typis diceret, *ſic SCRIPTUM eſt in lege Moſis, ita pati oportuiſſe Criſtum:* Qvomodo inde paſſionem ſuam demonſtrare potuiſſet, aut demonſtrâſſet, ſi nullæ promiſſiones aut oracula aperta è lege Moſis producere potuiſſet? Néqve tantùm de typis exponi poteſt Paulus, cùm proteſtatur. Act. xxvi. 22. ſe nihil *dicere EXTRA EA*, qvæ *Prophetæ dixêre & Moſes, qvòd Chriſtus pati debeat, & reſurgere à mortuis.* Qvamqvàm hæc exceptio etiam nihil juvet Calixtum. Nam ſi typi illi non fuêre populo in Vet. Teſt. explicati, verbi gratiâ *de agno paſchali* & de *ſacrificiis*, qvâ fini à Deo typi propoſiti fuêre populo? qvid adumbrare ipſi potuêre, ſi nulla de iis acceſſit explicatio? Si verò ea addita

dita fuit, uti nihil certius eſt, qvàm à Prophetis, & Sacerdotibus eamdem populo propoſitam, typósqve evolutos, ut qvo tenderent, intelligerent, fuiſſe, qvomodo ergo ambigi poteſt, doctrinam de paſſione Meſſiæ in Eccleſia Veteri, ante Davidis tempora, ſonuiſſe? S. Petrus certè λαμπρᾷ φωνῇ teſtatus eſt Act. III. 18. *Deum PRÆNUNCIASSE per OS OMNIUM Prophetarum, qvòd pati debuerit Chriſtus*; nec ab hoc cenſu excepit *Moſen*, aut alios *priores Prophetas*, ſed OMNIUM mentionem faciens, incluſit eosdem. Si ergo per Moſis & ceterorum priorum Prophetarum OS DEUS προκατήγγειλε *PRÆNUNCIAVIT Chriſtum paſſurum*, non potuit non nota eſſe ante Davidis tempora paſſio Meſſiæ populo & fidelibus. Prænunciáſſe enim per os Prophetarum non dicitur, qvæ præfiguravit tantùm per typos, eósqve non evolutos, ſed involutos.

XXXVII. Taceo, qvòd Ap. XIII. 8. de Agno dicatur, qvòd *occiſus ſit ab origine mundi*: qvô reſpici prima etiam promiſſio Euangelica videtur. Occiſus enim *ab origine mundi in promiſſionibus, & typis*; nec non ratione *virtutis* & *efficaciæ*, inde à mundi origine ſtatim poſt lapſum, mediante *verbô* Dei, de paſſione Meſſiæ ſatisfactoria ex *parte Dei*, & *fide*, ex *parte hominum* exſertæ. Obſervare tantùm placet confeſſionem Calixti. Agnoſcit enim is hôc ipſo *de pactis divinis commentô*, Prot-Euangeliô cùm *Deitatem Meſſiæ*, tùm *paſſionem* ejusdem *ſatisfactoriam* exhiberi ac comprehendi, imò qvòd Filius Dei ſit futurus Meſſias, & qvòd præter eà ex virgine naſciturus ſit; adeóqve ſibi ipſi contradicit apertiſſimè, dum hanc reddit ejus paraphraſin & explicationem th. XXXIIX. *Verba*, inqvit, *primi Euangelii hæc ſunt*, dixit Dominus

O Deus

Deus ſerpenti: Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen ejus: ipſum conteret tibi caput, & conteres ei calcaneum Gen. III. 15. *Ubi notandum, qvum ſerpens infernalis, ſive Diabolus, junctus fuerit cum terreno, & primaria cauſſa ſermonis & diſcurſus, qvi cum Heva inſtituebatur, atqve adeo qvando loqvutus ſcribitur Serpens, intelligendum ſit, ejus loqvutionis Satanam, ſive infernalem ſerpentem, principalem fuiſſe cauſſam, terrenum nonniſi inſtrumentalem: qvòd pari modô verba, qvæ Deus ad ſerpentem facit, utrúmqve concernant, & indicta pœna utrúmqve tangat. Dæmon enim, qvi in perſvadendo peccato cum terreno ſerpente voluit jungi, & unam qvaſi perſonam moraliter conſtituere, cum eodem qvoqve in pœnâ jungi debuit, ut verba, qvibus irrogatur, non qvidem à terreno ſerpente aliena ſint, intermiſceantur tamen; qvæ etiam Dæmonem, Principem mali cauſſam, feriant. Qvalia ſunt*, ſemen mulieres i. e. natus ex muliere Virgine abſqve copulâ viri, *conteret caput tuum*, id eſt, opera tua, qvibus ad perdendos homines unicè intentus es & incumbis, diſſolvet & deſtruet. *Nam, ut loqvitur ſanctus Johannes*, ad hoc manifeſtus factus eſt Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli 1. Epiſtol. III. 8. *Opera verò diaboli ſunt, qvòd peccare fecit facitqve homines, & per peccatum morti & damnationi obnoxios reddit. His operibus ſibi placet, triumphat & perpetuò incumbit. At* ſemen mulieris, *ſive filius* Virginis, *peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum* 1. Pet. II. 24. *eſt* agnus ille Dei, qvi tollit peccatum mundi, *Joh.* I. 29. Ille apparuit, *ſive incarnatus prodiit*, ut peccata noſtra tolleret, 1. *Joh.* III. 5. Particeps factus eſt carnis & ſangvinis, id eſt, humanæ naturæ, qvam aſſumpſit, ut per mortem aboleret eum,

eum, penes qvem eſt mortis imperium; hoc eſt, Diabolum, Hebr. II. 14. *Dicitur autem penes* diabolum eſſe imperium mortis, *qvia ei tamqvàm lictori à Deo commiſſum ſive permiſſum eſt, ut illos, qvi in morte captivi detinentur, affligat, & torqveat. Sic igitur eripimur è poteſtate tenebrarum, ſic deſtruuntur opera diaboli, ſic conteritur caput Serpentis, imò Satanas ſub pedibus noſtris, Rom.* XVI. 20. *Seqvitur apud Moſen*: Et tu conteres ei calcaneum. *Non tu qvidem attinges caput, nec primarium finem, qvi eſt, ut qvi tamqvàm membra cum Servatore capite ſuo per fidem cohærent, æternâ vitâ potiantur, evertes*; inſidiaberis *tamen* tùm capiti, tùm membris adverſaberis; *perſeqvutiones excitabis, & qvocumqve poteris modò nocebis.* Qvæ explicatio Calixti apprimè notanda. Sic enim ſpongiæ incumbant neceſſum eſt, qvæ hactenus diſputavit Calixtus, de *Deitate Meſſiæ, Virginitate matris*, ut & *paſſione ipſius* non traditâ in V. T. ante Davidis tempora. Siqvidem jam in ipſo Prot-Evangelio, qvô ſemen mulieris, contriturum caput Serpentis, deſignatus fuerit Filius DEi, naſciturus ex muliere Virgine absqve copula viri, opera Diaboli diſſoluturus, peccatum nempe, mortem & damnationem; qvæ contritio capitis ſerpentini fieri debuerit, ſemine mulieris, ſive Filio virginis, peccata noſtra ferente & auferente, eùmqve, qvi mortis habet imperium, h. e. Diabolum, abolente, nóſqve ita è poteſtate tenebrarum eripiente, ut, qvi tamqvàm membra cum hoc Servatore capite ſuo per fidem cohærent, vitâ æternâ potiantur.

XXXVIII. Properandum nobis ad alia. Septimò itaqve *fidem Evæ, matris omnium viventium* in Meſſiam, verum Deum & hominem Deſiderium ejus, *Gen.* IV. 1. his verbis expreſſum, exhibet

hibet קניתי איש את יהוה, ACQVISIVI VIRUM DOMINUM. Qvæ etſi altô ſpernat ſuperciliô Julianus Dictator, ac maximè contemtim habeat, cauſſam tamen nullam idoneam hactenus reddere potuit, cur recedat hìc à verbis clariſſimis, ipsísqve, qvod dicitur, ſolis radiis ſcriptis, ἀυτολεξεὶ θεάνθρωπον Deum hominem, vel VIRUM DOMINUM, exhibentibus; qvâ *nativâ, propriâ, & uſitatâ ſignificatione*, (à qva citra prægnantiſſimas, & in Scriptura ipſa enatas rationes diſcedere, integrum non eſt) accipiuntur, qvemadmodùm imprimis particula את, in qva vis argumenti ſita eſt, *ſepties* in *immediatè antecedentibus & conſeqventibus tribus verſiculis* neceſſariò accipienda venit, &, qvod præcipuum cauſſæ affert momentum, *conſtructio talis verbi tranſitivi cum duobus nominibus, altero adpellativo, altero & poſteriori proprio, ſive utriqve præponatur nota Accuſativi caſus, ſive poſteriori ſolum*: in ſcripturis uſitata, eôdem modô, prorſus ut hoc in loco, *Gen.* VI. 10. c. XXII. 26. c. XXVI. 26. *Jer.* XVII. 10. *Ezech.* IV. 1. occurrens, neceſſario poſtulat, utrúmqve nomen ut in Accuſativo efferatur: Cur ab explicatione B. Lutheri, ſolidiſſimè fundata, omniúmqve γνησίως Lutheranorum ſuffragio hactenus comprobata, unus & ſolus diſcedat, & aliam merè precariam, frivolam, maximéqve dubiam & incertam, neqve intentioni Moſis, qvem in ſacra deſcriptione rerum, ante diluvium maximè memorabilium, tam nervoſâ & ſuccinctâ, nudam ἐτυμολογίαν nominis Caini hìc reddere voluiſſe, qvod in nullius Patriarchæ antediluviani ἐπωνυμία fecit, nullo modô fit veriſimile; neqve tam lætæ exclamationi Evæ pientiſſimæ, aut deſiderio ejus, qvô, expulſa è Paradiſo & excluſa ab arbore vitæ, ſemen promiſſum impenſiſſimè

ſimè deſideravit, conſentaneum, qvaſi ea nihil aliud teſtari voluerit, qvàm qvòd infantem pepererit Dei munere, cùm peperit, (qvæ gloſſa ipsâ glacie frigidior eſt;) neqve verbis ipſis, ſive denominationi viri, qvæ nulli infanti recens nato convenit, præterqvàm ſoli Meſſiæ; ſive conſtructioni vocum, adeóqve toti ſententiæ, ullatenus congruam, præferat atqve amplectatur! Sola præconcepta animi opinio ipſum faſcinat, ut in tanta luce videre neqveat, aut non velit, qvod non tantùm noſtri Doctores poſt B. Luth. ſolidè aſſeruêre *Joh. Brentius*, *Urban. Rhegius*, *Dav. Chytræus*, *Nic. Selneccerus*, *Oſiander uterqve*, *Polycarpus Lyſerus*, *Salomon Geſnerus*, *David Rungius*, *Pelargus*, & imprimis *Ægid. Hunnius*, *& Chriſtoph. Helvicus*: ut recentiores Theologos, ὁμοθυμαδὸν conſentientes, ac Philologos erudititiſſimos cum *Förſtero* & *Schindlero* eamdem ſententiam propugnantes, ipſos etiam Calvinianos, hìc non abnuentes, *Toſſanum*, in Bibl. *Belgicæ verſioni* additarum notarum Auctores, *Pellicanum*, *Conſtant. L'Empereur*, *Ludov. de Dieu*, *&c.* ſilentio involvam: ſed qvod *cæci* etiam *Judæi* jam olim viderunt; *R. Jonathan* in Paraphraſ. Chaldaica reddens: *Et Adam cognovit Evam uxorem* ſuam, qvæ erat החידה למלאכא *deſiderans illius angeli*, *& concepit*, *& peperit Cainum*, *& dixit adepta ſum viro*, vel, ut juxta Manahemi lectionem reddi poteſt, *virum Angelum illum Jehovæ*. *Cabaliſtæ* item, qvi, hoc redemptionis per Meſſiam θεάνθρωπον primis parentibus myſterium non incognitum fuiſſe, agnoſcunt, ídqve pro conſvetudine ſua Cabaliſtica, obſervante *Johanne Reuchlinô*, lib. 1. Cabalæ, ita exponunt. *Miſſus eſt angelus Raziel ad Adam collapſum & mœrore plenum, ut conſolaretur eum, qvi ſic dixit: ne ſupra modum*

conficiaris gemitu & moleſtiâ, qvòd te duce genus humanum in ſummam corruit perditionem, qvoniam originale peccatum hoc expiabitur. Nam ex tua propagatione naſcetur homo juſtus & pacificus, vir herôs, cujus nomen continebit in miſerationibus etiam has qvatuor literas I. H. V. H. ille per rectam fidem, & placidam oblationem mittet manum ſuam, & ſumet de ligno vitæ, & ejus ligni fructus erit omnium ſperantium ſalus. Et hanc fuiſſe omnium PRIMAM Cabalam, primordialis ſalutis nunciam, cenſent, ob qvam in hac gratulatione γενεθλιακῇ & lætabundâ ita exclamârit Eva, ut illic referre pergit Capnio. *Qvam ob rem, cùm ſingula hæc Adam uxori ſuæ palàm renunciâſſet, cœpit eâ præſente, ad poſteritatis commemorationem & gratiarum actionem, erectô altari DEO ſacrificare. Ita enim Magiſtri noſtri tradiderant* שגם אדם הראשון הקריב שור פר, id eſt, qvòd tùm Adam primus obtulit juvencum. *At Eva jam futura viventium mater ſummotâ deſperatione, tandem à viro ſuo cognita, concepit, & peperit primogenitum. Unde ingenti & incredibili gaudiô perfuſa, qvòd putaret ei mox ſalvatorem eſſe natum, ſic exclamavit*, קניתי איש את יהוה *id eſt*, Acqviſivi virum illum qvatuor literarum, *qvas literas ab Angelo jam pridem receperant.* Hæc Rabbini, qvorum ſcripta aliàs magni æſtimare ſolet Calixtus, imprimis cùm ſcenæ ſuæ inſerviunt. Neqve dubitat B. Lutherus id hodie etiam peſſimos qvòsqve Judæos faſſuros, hanc translationem optimè congruere, ACQVISIVI VIRUM DOMINUM; ceteras verò coactas eſſe: cujus verba in Calixti gratiam adſcribimus è Tom. IIX. Jen. Germ. librô de noviſſimis verbis David. f. 158. Ich weis fürwar, wenn die ärgeſten Jüden, die Chriſtum gecreütziget haben, oder noch ärger weren, gleuben könten, oder müſten (ohn glauben) die warheit der

Spra-

Sprachen ſonſt bekennen, ſo würden ſie alſo ſagen. Ja ihr verfluchten Goym, wenn das war were, daſs des Weibes Sahme GOtt und Menſch were, ſo wüſten wir ſelbſt woll, daſs der Text ſich aus der maſſen fein drauf reimet, dan Eva ſpricht: Ich habe den Mann gekriegt den JEHOVAH; und bekennen frey, daſs die Sprach gern und fein giebt, daſs dieſer ſohn der Mann, und GOtt der HErr were. Was man aber anders hie deutet, als, Ich habe denn Man krieget durch den HErrn, oder von dem HErrn, oder mit dem HErrn, das iſt genötiget, gezwungen, unartig ding, und nicht die rechte Art und Natur der Sprache, kans auch niemand anders beweiſen. Ja auff die weiſe müſten die böſen Leute bekennen: aber nu ſie nicht leiden können, das Gott Menſch ſey geboren von einen Weibsbilde, muſs dieſer Text und die gantze Schrifft unrecht haben, oder von ihnen ein ander Naſen machen laſſen.

XXXIX. Neqvidqvàm ergo Calixtus *verſiones alias* hic obvertit Wiederlegung theſ. LXXI qvæ textui authentico præjudicare non poſſunt; falsò *omnes verſiones*, exceptâ poſtremâ B. Lutheri, reddere ait; *poſſedi virum à Domino*, vel *Domino*, vel *per Dominum*. Contrarium è verſione antiqviſſima *R. Jonathan*, *manuſcripta* qvadam *Syra*, itémqve interpretatione *Iſidori Clarii*, *Fagii*, *Förſteri*, *Schindleri*, *Oſiandri*, *Lud. de Dieu*, conſtat: temere ac perperam illas verſiones Ebraico textui ſatis congruere aſſerit, qvo de iterum B. Lutherum audiat, locô laudatô ità pergentem: Eben alſo müſſen auch alle andere Ebraiſten bekennen, wenn ſie den Text recht anſehen, und halten, daſs dieſer Weibs Samen JEHOVAH, das iſt GOtt und Menſch, were, denn das dies wörtlein Eth heiſſe den, oder die, und eine Nota Accuſativi

ſey, das iſt überweiſet, überzeuget, bekand von allen Ebraiſten, Jüden und Chriſten in allen Grammaticen: daſs es aber auch ſolt heiſſen ad, de, vel cum, von, oder mit, oder durch, das iſt noch unbeweiſet, und ſol wol unbeweiſet bleiben. Denn auf die Exempel, die ſie füren aus Rabbi Kimchi, oder aus der Schrifft, kan man leichtlich ſagen, daſs die Ebreiſche Sprache noch nie wieder recht aufkommen iſt, und die Jüden nicht wiſſen konnen virtutem omnium vocabulorum, ſicut res oſtendit, vielweniger wiſſen ſie vim phraſis, figurarum & idiotismorum, ſondern ſie zweiffeln, æqvivocirn, tappen und ſuchen, wie ein Ungelehrter Organiſt die claves der Orgelpfeiffen ſucht und fragt, biſtus, biſtus. Qvod ſibi etiam dictum putet Calixtus, qvi pariter neſcit, an reddere debeat *à Domino*, an verò *cum Domino*, an deniqve *per Dominum*. Textui autem Moſis non iſtam gloſſam ambiguam, ſed germanam propriámqve verborum interpretationem conſentaneam eſſe, adeoqve διαῤῥήδην fidem primorum parentum in Meſſiam Deum confirmare, malo iterum Megalandri Lutheri verbis, qvàm meis docere. Solchen verſtand, ait incomparabilis Scripturæ Interpres, l. c. f. 157. Daſs des Weibes Sahme müſſe GOtt ſein, der dem Teuffel den Kopf zutreten ſol, hat auch Adam und Eva gehabt: den Gen. IV. 1. 2. da Eva Cain geborn hatte, dachte ſie vieleicht, weil das der erſte gebohrne Menſch auf Erden were, er würde der beſte ſein, und meinet, er ſolte der Same des Weibes ſein, ſie aber die Mutter oder das Weib, darum ſpricht ſie: Ich habe den Mann den Herrn, als wolte ſie ſagen, das wird der Mann der Herr ſein, davon Gott geredt hat, des Weibes Sahme &c. Nennet das Kind einen Mann, und Herrn

oder

oder GOtt, denn hie ſtehet der groſſe und eigen Nahme GOttes, JEHOVAH, der nichts anders bedeutet, denn allein Gott ſelbſt in ſeiner Natur, oder weſen, Iſch, welches, wo es allein ſtehet ohn ein Weib, heiſt es nicht ſchlecht ein Mannesbild, wie alle Männer ſind, ſondern ein ausbund und fürnemlichen Mann, wie wir Deutſchen auch ſagen, das iſt ein Mann, das wil ein Mann werden. Alſo wil Eva hie, ich habe einen Sohn gebohrn, der wird ein Mann werden, ja er iſt der Mann GOtt ſelbſt, derſs thun ſol, und die Schlangen zertreten, wie GOtt uns geredt hat. Wie iſts müglich, wie ſolts ihr einfallen von ihren Kinde alſo zureden; Ich habe den Mann den Herrn, wo ſie nicht den Spruch alſo verſtanden hette, daſs des Weibes Same, müſte GOtt ſein, ders thun ſolte, was GOTT geredt hatte? Sie wirds auch nicht allein ſo verſtanden haben, ſondern Adam wird mit ihr lange zuvor davon geredt, und dieſen Spruch untereinander wol geübt, und ſich getröſtet haben wieder die Sünde und Tod, ſo durch dieſen Samen ſolt weg genommen, dafür die verlohrne Unſchuld und leben wiedergebracht werden, ſonſt weren ſie verzweiffelt.

XL. Argumentum, qvod huic veritatis luci opponit Calixtus, merè ſtramineum eſt: *qvòd nempe abſurdum ſit, Evam ſciviſſe, Meſſiam verum Deum eſſe, & ignoráſſe tamen eum è Matre Virgine naſciturum:* ſiqvidem non modò Drejerus, *Meſſiæ Deitatem Patriarchis* cognitam, fateatur, ſed agnoſcat qvoqve Calixtus ipſe, in *Pſalmis Davidis Deitatem Chriſti traditam*, adeóqve iſto tempore creditam fuiſſe, ac contendat nihilô ſecius, *primùm ESAIÆ tempore, hoc eſt*, annis 200 pòſt, virginitatem Matris Meſſiæ patefactam. Qvomodo ergò tum cre-

di potuit ante Eſaiam deitas Chriſti, ignoratâ matris virginitate? Neqve diffitetur Calixtus, cujus ἑαυτομαχίαν in hisce perpetuam deprehendes, in πρωτευαγγελίῳ patefactam eſſe *virginitatem Matris Meſſiæ*, qvum ipſe interpretetur *Semen mulieris*, id eſt, *natus ex muliere Virgine & Filius virginis*. Sive verò Eva id tum præ gaudio & deſiderio exſpectati Meſſiæ non cogitârit, ſive etiam adeò cognitum non habuerit, qvòd in Prot-Euangelio de Virgine Matre indicatum, qvemadmodùm etiam, poſt illuſtriſſimum Eſa. VII. 14. vaticinium de Virginitate matris Meſſiæ, *id non ita conſtitiſſe communiter, fore Meſſiam duntaxat mulieris & non viri etiam filium*, *D. Ægidio Hunnio* in Calvino Judaiz. ſuper h. l. Gen. IV. 1. aſſerenti, concedit & largitur Calixtus, Verandtw. n. XIIX. lib. 1. f. 2. id uti luculentis Deitatis Meſſiæ teſtimoniis in Prophetis, Eſaia, Jeremia & ſubſeqventibus non præjudicat qvidqvam, non minus ea pro luculentis teſtimoniis etiam ab ipſo Calixto, qvi eadem jam non videri vult denegare Prophetis, poſterioribus, habeantur; ita nec luculentis ipſius Evæ de VIRO DOMINO, vel θεανθρώπῳ verbis præjudicare ullatenus poteſt. Ne dicam, qvòd longè magìs abſurdum ſit, credere Meſſiam & in *Meſſiam redemptorem à peccato, morte & condemnatione*, qvem neſcias, *an homo ſit, an Angelus, an Deus*; qvàm credere in Meſſiam θεάνθρωπον, de qvo non conſtet, *an ſit Virginis Filius*: imò qvòd, poſitâ hypotheſi Calixtinâ, *animarum immediatâ creatione*, adeo abſurdum non ſit, qvemdam procreari à parentibus naturali propagationis modô expertem peccati originalis, ut abſurdum potiùs cenſeri debeat, qvemqvàm illi obnoxium eſſe, cujus anima, πρῶτον δεκτικὸν peccati originalis, immediatè à

Deo

Deo creata fuerit. Et annon faciliùs adprehendi poteſt, præſervatum fœtum qvemdam in propagatione per parentes ordinaria à peccato originali, qvàm *merum hominem* Redemptorem fore, in qvem credendum ſit, qvíqve infinitæ Dei juſtitiæ ſatisfacere debeat, qvum hoc ne per abſolutam Dei potentiam fieri poſſe Calixtus judicet, illud autem poſſe fieri, proculdubio negaturus non ſit?

XLI. Superſunt adhuc illuſtria fidei mundi antediluviani documenta eáqve ſpecialia, ſed qvæ tempus, diſputationi huic definitum, ſuccinctè tantùm perſtringere, jubet. Octavò itaqve loqvatur mundi primordialis *ſacrificium Abelis*, qvod in primis ſtatim Eccleſiæ incunabilis per fidem in promiſſum Semen mulieris obtulit, *Gen.* IV. 3. Hoc enim ediſſerit tum *paſſionem Chriſti ſatisfactoriam*, cujus typos fuiſſe *OMNIA ſacrificia* Vet. Teſt. Calixtus fatetur de pactis, th. CLXX. ſiqvidem *Meſſias venturus*, *Pontifex futurorum bonorum* (*Ebr.* IX. 11.) *cujus videlicet interventu & meritô futura bona obtinentur*, *ejúsqve mors*, *pretium redemptionis noſtris typis & ſacrificiis*, ut th. XCI. habet, *adumbrabantur*: & de Sacrificio hocce Abelis in ſpecie res certa eſt ex Epiſtola ad Ebræos: tum *Deitatem ejusdem*, ſiqvidem neqve ſatisfactio fieri a mero homine, neqve per fidem in Meſſiam offerri ſacrificium potuerit, niſi ipſe creditus fuiſſet verus Deus; qvemadmodùm non modò Moſes, Deum gratiosè reſpexiſſe Habelem, & ſacrificium ejus, perhibet, qvod fidei in Chriſtum, ſine qva nemo Deo placere poteſt, tribuendum; ſed & Apoſtolus inſigniter deprædicet fidem, ut & juſtitiam ejus, ipſius Dei teſtimoniô commendatam: *Ebr.* XI. 4. *Fide majorem hoſtiam Abel, qvam Cain obtulit Deo, per qvam teſtimonium conſeqvutus eſt, eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deô & per illam de-*

defunctus adhuc loqvitur. Ubi qvot verba, tot penè argumentorum pondera. *Fide*, inqvit, Apoſtolus; qvæ nulla alia eſt; qvàm qvæ huc usqve tradita & expoſita erat, fides nempe in Chriſtum Filium Dei, ejúsqve paſſionem ſatisfactoriam; θυσίας vox *mactationem* & *effuſionem ſangvinis* infert, qvâ figurata fuit occiſio Chriſti agni immaculati *Apoc.* XIII. 8. I *Cor.* v. 7. Vox προσήνεγκε, ſacrificialis itidem, oblationem repræſentantem eam, qvæ in ligno crucis fieri debuerit, & per oblationes in V. T. figurata fuit, denotat. I. Petr. II. 24. *Ebr.* VII. 27. c. IX. 25. *Eph.* v. 2. Neqve *teſtimonium* vel documentum *juſti* ullâ ratione potuiſſet eſſe Abelis oblatio, niſi per fidem in Chriſti θεανθρώπυ expiationem, ſangvine ejus futuram, eadem facta eſſet. Neqve *juſtus* aut *juſtificatus* fuit Abel, niſi per imputatam juſtitiam θεανθρώπυ *viri Domini*, qvi *factus nobis eſt juſtitia*, verâ fide adprehenſam. Siqvidem nulla ſit, aut fingi poſſit juſtificationis ratio, ac Paulus hic diſertiſſimè de juſtitia fidei agat, de qva teſtatus erat è Propheta, *juſtus fide vivet. Teſtimonium, qvod a Deo accepit*, reſpiciente gratiosè ſacrificium ejus, qvodcúnqve id credendum ſit, (*per ignem de cælo demiſſum, qvô oblatio hauſta & conſumta fuit, in oculis omnium, id factum*, cenſet B. Lutherus,) nonniſi per veram in Meſſiam fidem Abel conſeqvutus eſt. Illa deniqve λαλιὰ, *qvâ mortuus etiamnum ſub Nov. Teſt. loqvitur* PER FIDEM, *adeóqve ſemper huc uſqve per fidem loqvutus eſt*, qvid aliud teſtatur, qvàm qvòd per eamdem fidem, qvæ à nobis ad ſalutem reqviritur, & *Nobis* jam etiamnum loqvatur, ut eam imitemur, ac pro ea ſangvinem fundere, vel in eadem piè mortem obire ne vereamur, & *olim lo-*

loqvutus ita ſit Patribus, inde ab ipſo mortis tempore. *Continuus* enim eſt *loqvelæ* defuncti actus, & loqvela una eſt eadémqve, qvâ ab iſto tempore huc uſqve loqvutus eſt *per fidem*, qvemadmodùm etiam *non eſt niſi UNA fides*, omnium temporum Eph. IV. 5. *& unus lapis angularis fidei, JESUS CHRISTUS, in fundamento illo Prophetarum* pariter & *Apoſtolorum* μονοτρόπως unico, *Eph.* II. 20. I. *Cor.* III. II. *Act.* IV. 12. *Conf. Eſ.* XXIIX. 16. *Rom.* IX. 33. I. *Pet.* II. 6. Qvæ verò omnia perſeqvi jam non licet. Addimus ſolum parallela è *Lutheri* θεοδιδάκτȣ aureo in Geneſ. comment. Latino f. 71. de Abelis ſacrificio. *Hic primùm admonemur, pios Parentes, Adam & Evam, liberis ſæpe ac multùm concionatos eſſe de voluntate Dei & cultu Dei, ſiqvidem ambo Deo offerunt. Sed inqvies, qvid, aut de qva re concionati ſunt? pulcherrima certè argumenta ſacrarum concionum habuerunt; meminerunt primæ conditionis & paradiſi, ac ſine dubio liberis locum, ab Angelis cuſtoditum, oſtenderunt ſæpe, ac monuerunt, ut a peccato caverent, per qvod tot bonis ſpoliati & exuti eſſent. Contrà, ut in timore Dei viverent, ut ejus benignitate ſe conſolarentur: tunc futurum, ut poſt hanc vitam meliorem inveniant. Ac qvis commoda omnia prioris vitæ enumeraret? Ad hæc acceſſit altera pars doctrinæ, de promiſſione Seminis, & futura liberatione ex his calamitatibus. Hæc fortaſſe certo in loco, & præcipuè Sabbati diebus liberis ſuis Parentes pii deprædicârunt. Itaqve ad hoſtias & cultum Dei præſtandum his concionibus excitati ſunt.* Et fol. 75. *oblatio Abel placuit, qvia Abel placuit, idqve propter fidem, qvòd non confiſus eſt dignitate ſuâ, non ſacrificiis, non opere, ſed ſimplici promiſſione de ſemine mulieris factâ: Pertinet*

igitur

igitur hic texus ad noſtram ſententiam de juſtificatione, qvòd neceſſe ſit hominem eſſe juſtum ante omnia opera, & ſine omnibus operibus acceptari à Deo, tantùm per gratiam, qvam fides credit & adprehendit. Neqve enim fides tamqvàm opus juſtificat, ſed ideo juſtificat, qvia adprehendit miſericordiam in Chriſto exhibitam. Nec negligenda ea, qvæ fol. 78. ſubjiciuntur. *Num putabimus Adam primum Doctorem, inferiorem Moſe fuiſſe? multis modis ſuperior & major fuit. Non enim, ſicut Moſes, circumciſionem, non alias ceremonias legales docuit. qvibus indomito populo fuit opus ad prohibendam ſuperſtitionem. Fidem docuit in promiſſum ſemen, qvod ſerpentis caput contriturum erat. Sed nihil primogenitura, nihil alia Cain adjuvant, Deus enim ſolam fidem reſpicit in promiſſum ſemen, ſicut Paulus in Novo Teſt. clarè dicit: Qvi ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ, Gal.* III. 7. & *Joh.* I. 13. &c.

XLIII. Commemorari nunc ordine poſſet gratulatio γενεθλιακὴ, ejusdem fidei in Meſſiam teſtis ac declaratio, qvâ *Sethum* recens natum excepit *Eva*, *Deus mihi aliud* SEMEN *poſuit locô Abelis* c. IV. 26. qvæ & nomine SEMINIS, benedictum ſemen reſpiciente, & verbô שת poſuit, è promiſſione paradiſiaca, *ponam inimicitiam*, deſumtô, fidem teſtatur παμμητέρ☉, erigentis ſeſe conſolatione, è prima illa promiſſione hauſtâ, *qvâ oſtendere voluit*, ut habet B. Luther. comment. in h. l. fol. 94. *hunc Sethum ceu fundamentum fore, in qvo nitatur promiſſio de Chriſto, ut etſi generatio Cain propter peccatum pereat, tamen hujus filii generatio ſervetur, donec promiſſum illud ſemen benedictum in mundum veniat*; qvemadmodùm alias voce illâ שם Scripturæ S. cùm de Meſſia agunt, delectantur, *Eſa.* XXIIX. 19. I. *Pet.* II. 7.

Luc.

Luc. II. 34. Conf. *Roman.* III. 26. *Act.* XVII. 31. nec de eo dicamus, qvòd in *Midraſch Ruth* ſemen hoc de ipſo *Meſſia* explicetur; *Aliud ſemen ſignificavit pro alto venturum, Et hic eſt Rex Meſſias*; cui gemina eſt *Cabala* apud Reuchlinum, lib. I. de Cabal. Nec de eo, qvòd *in nominibus omnium Patriarcharum*, qvi ante diluvium vixêre, *doctrinæ de Meſſia qvædam confeſſio* contineatur, qvemadmodùm à noſtratibus aliàs docetur. *Auguſtini*, lib. XV. de Civitat. Dei c. XIIX. hæc ſunt: *Ex duobus illis hominibus, Abel, qvi interpretatur luctus, & fratre Seth, qvi interpretatur reſurrectio, mors Chriſti, & vita ejus ex mortuis præfiguratur. Ex qva fide gignitur hic civitas Dei, id eſt, homo, qvi ſperavit invocare nomen Domini* Dei. Qvamqvàm verò in interpretatione nominum deceptus fuerit à qvopiam, ut B. Lutherus loqvitur, *Auguſtinus*; dignior tamen Theologô eſt ejuſmodi mortis & reſurrectionis Meſſiæ in veterum fide indagatio, qvàm ejuſdem è libris antiqvæ Scripturæ eliminatio. Digna etiam obſervatu eſt *prædicatio, tempore Enos facta*: de qva Gen. IV. 26. Tunc cœptum eſt לִקְרֹא בְּשֵׁם יהוה *invocari in nomine Domini*: qvod de cultus divini publici per Sethum & filium ejus Enos inſtauratione, & nominis divini, vel ſincera de Dei eſſentia, & voluntate doctrinæ prædicatione, à Cainitis per violentas perſeqvutiones ad tempus impedita, divinô munere tum redintegrata, cum B. *Luthero* Tom. IV. Germ. in comm. in h. l. ac in gloſſa marginali Biblica, pleriqve noſtrates accipiunt. Vocem קרא de *invocatione* accipi notiſſimum eſt. *Deut.* XXIIX. 10. *Pſal.* IV. 2. *Pſal.* L. 25. *Pſal.* XCIX. 6. & imprimis parallela, qvà conſtructionem, invocari in nomine Domini, ſunt hæc loca *Pſalm* LXXIX. 6. *Jerem.* X. 25. *Gentes qvæ non invocant in nomine tuo*: *Zeph.* III. 9.
Tunc

Tunc convertam ad populum labium purum ad invocandum omnes in nomine Dei, & Joel. II. 32. *& omnis, qvi invocaverit in nomine Domini, evadet,* vel *ſalvus erit.* Qvæ de *invocatione in nomine Meſſiæ veri Dei & Domini, verâ fide facta,* agunt, qvemadmodùm poſtremus locus à Paullo *de juſtificatione ac ſalutis conſecutione per* fidem explicatur *Roman.* X. II. Unde qvæ de *Abrahamo, Gen.* XII. 9. *c.* XIII. 4. *c.* XXI. 33. *de Iſaaco, c.* XXVI. 26. eâdem phraſi efferuntur, de *invocatione, in nomine Domini Meſſiæ* facta, accipi poſſunt. Idem verbum de *prædicatione* freqventer qvoqve occurrit. *Lev.* XXV. 10. *Joſ.* IIX. 34. *Neh.* VI. 7. *Eſa.* XL. 2. *c.* LXI. 1. & cumprimis obſervanda hæc ipſa conſtructio *Ex.* XXXIII. 19. *c.* XXXIV. 5. ubi *prædicare in nomine Domini* dicitur *Dominus*, ad diſtinctionem perſonarum in Deitate indicandam. Qvô ſenſu etiam loca ſuperiora *Gen.* XII. 8. c. XIII. 4. c. XXI. 33. c. XXVI. 25. communiter explicantur, qvòd *Abraham & Iſaac prædicârint in nomine Domini* ad altaria, qvæ exſtruxerunt. Qvæ explicationes ſubordinatæ ſunt, & *prædicationem* atqve *invocationem publicam, verâ fide IN NOMINE DOMINI MESSIÆ promiſſi* factam, inferunt, extra qvod nomen neqve *Salus* ulla *Act.* IV. 12. *Rom.* X. II. neqve *invocatio* Deo grata eſſe poteſt *Ebr.* XI. 6. *in illius* DOMINI *nomine prædicari cœptum eſt*, qvem deſideravit Eva, ac ſeſe poſſediſſe credidit, ut è collatione *verſ.* 26. cum *verſu* 1. liqvet; qvemadmodùm *Abram, exſtructô altari in Bethel, prædicavit in nomine illius Domini*, qvi ipſi apparuit, acceptâ promiſſione *de benedicto ſemine, Gen.* XII. 8. c. XIII. 4. qvod de *Iſaaco* pariter refertur *Gen.* XXVI. 4. 26. Meſſias ergo ut *Jehovah Dominus* tum publicè *invocatus* & *prædicatus* fuit. *B. Lutherus* ita hac de re habet comment. in Geneſ. f. 95.

Qvod

Qvòd Moſes non dicit invocari ceptus eſt Dominus, *ſed* nomen Domini, *rectè id refertur ad Chriſtum*, *ſicut etiam in aliis locis vocatur* Schem Jehovah. *Et illuſtris inde naſcitur ſententia*, *qvòd nomen Domini tum ceptum ſit invocari*, *hoc eſt*, *qvòd Adam*, *Seth*, *Enos hortati ſint poſteritatem ſuam*, *ut exſpectarent redemptionem*, *ut crederent promiſſioni de Semine mulieris*, *& ſpe illâ vincerent Cainitarum inſidias*, *cruces*, *perſecutiones*, *odia*, *injurias &c. nec deſperarent de ſalute*, *ſed potiùs gratias agerent Deo*, *liberaturo eos aliqvando per Semen mulieris. Qvid enim aliud potuit Adam & Seth melius aut utilius docere*, *qvàm liberatorem Chriſtum ſuæ poſteritati promiſſum?*

XLIV. Sed imprimis illuſtre teſtimonium eſt Meſſiæ, ante diluvium ceu veri Dei publicè prædicari, *Vaticinium Enochi*, *ſeptimi ab Adamo Patriarchæ*, qvod in lucem protraxit *S. Judas v.* 14. Nec dubium eſt, plurimas illuſtres Prophetias & conciones à tantis Patriarchis & Prophetis de Meſſia, ejus perſona & officio in primo mundo inſtitutas fuiſſe, qvemadmodùm ex hac, qvam Spiritui S. nobis repetere placuit, colligere licet. Hoc certè Enochi vaticinium διαῤῥήδην Deitatem Chriſti exhibet: *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch*, *dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis*, *facere judicium contra omnes*, *& arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*, *qvibus impiè egerunt*, *& de omnibus duris*, *qvæ locuti ſunt contra ipſum peccatores impii.* Qvisnam enim ille DOMINUS alius eſt, qvi venturus eſt in Sanctis millibus ſuis facere judicium, qvàm Dominus noſter JESUS Chriſtus, ille ὁ μόνος δεσπότης Θεὸς καὶ κύριος ἡμῶν, qvemadmodùm eum deſignārat Judas *v.* 4. ille ὁ κύριος (JESUS reddit Vulgata) *qvi populum ex Ægypto*

pto ſalvavit primùm & ſecundò perdidit eos, qvi non crediderunt. v. 5. Ille Dominus, cujus miſericordiam exſpectare debent fideles ad vitam æternam. v. 21. Ille Dominus, *contra qvem impii dura verba loqvuntur* verſ. 15. *qvem utut herum & Dominum ſuum*, qvi, ut parallelus Petri locus habet, *ipſos emit* 2. *Petr.* II. 1. *abnegarint* per infidelitatem, qvæ ipſis cauſsa exſtitit condemnationis, & fons ac ſcaturigo infelix eſt omnis impietatis; & omnium iſtorum ſive operum, ſive ſermonum, qvorum cauſsâ judicabunrur ab Domino v. 15. Qvem verò hìc nomine κυρίε *Domini* exprimit Judas, is in Vaticinio Enochi ſine dubio יהוה vocatus eſt, qvod nomen, qvum aliter non poſſint Græci, nomine κυρίε efferunt. Ideóqve uti Deitatem Meſſiæ verbis hiſce clarè prædicavit mundo antediluviano adventum noviſſimum, & judicium adverſùs *infideles Dominum abnegantes*, vel non ſuſcipientes per fidem, prænuncians; ita evidentiſſimè hinc conſtat; *Deitatem Meſſiæ* primo mundo haud fuiſſe incognitam: neqve dubium eſt, ſanctiſſimum Patriarcham etiam adventum primum Domini ad redemptionem prædicâſſe, & ad fidem in Dominum, qvi ſangvine ſuô redempturus erat humanum genus, exhortatum fuiſſe, ut condemnationis judicium effugere poſſint: qvem à Moſe, tamqvàm *ſolem aliqvem præ omnibus mundi originalis Doctoribus, ſeu Patriarchis, phraſi*, ambulavit cum Deo, *celebrari*, obſervavit *B. Lutherus*; qvòd *ambulare cum Deo ſit prodire ſecundum vocationem, & ſe opponere iniqvitati & malitiæ Sathanæ & mundi, ac confiteri Semen mulieris, damnare mundi religionem & ſtudia, prædicare per Chriſtum aliam vitam poſt hanc vitam* &c. qvâ etiam phraſi *adparitiones Dei* exprimi dici poteſt, adeo *freqventes*,

ut

ut cum Deo ambulare videri poſſit: qvémqve à *fide in Meſſiam* ipſe S. S. deprædicavit *Ebr.* XI. 5. *qvòd per eamdem non viderit mortem, tranſlatus in cælum*, vel ut *Paulus cap. præcedente* loqvi amat, *in ſancta*, in *qvæ* non habet qvisqvam εἴσοδον, niſi ἐν τῷ αἵματι Ιησȣ̃ & διὰ τȣ̃ καταπετάσματος, τȣτέςι τῆς σαρκὸς ἀυτȣ̃ *v.* 19. 20. & per fidem, vel παῤῥησίαν, *in ſangvine Jeſu*, & *ſacrificio ejus pro peccatis v.* 18. 19. *per qvam* etiam ipſe *ante* glorioſam μετάθεσιν *teſtimonium accepit à DEO, qvòd placuerit Deo*, ſine qva in Chriſtum fide impoſſibile eſt Deo placere, ut ibidem addit Apoſtolus. Piæ & jucundæ ſunt *Dn. D. Waltheri noſtri* de hâc μεταθέσει Candidati illius æternitatis cogitationes, qvas huc referre lubet è *Spongia Moſaica*, p. 308. *Probabile omnino eſt, eum cum reliqvis Patribus, Setho, Enoſo, Cainano, Mahaleelo, Jaredo, & filio ac nepote Mathuſalemo, Lamecho, altari adſtitiſſe, ipſiſſimo Sabbathi die, & poſt concionem inter ſacrificandum, in tam veneranda & publica congregatione, ignem ſuper ſacrificia cælitus deſcendiſſe, eumdémqve Henochum ſimul adprehendiſſe, vivúmqve in cælum ſurſum ſubvexiſſe in flamma adſcendente, qvemadmodùm Angelus ille increatus Judic.* XIII. 20. *dum ſacrificabat, Manoah & conjuge præſentibus, à terra diſceſſit.* Sed hæc de Henocho, ejúsqve præconio.

XLV. Nec tacenda hic fides Patriarchæ *Lamechi*, qvi novum argumentum Deitatis & redemptionis Chriſti, in primordiali mundo creditæ, præbet. Siqvidem hanc fidei ſuæ confeſſionem, Noah filiô in lucem editô, ſpe plenus, hunc fore promiſſum Semen, caput ſerpentis contriturum, ediderit: *ipſe conſolabitur nos ab opere noſtro, & à dolore manuum noſtrarum de terra, cui maledixit*

Dominus, Gen. v. 29. Hæc enim auguſtiora ſunt, qvàm qvæ mero homini tribui poſſint. Uſus erat *Lamech informatione*, & converſatione Adami per dimidium ſeculum, *Sethi* ultra ſeſqviſeculum, *Enoſi*, *Cainanis*, *Mahaleel*. *Jared* proavi, *Mathuſalah* parentis *per annos* 180. *circiter*, Henochi avi ultra integrum ſeculum, adeóqve in fide horum Patriarcharum iiſqve Magiſtris & Præceptoribus θεοδιδάκτοις, ac ſpiritu Propheticô inſtructiſſimis, *de Semine benedicto*, à puero ad annum ætatis, qvem 183. cùm Noam gigneret, agebat, affatim inſtructus, ſummô deſideriô Semen illud benedictum exſpectans, cùm Cainitarum malitia ad ἀκμὴν perveniret, ſerpénsqve infernalis caput ſuum maximè erigeret, poſtqvàm jam ante 70. circiter annos avum Enochum vivum in cælum translatum, & 56 annos ultra millenarium jam à promulgatione Euangelii primi tranſiiſſe viderat, filiô ſibi recens natô, adeſſe jam è cælis contritorem capitis ſerpentini, cælúmqve omnibus reſeraturum credidit, eâqve de cauſſa tàm divinum nomen filio impoſuit. Particula זה ISTE, reſpicit *illum*, qvem in mente fovebat, anxiôqve deſideriô deſiderabat, ILLUM, qvem ſimili pronomine הוא Deus deſignârat Gen. III. 15. Verbum ינחמנו *conſolabitur nos* vel *reqviem pariet nobis*; (utráqve enim ſignificatione verbum נחם adhibetur;) conſtituit eum communem orbis terrarum *conſolatorem* & *reqviei*, ab omnibus deſideratæ, *autorem*, ac *conciliatorem*. *Conſolabitur*, inqvit, *Nos*: complexus omnes, qvibus maledictio terræ inflicta, *laborem & dolorem* peperit. At cui hoc communis generis humani conſolatoris officium convenit, præterqvàm Chriſto conſolatori noſtro unico? Circa cujus nativitatem exclamabat prænuncius Vates נחמו נחמו *conſolamini*, *conſolamini populum meum* Eſ. xl. 1.

Qvam

Qvam conſolationem ſuſpiriis expetiêrunt fideles Pſ. xxc. 8. qvâqve erexerunt ſeſe, exemplô Davidis *Pſ.* xxiii. 4. & erecti ſunt à Prophetis Domini *Eſ.* xlix. 13. Conf. v. 6. 8. *ſ.* unde hoc munus ipſi proprium eſt, ob qvod mitti debuit לנחם כל־ אבלים *ad conſolandum OMNES lugentes* Eſa. lxi. 2. ideò etiam exſpectata fuit à fidelibus omnibus V. T. παράκλησις vel *conſolatio Iſraëlis*, CHRISTUS JESUS, vel in *CHRISTO JESU*, Luc. ii. 25. Qvemadmodùm ſeſe hôc παρακλήτου nomine adpellavit *Joh.* xiv. 16. & à Johanne ita vocatus eſt 1. *Ep.* ii. 1. Nec minùs propria eſt ipſi reqviei communis conciliatio, qvam eôpſe verbô, qvod hìc in Lamechi confeſſione à LXX. Interpp. adhibetur, eóqve bis repetitô, ſibi vendicat Chriſtus, qvum munus ſuum proprium explicat, & ſvaviſſimâ invitatione omnium, qvi reqvie indigent, exſeqvitur, *Matth.* xi. 28. 29. *venite ad me omnes, qvi laboratis & onerati eſtis*, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς *ET EGO RECREABO VOS*: & iterum: *invenietis* ἀνάπαυσιν *REQVIEM animabus veſtris.* A qvo vero ἀνάπαυσιν & reqviem in laboribus & oneribus, à maledictione divina oriundis, aut ipſe Lamechus exſpectare, aut univerſæ terræ polliceri potuit, (οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς,) qvàm ab eo, in qvo UNO OMNES, qvi laborant & onerati ſunt, ἀνάπαυσιν *refocillationem & reqviem* exſpectare neceſſum habent? Tùm verò verba illa מעשה, qvod Chaldæus reddit עובדת *opus ſervile*, B. Lutherus mühe, & עצבון; qvod LXX rectè ἀπὸ τῶν λυπῶν interpretantur, qvum *anxium dolorem* & *triſtitiam* inferat, non malè ita explicantur, ut priori *pœnæ temporales*, & mala corporis ac fortunæ, qvæ vocant *externa*; poſteriori

verò *interiorem cordis & animæ triſtitiam & anxietatem* deſignari velint: à qvibus profectò non liberamur, niſi unicè per illum הגאל, *qvi nos ab OMNI malo liberat*, eô nomine à Jacobo Patriarcha & celebratus & ſuper nepotes invocatus Gen. XLIIX. 16. Qvi ſolus nos & OMNES κοπιῶντας ϗ πεφορτισμένους LABORANTES & ONERATOS reficit, nobíſqve reqviem præſtat, à κόποις *LABORIBUS noſtris*, & φόρτοις *ONERIBUS*, *anxietatem nobis parientibus*. Qvæ duæ voces optimè reſpondent duabus illis Ebraicis vocibus, qvibus Lamechus utitur, LABOREM & DOLOREM vel ANXIETATEM inferentibus. Et ne ambigeremus, reſpici hìc pœnas Adamo & Evæ poſt lapſum denunciatas, ipſam illam vocem, qvam duabus vicibus de *mulieris doloribus*, ſemel de *doloribus viri* deinceps exantlandis, immediatè poſt Paradiſiacam promiſſionem indicatis, Deus adhibuerat, hìc qvoqve adhibere voluit Lamechus, ut toti humano generi, *in utroqve ſexu*, refocillationem & conſolationem in *qvibuscúmqve doloribus* jam exſpectandam eſſe, teſtaretur. Nec abs re addit vocem ידינו *manuum noſtrarum:* qvia manuum hominis extenſione ad arborem vetitam, Gen. III. 6. deſcriptâ, *labores & dolores* illi generi humano accerſiti ſunt, à qvibus *reqviem* & *conſolationem* anhelabant. Deniqve, ſiqvis adhuc ambigat, an reſpiciatur primæva promiſſio, dubium omne tollit mentio *terræ hujus*, *cui ipſi maledixit Jehovah*, ubi eædem voces האדמה אשר ארדה *terra*, *cui maledixit*, occurrunt, qvæ leguntur in prima pænarum comminatione, *Geneſ.* III. 17. ארורה האדמה *maledicta terra.* Ab ea enim maledictione, qvæ per primum peccatum univerſæ terræ inflicta eſt, conſolari, ac refocillare genus humanum, nullius eſt, niſi

niſi Meſſiæ, ejúsqve non qvalislibet indefinitè, aut *angeli, hominísve ullius*, ſed *ſolius Dei.* Tollere enim *maledictionem*, ab infinita Dei ira inflictam, ac *benedictionem* inferre, ſine qva nulla ſolida vel refocillatio, vel conſolatio conſtare poterat, non eſt niſi ſolius Dei. Nec aliter judicavit *B. Lutherus*, qvi eam in rem pulcherrimè in comment. in Geneſ. p. 102. *Sicut itaqve Adam & Eva poſt promiſſionem factam, in eam ſpem venerant, ut Cain putarent eſſe illud ſemen, præ nimia lætitia, qvòd videbant hominem ſibi ſimilem: ita qvoqve piô errore, judico, Lamech hoc nomen indidiſſe nato Noah, & dixiſſe: ille conſolabitur nos, & liberabit ab ærumnis hujus vitæ. Ceſſabit jam peccatum* Originale, *& pœna peccati originalis. Reſtituemur in integrum, deſinet maledictio, qvam terra propter peccatum Adæ tulit, deſinent aliæ miſeriæ, propter peccatum inflictæ generi humano. Ad hunc modum, poſtqvàm Lamech Avum ſuum, ſine dolore, ſine morbo, ſine morte raptum in Paradiſum vidit, putat futurum, ut ſtatim ſeqvatur tota Paradiſus. Judicat, Noah eſſe promiſſum ſemen, ac reparaturum eſſe orbem terrarum. Diſertè enim urget maledictionem tollendam eſſe; atqvi maledictio, ſeu pœna peccati, non poteſt tolli, niſi priùs tollatur ipſum peccatum originis.* Hæc *B. Lutherus*.. Si tamen *Juliano, Rabbinorum & Lyræ*, labores corporales unicè reſpicientium, gloſſa magìs arrideat, ut paſci ac delectari nugis talibus ſolet, caſtigandus cum iiſdem erit à B. Luthero. *Qvid enim indignius poteſt ſanctô Patriarchâ dici, qvàm qvod hujus compendii cauſſâ, qvod ventris propriè fuit, tam exultârit natô filiô Noah. Major cura anxit animum ejus, nempe ira Dei & mors cum omnibus aliis calamitatibus hujus vitæ. His ſperabat Noah impoſiturum finem, ideo exultabat gaudiô, benè ominabatur, & in hanc ſpem etiam alios vocabat.*

Non de aratro, non de jumentis, non de aliis levioribus rebus, ad hanc vitam pertinentibus, erat ſollicitus, ſicut cæci Judæi delirant. Sperabat Filium ſuum Noah ſemen illud futurum, qvòd reſtitueret priorem illum ſtatum Paradiſi, ubi maledictio nulla fuit. Nunc autem, inqvit, ſentimus maledictionem in ipſis laboribus manuum noſtrarum, qvòd etiam ſummò ſtudiò culta terra, tamen ſentes & tribulos producit Sed nunc ſurget novum & beatum ſeculum, ceſſabit maledictio terræ, nobis propter peccatum inflicta, qvia peccatum ceſſabit. Hæc vera hujus loci ſententia eſt.

XLVI. Duodecimò commemorandus hic eſt Noah, *primi & ſecundi mundi limes* ac μεσίτης, & *Adamus alter*, ut à *Theodoreto* adpellatur; qvi à Deo itidem *juſti* elogium obtinuit, *Gen.* VII. 1. & celebratur à Moſe, qvòd *juſtus* fuerit & *integer*: juſtus per fidem erga Deum, qvâ credidit promiſſioni de ſemine mulieris, ut rectè *B. Lutherus*, qvódqve *ambulârit cum Deo*, id eſt, eôdem interprete *cauſſam Dei egerit in publico*: qvod à Petro explicari cenſet; 2. Ep. II. 5. *Petrus*, inqvit, *pulchrè exponit, qvid ſit ambulare cum Deo, cùm vocat ipſum Noah præconem juſtitiæ, non humanæ, ſed Dei, hoc eſt, fidei in promiſſum ſemen.* Præclarè etiam Megalander pro θεοσδότῳ ſapientia ſua, promiſſionis Euangelicæ pactum, Noæh repetitum, eruit è *Geneſ.* VI. 18. *Et ſtatuam PACTUM MEUM TECUM. Qværitur autem apud interpretes*, ait in comment. p. 124. *qvale illud pactum fuerit? Ac Lyra explicat de promiſſione, qvòd eum ab impiis hominibus defendere velit, qvi minati erant ei mortem. Burgenſis dicit, pactum illud potiùs referendum ad pericula in aqvis depellenda. Alii putant ſignificari pactum iridis, qvod poſteà cum Noah Dominus icit. Sed meâ ſententiâ loqvitur de pacto ſpirituali, ſeu de*

pro-

promiſſione Seminis contrituri caput ſerpentis. Illud pactum habuerunt Gigantes, ſed cùm eô abuterentur ad ſuperbiam & impietatem, exciderunt ab eo. Sicut anteà Judæi, dum de Deo, lege, cultu, templo carnaliter præſumunt, ea dona amittunt, & pereunt. Ipſi autem Noah hoc pactum confirmat Deus, ut certò ſtatuat, Chriſtum ex ſua poſteritate naſciturum, & Deum in tanta ira relicturum eſſe ſeminarium Eccleſiæ. Hoc pactum igitur non ſolum includit defenſionem corporalem, de qva Lyra & Burgenſis rixantur, ſed æternam qvoqve vitam Graviter imprimis emphaſin vocis TECUM urget B. Lutherus, qvòd ſolum Noam nominârit, & ad ejus, ceu alterius mundi Parentis, perſonam, originem Meſſiæ adſtrinxerit. *Diſertè autem dixit TECUM, non filios, non uxores nominat, qvos tamen etiam erat ſervaturus, ſed ſolum Noah nominat, à qvo promiſſio hæc in filium Sem derivata eſt. Eſt igitur hæc SECUNDA promiſſio de Chriſto, qvæ omnibus aliis Adæ poſteris eripitur, & uni Noah aſſignatur. Poſteà hæc promiſſio ſubinde clarior facta eſt, proceſſit enim qvaſi de genere ad ſpeciem, & deinde à ſpecie ad individuum. A toto enim Abraham in ſolum Davidem propagata eſt; à Davide in Nathan; à Nathan uſqve ad unam Virginem, (qvæ tamqvàm emortuus truncus, ſeu radix Jeſſe fuit) Mariam, in qva promiſſio ſeu pactum hoc finitum & impletum eſt. Hæc pacti ſanctio maximè fuit neceſſaria, impendente incredibili & inæſtimabili irâ Dei.* Hæc B. Lutherus.

XLVII. Qvalis autem fuerit fides, qvale præconium Noæh, ipſe Spiritus Dei explicat. Fidem ipſius inſignibus mactat elogiis *Ebr.* XI. 7. qvòd *per eam Deum honorârit religiosè, crediderit verbo ejus ad ſalutem Domus ſuæ, fidem adhibens Deo, cùm mandatum acciperet divinum* περὶ τῶν μηδέπω

 βλε-

βλεπομένων *de iis, qvæ nondum videbantur: qvódqve per eamdem mundum incredulum condemnârit* (uti incredulitas cauſſa eſt condemnationis, & ſpeciatim qvidem ea, qvòd mundus non credat in nomen unigeniti Filii Dei, qvæ cauſſa condemnationis catholica eſt & univerſalis omnium temporum atqve hominum, Chriſtô teſte, Joh. III. 18.) ac deniqve *qvòd per eamdem* κληρονόμος *hæres factus ſit* τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης *juſtitiæ illius, qvæ eſt per fidem*, qvam nullam aliam novit Scriptura, aut Eccleſia Orthodoxa, cum libris, fidei ſuæ interpretibus, Symbolicis, qvàm *juſtitiam Filii Dei activam & paſſivam*, qva ſolâ hæreditatem vitæ æternæ conſeqvimur, nec ullam aliam noviſſe poteſt aut debet Calixtus, niſi apertè à fide Apoſtolica Eccleſiarum noſtrarum ad ἀπιστίαν *Socinianam* deficere velit. Qvæ *juſtitia Dei eſt ſine lege manifeſtata*, μαρτυρουμένη, *teſtimoniô comprobata*, ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν AB IPSA LEGE in ſcriptis Moſaicis & *Prophetis*, *juſtitia* nempe *Dei per fidem Jeſu Chriſti* IN OMNES, *&* SUPER OMNES CREDENTES, *non enim hìc eſt differentia* (Veteris aut N. T. mundi ante, aut poſt diluvium,) ſed ut OMNES *peccârunt & indigent gloriâ* DEI, ita qvicumqve juſtificantur, *gratìs per ipſius gratiam*, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, *per redemptionem* λύτρῳ *ſangvinis factam, in Chriſto Jeſu, qvem ſolum Deus omnibus propoſuit* ἱλαστήριον, *placamentum* PER FIDEM IN SANGVINE IPSIUS, juſtificantur; ut diſertiſſimè tradit Apoſtolus, *Roman.* III. 21. 22. 23. 24. 25. Qvam verò juſtitiam fidei non clam habuit aut occultavit Noah, ſed publicè prædicavit, ideò celebratur ut κήρυξ δικαιοσύνης *præco juſtitiæ*. 2. Pet. II. 5. ejus

ſc.

ſc. *juſtitiæ*, qvam reprobant *Pſeudo-Prophetæ & falſi doctores, abnegantes herum, qvi ipſos ſangvine ſuô mercatus eſt*, v. 1. ob qvam neglectam, *veráqve fide*, cùm prædicaretur à Noah, *non adprehenſam*, Deus non pepercit ἀρχαίῳ κόσμῳ *mundo originali*, teſte eôdem Petrô, hôc ipſo verſu 5. qvam qvi agnoverant fidéqve ſuſceperant, admonentur, *ne à via juſtitiæ ſeſe abduci* per prædictos falſos Doctores *patiantur v.* 21. Hæc eſt *juſtitia illa fidei, qvâ Abraham juſtificatus & hæres mundi factus*, *Rom.* IV. 13. *qvæ imputata ipſi eſt ad juſtitiam v.* 2. *cujus ſigillum ipſi fuit circumciſio*, verſ. 11. qvi in exemplum ſiſtitur juſtificationis omnium, qvicumqve umqvàm juſtificati ſunt, aut juſtificari volunt, ac Patris OMNIUM CREDENTIUM elogiô honoratur, qvod eâdem fide in Meſſiam juſtificati ſint, & juſtificentur omnes, juſtitiâ Meſſiæ fide adprehensâ, qvam Deus *imputat in juſtitiam v.* 11. 22. *fide* nempe *in Dominum noſtrum Jeſum*, *qvi tradi debuit propter peccata noſtra, & reſuſcitari propter juſtitiam noſtram*, qvemadmodùm ita v. 24. 25. primarium fidei objectum deſignatur.

XLIIX. Qvibus accedit qvoqve *ſacrificium Noæh*, utpote qvi diluviô ceſſante ex arca egreſſus, *altare ædificavit Domino, & ex omni jumento mundo, & ex omni volatili mundo obtulit ſacrificia in altari illo*, עלת *holacauſta:* Gen. IIX. 20. Hiſce enim Sacrificiis fidem ſuam in Meſſiam, ceu unicum ſacrificium propitiatorium, teſtatus eſt, cujus paſſio hoc ſacrificiorum icone adumbrabatur, qvæ proinde *viſibile qvoddam verbum* de paſſione Chriſti fuiſſe videntur, qvemadmodùm Sacramenta verbum ὁρατὸν nuncupari conſveverunt. Et qvum odoratus dicatur *Dominus odorem qvietis*, ſine dubio non tàm odorem iſtorum Sacrificiorum, qvæ offerebantur, qvam odorem *ſacrificii expiatorii Filii Dei*, qvod

non

non modò typicè figurabatur, ſed verâ fide adprehenſum Deo à Noah ſiſtebatur, qvod *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας* *Eph.* v. 2. pro mundo æqvè ante-diluviano, atqve poſtdiluviano Chriſtus obtulit, (qvô locô Apoſtolum ad hunc typum nos remittere *B. Gerhardo* viſum fuit, ſiqvidem in LXX. Interpretum verſione eadem verba adhibita ſint,) *odoratus eſt*, cujus unius virtuti accepto ferendum eſt fœdus, qvod non obſtante univerſali per peccatum originale mundi corruptione, Deus hic cum Noah pangit. Ideò dicitur *Deus ad cor ſuum dixiſſe, non addam ut maledicam terræ ultrà propter hominem*: Chaldæus interpretatus eſt, *dixit Dominus ad VERBUM ſuum* h. e. *ad Filium* promiſſum Meſſiam (qvem nomine מימרה freqventer deſignat Chaldæus, etiam illic, qvod obſervatu dignum eſt, ubi *Abrahami fides juſtificans* deſcribitur *Gen.* xv. 6. *Credidit Abraham in Verbum Domini, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*;) ut hæc ſit reſponſio Dei, per ſacrificium Filii placandi, qvod ipſi ſiſtebatur, Filio data, propter odorem qvietis, qvô unicè placatur, ut ab ira qvieſcat; qvem in hoc per fidem oblatô ſacrificiô odorabatur.

IL. Sed hæc perſeqvi jam non licet. Conſtare autem abundè ex his fidem Mundi ante-diluviani arbitror, qvòd non alia fuerit, qvàm qvâ nos etiam juſtificamur, *fides in Chriſtum*, *θεάνθρωπον*, *ejúſqve paſſionem ſatisfactoriam.* Qvod dum negat Calixtus cum Arminianis & Socinianis *redemptionis, juſtificationis, fideíqve juſtificantis* myſterium non poteſt non evertere: qvia *redemptionem* fingit creditam à veteribus *non-redemptionem*, qvia non credita redemptio ſangvine facta: *juſtificationem* veterum negat *juſtitiæ Chriſti imputationem* fuiſſe, (ut meri hominis juſtitia neqvaqvàm imputari poteſt; nec imputatur juſtitia Chriſti, niſi

qva

qvà creditur & fide adprehenditur;) adeóqve *juſtificationem* fingit *ſine juſtitia*, ſeu non juſtificationem: *fidémqve* ſine *notitia objecti proprii*, qvod adprehenſum, unicè non juſtificat & ſalvat, adeóqve *non fidem* comminiſcitur, imò *Meſſiam* fabricat ſine *redemptione vera*, (qvæ non poteſt ab homine proficiſci, neqve ſine ſangvinis fuſione fieri debuit) hoc eſt, *non-Meſſiam*: qvos errores, cardinem & fundamentum ſalutis planè evertentes, an adhuc cum parente ſuo ferre velit *Inclyta Julia*, ipſa viſura eſt. Subjungimus tantùm *antiqvitatis venerandæ*, qvam fruſtra ipſe crepare ſolet, de cujus ſuffragio tamen hac in cauſa tantùm non deſperat, unde Controverſiam hanc pro *ſecundaria*, *fundamentum fidei non concernente* non minùs ineptè, qvàm prodigioſè venditat, nec non *librorum Symbolicorum*, qvibus ſacrament jurisjurandi obſtrictus eſt, *teſtimonia*, ἀπιστίαν Calixtinam confundentia & convincentia.

L. *E primo ſeculo Polycarpus*, *Smyrnenſis Epiſcopus Johannis Euangeliſtæ diſcipulus* Martyr, Epiſt. ad Philippenſ. *Deum in judicio vivorum & mortuorum univerſali SANGVINEM Chriſti reqviſiturum* dicit ab eis, *qvi non crediderunt in Eum; utpote qvi ſuſtinuit pro peccatis uſqve ad mortem.* Itaqve etiam à veteribus, qvi pariter in die pantocritico judicandi ſunt, SANGVINEM Chriſti reqviret DEUS, qvi non in ipſum credidêre. Ideóqve monet: *omnes oportet adſtare ante tribunal Chriſti, & unumqvemqve pro ſe rationem reddere; ſic ergò ſerviamus ei cum timore, & omni reverentia ſecundum qvod mandârunt, qvi euangelizârunt nobis Apoſtoli Domini & PROPHETÆ, qvi prænunciârunt adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.* PROPHETAS ergo itidem, ut Apoſtolos, mandâſſe, ut δυλεία Chriſto exhibeatur ceu *Domino*,

cum

cum *timore & reverentia*, profeſſus eſt Polycarpus; adeóqve *Deitatem & paſſionem Chriſti* à Prophetis ac ſemper in Eccleſia prædicatam agnovit. *S. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus & Martyr*, qvi *per Magni Petri dextram Pontificatus gratiam*, dicente *Theodoretô*, Dial. 1. ſuſcepit, & *familiariter*, *juxta Chryſoſt. cum Apoſtolis verſatus*, *Spiritualibus fluentis perfruitus eſt*, Epiſt. ad Epheſ. in genere fideles deſcribit, *qvi liberati à Chriſto, fundati ſunt ſuper petram, ab ipſo tamqvàm lapides erecti, apti ad ædificium Dei Patris, elevati in altum ab ipſo Chriſto, qvi pro nobis crucifixus eſt, confortati Spiritu Sanctô, in fide introducti & dilectione elevati à terra, ad cælum ambulantes.* Et ne cenſeatur tantùm de fidelibus N. T. loqvi, addit è. V. T. *Pſ.* CXIX. 1. *Beati enim*, inqvit, *immaculati in via, qvi ambulant in lege Domini; via enim ſine errore Chriſtus Jeſus, ſicut ipſe ait, Ego ſum Via, veritas & vita; deducit autem hæc via ad Patrem. Nemo enim, inqvit, venit ad Patrem, niſi per me.* Qvæ purè Catholica via eſt omnium temporum: nulla enim alia umqvàm fuit via. Specialiùs de *Prophetis* agit Epiſt. ad Magneſ. eóſqve & ipſos Chriſtianos fuiſſe, & manifeſtâſſe aliis Deum & Filium ipſius, ut converterentur ad Chriſtum, & per ipſum viverent, docet: refellens eos, qvi circumciſionem & legem urgebant, ceu neceſſariam ad ſalutem, hoc eſt, Juliani noſtri anteceſſores. *Si enim*, inqvit p. m. 56. edition. Uſſerian. „ nunc uſqve ſe-„ cundum legem Judaicam & circumciſionem „ carnis vivamus, negamus nos gratiam accepiſſe. „ Sancti enim Prophetæ, (ſub qvibus etiam Moſen, & Patriarchas comprehendi, ſubſeqventia do-„ cent,) SECUNDUM JESUM CHRISTUM „ vixerunt, & ea propter perſeqvutionem paſſi ſunt,

„ ſunt, INSPIRATI gratiâ εἰς τὸ πληροφορηθῆναι
„ ad manifeſtationem, *vel potiùs*, ad certos red-
„ dendos & ad fidem producendos incredulos.
Qva verò de re certi reddendi? Qvia unus eſt
„ Deus omnipotens, qvi manifeſtavit ſeipſum per
„ Jeſum Chriſtum, Filium ſuum, qvi eſt verbum
„ ipſius non prolatitium, ſed ſubſtantiale in o-
„ mnibus benè placens ſubſtitutori, (ei qvi mittit
„ ipſum.) Si ergò EX ANTIQVIS SCRIPTU-
„ RIS converſi in novitatem ſpei, (εἰς καινότητα ἐλ-
„ πίδος *malè redditur*, in vacuam ſpem,) vene-
„ runt exſpectantes Chriſtum, (ſicuti ipſe Do-
„ minus docet, ſi crederetis Moſi, utiqve & mi-
„ hi, de me enim ille ſcripſit. Nam & Abra-
„ ham, inqvit, Pater veſter exultavit, ut videret
„ diem meum, & vidit & gaviſus eſt, ante A-
„ braham enim ego ſum) qvomodo Nos poteri-
„ mus vivere ſine ipſo; cui & PROPHETÆ ſer-
„ vi fuerunt, ſpiritu prævidentes eum & tamqvàm
„ magiſtrum exſpectabant, & ſperabant εἰς κύριον,
„ καὶ σωτῆρα, ut DOMINUM, & SALVATO-
„ REM, dicentes ipſe veniet, & ſalvabit nos,
(Eſ. xxxv. 4.) *Qvod de uno illo vero Deo loqvi
certum eſt. Atqve hinc rectè ait:* Non enim
„ Chriſtianitas in Judaiſmum credidit; ſed Judaiſ-
„ mus in Chriſtianiſmum (*qvia prior fuit Chriſtia-
„ niſmus.*) Unus enim eſt Chriſtus, in qvem o-
„ mnes gentes crediderunt, & omnis lingva Chri-
„ ſtum confeſſa ad Dominum collecta eſt, & fa-
„ cti ſunt lapidei corde filii, amici Dei Abrahæ,
„ & in ſemine ejus benedicti ſunt omnes, qvi in
„ vitam æternam deputati ſunt in Chriſto: Qvæ
ad Vet. etiam Teſt. tempora pertinere, manife-
ſtum eſt; qvum & in illo fuerint ad vitam æter-
nam deputati in Chriſto. In Epiſt. ad Philadelph.
in Append. Ignatiana *Jacobi Uſſerii Armachani*, ut
&

& in Epiſtolis genuinis *Iſaaci Voſſii* iſta leguntur :
„ Sed & Prophetas diligamus, propterea qvòd &
„ ipſi EUANGELIUM annunciârint, & in Chri-
„ ſtum ſperaverint, & ipſum exſpectârint, in qvo
„ & credentes ſalvati ſunt, in UNITATE Jeſu
„ Chriſti, exiſtentes digni, qvi amentur à nobis,
„ & admirationi nobis ſunt, à Jeſu Chriſto teſti-
„ monium adepti, & annumerati in Euangelio
„ communionis Spei. --- Si autem utriqve de Je-
„ ſu Chriſto non loqvantur, iſti mihi columnæ ſe-
„ pulchrales & mortuorum ſunt monumenta, qvibus
„ hominum nomina duntaxat inſcripta ſunt. Proponit dubium aliqvod de Euangelio : utrum id ſcriptum ſit in antiqvis ſcriptis V. T. *Audivi qvoſdam dicentes; Niſi in antiqvis*, ἐν ἀρχαίοις, ut legit Voſſius, *invenero Euangelium non credo. Et dicente me ipſis* ὅτι γέγραπται *qvòd SCRIPTUM SIT*, ſc. in antiqvis Scripturis : *reſponderunt mihi* ὅτι πρόκειται, *qvod præjacet. Mihi verò pro archivis* (vel ἀρχαίοις *antiqvis*) *eſt Jeſus Chriſtus; illibata, antiqvitas CRUX ejus, Mors & Reſurrectio ejus, & fides, qvæ per ipſum, qvibus JUSTIFICARI cupio per precationes veſtras:* τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα *inapproximabilia principia crux ipſius & mors*, habet Voſſiana editio. Additur autem ibi porrò : *Boni qvidem ſunt Sacerdotes, præſtantior autem eſt ſummus Pontifex, cui credita ſunt ſancta ſanctorum; cui ſoli ſecreta Dei ſunt credita : qvi ipſe eſt janua Patris, per qvam ingrediuntur Abraham, Iſaac & Jacob, & Prophetæ & Apoſtoli & Eccleſia* (utriusqve Teſtam.) *omnia hæc ad unitatem Dei ſpectant. Eximium autem qviddam habet Euangelium, nimirum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, paſſionem ipſius & reſurrectionem. Dilecti námqve Prophetæ annunciârunt de ipſo : Euangelium verò perfectæ eſt incorruptionis : omnia in univerſum bona ſunt: modò in charitate CREDIDERIS.* Non ait

ὃ

τὸ ἐξαίρετον, qvod habent Euangeliſtæ, eſſe *Deitatem Chriſti*, aut *ſatisfactionem* vel *redemptionem, ſangvine ejus factam*: minimè: hæc in antiqvis ſcripturis potiùs inveniri aſſerit: ſolum præ illis ſingularia habere Euangelium, *adventum & paſſionem ac reſurrectionem actualem*, à Prophetis prænunciatam. In aliis editionibus adhuc pleniùs illa leguntur. „ Ipſe eſt via, qvæ ducit ad Patrem, „ ipſéqve petra, maceria, clavis, paſtor, ſacer„ dotium, janua ſcientiæ & agnitionis; per qvam „ introiit Abraham & Iſaac & Jacob, Moſes qvo„ qve & omnis chorus Prophetarum, & columnæ „ mundi, Apoſtoli, & ſponſa Domini Eccleſia, „ pro qva ſangvinem ſuum fudit, ut eam redi„ meret. Omnia igitur hæc in unitate unius, & „ unici veri Dei. Qvid autem præcipuum habet „ Euangelium? Præſentiam adventus Salvatoris „ noſtri Jeſu Chriſti, paſſionem, ſed & ipſam re„ ſurrectionem. Qvæ enim Prophetæ annunciave„ runt, dicentes: donec veniat, cui repoſitum eſt, „ & ipſe erit expectatio gentium: hæc in Euan„ gelio completa ſunt, dicente Dominô; Pergite „ & docete omnes gentes, baptizantes eos in no„ mine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Omnia „ ergo ſimul bona ſunt: Lex, Prophetæ, Apoſto„ li, omnis congregatio, qvæ per ipſos credidit. Nihil ergò præcipuum habet Euangelium creditu neceſſarium, præter adventum, paſſionem & reſurrectionem actu completam; qvæ olim prædicta.

LII. E Secundo *ſeculo Juſtinus Martyr*, Deitatem Chriſti in ſcripturis V. T. & Moſaicis clarè traditam teſtatur, ut explicatione opus non ſit, ſed audientiâ ſolùm, Dialogô cum Tryph. p. m. 213. *Advertite igitur ad ea, qvæ ex S. Scripturis commemorabo, & non explicatione aliqvâ, ſed au-*

 dien-

dientiâ duntaxat opus habent. Moſes, beatus & fidelis miniſter Dei, indicat viſum eſſe ab Abrahamo ad ſaltum Mambræ Deum cum eis, qvi ſecum fuêre duobus angelis, ad Sodomam miſſis &c. Et cùm è Scripturis demonſtrationem ſuam inſtituit, p. 215. „ Ad Scripturas rediens, inqvit, perſvadere vo„ bis conabor, iſtum, qvi Abraæ & Jacobo & „ Moſi adparuit, Deúsqve eſſe dictus & ſcriptus „ eſt, alium ab eo eſſe, qvi cuncta creavit, Deo: „ numerô dico, non animi conceptione. Unde ita concludit diſputationem ſuam: Etiam nunc non „ intellexiſtis, amici, unum ex tribus & Deum & „ Dominum ei, qvi in cælo eſt, adminiſtrare, „ Dominum duorum angelorum. Progredienti„ bus enim illis ad Sodomam, ipſe relictus cum „ Abrahamo, ea colloqvutus eſt, qvæ deſcripta „ ſunt à Moſe. Qvô & ipſo poſt colloqvium rece„ dente, Abraham in locum ſuum eſt reverſus. Eô„ qve ad Sodomam adveniente, jam non duo An„ geli verba cum Lotho conferunt, ſed ipſe: pro „ eo atqve verbum indicat; atqve is Dominus eſt, „ qvi à Domino in cælo, hoc eſt, univerſorum „ parente, accepit, ut hæc inferret Sodomitis & „ Gomorræis, qvæ verbum recenſet, ſic inqviens: „ Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorram „ ſulphur & ignem à Domino de cælo. Cujus demonſtrationis vim, qvam agnoſcere non vult Calixtus, Trypho Judæus agnovit, ut ibi habetur. *Et Trypho, me tacente; inſit, qvod qvidem Scriptura hæc nos* FATERI COGAT, *ſatis apparet.* Cujusmodi plura è Juſtino proferri poſſent, & producta ſunt aliàs. Qvænam Prophetæ prædixerint, aut tradiderint de Chriſto, hiſce exponit Juſtinus, Apol. II. pro Chriſtianis, longè profectò aliter, qvàm Calixtus. „ Porrò in ejusmodi Propheta-

rum

„rum libris, & vaticiniis pronunciatum inveni-
„mus, adventurum fuiſſe, qvi ex virgine natus
„& civilem ætatem ingreſſus, omnem morbum
„& ægritudinem curaret, ac mortuos excitaret;
„odiiſqve expetitus & ignobilis, & cruci affixus,
„& mortuus, reſurgeret, ut in cælos aſcenderet.
„Filiúſqve Dei & eſſet, & nominaretur, JESUM
„CHRISTUM noſtrum: & qvoſdam etiam fu-
„turos, qvi ad omne genus mortalium ab eo le-
„gati, iſta prædicarent, atqve ex gentibus homi-
„nes magis illi (qvàm Judæos) credituros eſſe.
Ac ne Moſen hic excipiat Calixtus primum Pro-
phetarum, ex illius ſcriptis *paſſionem Filii Dei* de-
monſtrat; è Gen. XLIX. II. *Námqve verbum*, lavans
in ſangvine uvæ ſtolam ſuam: „paſſionem ejus,
„qvam ſubiturus erat, prænunciavit; per ſangvi-
„nem luſtrans atqve purificans ſibi credentes. Qvæ
„enim à divino Spiritu per Prophetam dicta eſt
„ſtola, fideles ejus ſunt, in qvibus, qvod à Deo
„eſt ſemen, verbum habitat. Qvod verò ſangvis
„uvæ dicitur, ſignificat, eum, qvi adparituřus
„fuerat, ſangvinem qvidem habiturum, ſed ex
„virtute divina. Princeps autem virtus ſecundum
„parentem & Dominum univerſorum Deum, Fi-
„lius, & verbum eſt: qvod qvomodo per incar-
„nationem Homo ſit factum, deinceps dicemus.
„Sicut enim vitis ſangvinem non homo, ſed
„Deus fecit: ſic & hoc ipſum indicatum eſt,
„non ex humano ſemine viri habiturum ſangvi-
„nem, ſed ex virtute Dei. *Et paullò pòſt*: Spi-
„ritum autem & virtutem, qvæ à Deo eſt, non
„aliud intelligere fas eſt, qvàm Verbum, qvod
„& primogenitum Deo eſſe, Moſes, qvem ſupra
„diximus, Propheta oſtendit. Hic in terminis
de Moſe affirmat Juſtinus, qvod de ipſo negat
Calixtus. Porro, diſertè traditam *Deitatem &*

paſſionem Chriſti, etiam ipſos Judæos fateri cogi; aſſerit Dial. cùm Tryph. p. 229. *Qvas autem eis proferimus ſcripturas, diſertis verbis CHRISTUM & perpeſſionibus obnoxium, & adorandum, & Deum eſſe oſtendentes, & ſuprà vobis recitatas: eas in* CHRISTUM *qvidem conceptas eſſe, neceſſitate adducti conſentiunt.* Unde omnes per Chriſtum crucifixum ſalvari concludit, ídqve è Moſe eruit, & *per parem cum Abrahamo fidem nos ſalutem adipiſci* docet eôdem Dial. p. 272. Unà cum Abra- „hamo jure hæreditariô accipiemus terram ſan- „ctam, hæreditatem cernentes in ævum infinitum; „qvippe qvi liberi Abrahæ propter parem fidem „ſumus. Qvô námqve modô ille voci Dei credi- „dit, & reputatum eſt ei ad juſtitiam; eôdem „modô & nos voci Dei, qvâ per Apoſtolos Chri- „ſti denuo promulgata, qvâ per Prophetas olim „nobis annunciata, credentes, ad mortem uſqve „rebus mundanis omnibus renunciavimus. Itaqve „illi promiſſum eſt, ejuſdem fidei ergà Deum, „religionis & juſtitiæ gentem lætitiâ affecturam „eſſe patrem; & non vos, in qvibus non eſt fides „in ipſis. Qvænam autem fides illa, & qvæ ſumma ejus ſit, præclarè expoſuit Epiſtolâ ad Diognetum, p. 138. „Deus præ immenſo, qvô homines „proſeqvitur, amore nos odio non habuit, neqve „rejecit, neqve improbitatis noſtræ memorem ſe „oſtendit, ſed proprium ipſe Filium pretium re- „demptionis pro nobis dedit, ſanctum pro iis, „qvi legem transgreſſi erant, nihil minùs qvàm „malum pro malis: juſtum pro injuſtis, corru- „ptionis neſcium pro obnoxiis corruptioni, im- „mortalem pro mortalibus. Qvid enim aliud pec- „cata noſtra potuit tegere, qvam ejus juſtitia? In „qvo alio nos iniqvi & impii pro juſtis haberi poſ- „ſumus, qvàm in ſolo Dei Filio? O dulcem per-

mu-

„ mutationem ; o imperveſtigabile artificium ; ô „ beneficia, exſpectationem omnem ſuperantia, ut „ iniqvitas qvidem multorum in juſto uno abſcon- „ datur, juſtitia autem unius faciat, ut multi in- „ juſti pro juſtis habeantur! Deniqve de Patriarchis primævis idem tradidit ſpecialiter, Dial. cum Tryph. p. 204. „ Per Chriſtum hunc in re- „ ſurrectione, perinde atqve majores eorum homi- „ nes juſti, Enoch, & Noë, & Job, & ſi qvi a- „ lii exſtitêre, unà cum eis, qvi CHRISTUM „ Dei filium cognoverunt, ſalvabuntur, qvi & „ ante luciferum & ante lunam fuit: & ex virgine „ iſta generis Davidici caro factus, naſci ſuſtinuit: „ ut per œconomiam functionémqve ejuſmodi is, „ qvi à principio malignè egit ſerpens, & exæqva- „ ti ei Angeli, debellarentur & mors contemne- retur. Atqve hæc etiam Juſtinus.

LII. *Penes S. Irenæum, Lugdunenſem Epiſcopum* plurima occurrunt Calixtinam novitatem reprimentia. E multis pauca annotamus: *Moſi & Prophetis obedientes credere debere in eum, qvem ipſi prædicârunt Dei Filium* c. IV. docet, *qvi reſurrexit à mortuis & vitam donat: in qvem credunt multi, qvi & Moſen & Prophetas audiunt, prædicantes adventum Filii Dei:* diſertis verbis bis aſſerens *Moſen* & Prophetas adventum Filii Dei prædicâſſe. Et c. XI. XII. XIII. „ Ipſe igitur Chriſtus cum Patre vi- „ vorum eſt Deus, qvi & locutus eſt Moſi, qvi „ & PATRIBUS (*Patriarchis*) manifeſtatus. Et „ hoc ipſum docens, dicebat Judæis; Abraham „ pater veſter exultavit, ut videret diem meum, „ & vidit, & gaviſus eſt. --- Juſtè igitur relinqvens „ terrenam cognationem omnem, ſeqvebatur VERBUM DEI, (de hypoſtatico verbo loqvitur,) „ cum VERBO perigrinans, ut cum VERBO „ moraretur. Juſtè autem & Apoſtoli, ex A-

„ braham genus habentes, derelinqventes navicu-
„ lam & patrem, ſeqvebantur verbum Dei. Ju-
„ ſtè autem & nos eamdem fidem accipientes,
„ qvam habuit Abraham, tollentes crucem,
„ qvemadmodùm ligna Iſaac, ſeqvimur eum. In
„ Abraham enim prædidicerat, & aſſvetus fue-
„ rat homo ſeqvi verbum Dei. Etenim Abra-
„ ham pronô animô unigenitum & dilectum fi-
„ lium ſuum conceſſit ſacrificium Deo, ut &
„ Deus beneplacitum habeat, pro univerſo ſe-
„ mine ejus dilectum & unigenitum filium ſuum
„ præſtare ſacrificium in noſtram redemptionem.
„ Propheta ergo cùm eſſet Abraham, & videret
„ in ſpiritu diem adventus Domini & paſſionis,
„ per qvem ipſe qvoqve & OMNES, qvi ſimi-
„ liter, ut ipſe credit, credunt Deo, ſalvari in-
„ ciperent, exultavit vehementer. Non INCO-
„ GNITUS igitur erat DOMINUS Abrahæ,
„ cujus diem concupivit videre, ſed neqve pater
„ Domini, didicerat enim à verbo Domini, &
„ credidit ei. Qvapropter & deputatum eſt ei
„ ad juſtitiam à Domino Fides, qvæ ad Deum
„ juſtificat hominem, & propter hoc dicebat, ex-
„ tendam manum meam ad Deum altiſſimum,
„ qvi conſtituit cælum & terram. Hæc autem
„ omnia conantur evertere illi, qvi ſunt MALÆ
„ ſententiæ, ob unum dictum, qvod qvidem a-
„ pud eos non bene intellectum eſt. Nihil cla-
rius adverſùs Calixtum & complices dici poterat.
Sed refellit etiam S. Irenæus ſimilem Calixti hære-
ſin, c. XIV. *Hi autem, qvi PERITIORES Apoſtolis
volunt eſſe, ſic dicebant: Nemo cognovit Patrem niſi
filius, nec filium niſi Pater, & cui voluerit filius re-
velare, & interpretantur, qvaſi à nullo cognitus ſit
verus Deus ANTE Domini adventum, & eum Deum,
qvi à Prophetis ſit annunciatus, dicunt non eſſe Pa-
trem*

trem Chriſti. Si autem Chriſtus tunc inchoavit eſſe, qvando & ſecundum hominem adventum ſuum egit, & à temporibus Tyberii Cæſaris commemoratus eſt Pater providere hominibus, & non ſemper Verbum ejus unà cum plaſmate fuiſſe oſtendebatur, nec tunc qvidem oportuit alterum Deum annunciari, ſed cauſſas tantæ incuriæ & negligentiæ ejus inqviri. Nullam enim oportet qvæſtionem talem eſſe, & tantum invaleſcere, ut & Deum qvidem mutet, & eam, qvæ eſt erga fabricatorem, (qvi nos alit ſuam conditionem,) fidem noſtram evacuet. Sicut in filium fidem noſtram dirigimus, ſic & in Patrem dilectionem firmam & immobilem habere debemus. Et ſub finem capitis: *Nemo cognoſcit filium niſi Pater, neqve Patrem niſi filius, & qvibuscúmqve Filius revelaverit. Revelaverit enim, non ſolum in futurum dictum eſt, qvaſi tunc inciperet Verbum manifeſtare Patrem, cùm de Maria natus, ſed communiter per totum tempus poſitum eſt. Ab* INITIO *enim adſiſtens Filius ſuo plaſmati, revelat* OMNIBUS *Patrem, qvibus vult, & qvando vult, & qvemadmodùm vult Pater, & propter hoc in omnibus, & per omnia unus Deus Pater, & unum verbum, & unus Filius, & unus Spiritus, & una fides, & ſalus omnibus credentibus in eum.* Qvid evidentius, qvàm aſſeruiſſe Irenæum, Deum PATREM, FILIUMQVE ante adventum Domini à Prophetis annunciatum cognitúmqve, imò ab INITIO revelatum fuiſſe, UNAMQUE ab INITIO fuiſſe in Deum Patrem unum, & unum Filium, & verbum, & unum S. S. fidem? Addit illicò c. xv. *Et Abraham ergo à Verbo cognoſcens Patrem, qvi fecit cælum & terram, hunc Deum confitebatur: & doctus repræſentatione, qvòd inter homines homo futurus eſſet Filius Dei, & per cujus adventum ſemen ejus erat futurum qvaſi ſtellæ cæli, concupivit eam diem videre, uti & ipſe complecteretur Chriſtum: & per Spiritum Prophetiæ eam vi-*

videns, exultavit. Idqve è Moſe prolixiùs, Chriſtô præeunte, docet, qvomodo Filii Deitatem, adventum & paſſionem prædicârit c.XXIII. „Benè igitur & Johannes meminit dicentem Deum „Judæis; Scrutamini ſcripturas, in qvibus putatis „vos vitam æternam habere, illa ſunt, qvæ teſti„monium perhibent de me, & non vultis venire „ad me, ut vitam habeatis. Qvomodo igitur te„ſtabuntur de eo Scripturæ, niſi ab uno, & eo„dem eſſent Patre, præſtruentes homines de ad„ventu Filii ejus, & prænunciantes ſalutem, qvæ „eſt ab eo? Si enim crederetis Moyſi, crederetis „& mihi; de me enim ille ſcripſit; ſcilicet qvod „inſeminatus eſt ubiqve in ſcripturis ejus filius Dei, „aliqvando qvidem cum Abraham loqvens, ali„qvando cum eodem comeſurus, aliqvando autem „Sodomitis inducens judicium: & rurſus, cùm „videtur, & in viam dirigit Jacob, & de rubo „loqvitur cum Moſe. Et non eſt NUMERUM „DICERE, in qvibus à Moſe oſtenditur Filius „Dei, cujus & diem paſſionis non ignoravit, ſed „figuratim prænunciavit eum, Paſcha nominans, „& in eadem ipſa, qvæ ante tantum temporis à „Moſe prædicata eſt, paſſus eſt Dominus adimplens „paſcha. *Et* c. XXIV. Qvoniam autem non ſolùm „Prophetæ, & JUSTI multi PRÆSCIENTES „per Spiritum ejus, oraverunt in illud tempus ve„nire, in qvo facie ad faciem viderent DOMI„NUM SUUM, & ſermones audirent ejus, Do„minus fecit manifeſtum, dicens diſcipulis: Mul„ti Prophetæ & juſti cupiêrunt videre, qvæ vide„tis, & non viderunt, & audire, qvæ auditis, & „non audiêrunt. Qvemadmodùm igitur concu„piêrunt & audire & videre, niſi præſcîſſent fu„turum ejus adventum? Qvomodò autem præſci„re potuerunt, niſi ab ipſo præſcientiam antè ac-

„ cepiſſent? Qvomodo autem Scripturæ teſtificantur de eo, niſi ab uno & eodem Deo omnia „SEMPER per verbum revelata & oſtenſa fuiſſent credentibus, aliqvando qvidem colloqvente eô cum ſuo plaſmate, aliqvando autem dante „legem, aliqvando verò exprobrante, aliqvando „verò exhortante, ac deinceps liberante ſervum „ſuum & adoptante in filium, & aptô tempore „incorruptibilem hæreditatem præſtante. Agnoſcit, opinor, Calixtus ſuam ſententiam apertè S. Irenæo confutatam, ac contrà noſtram ſolidè aſſertam. Sed addamus adhuc ſimilem locum è c. XXXVII. non minùs clarum. *Nemo inveſtigavit altitudinem Dei, nec VETERUM, nec eorum, qvi nunc ſunt. Secundum autem dilectionem cognoſcitur ſemper per eum, per qvem conſtituit omnia. Eſt autem ejus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qvi in noviſſimis temporibus homo in hominibus factus eſt, ut finem conjungeret principio, id eſt, hominem Deo. Et propterea Prophetæ, ab eodem Verbo propheticum accipientes chariſma, prædicaverunt ejus ſecundum carnem adventum, per qvem commixtio & communio* DEI *& hominis ſecundum placitum Patris facta eſt, AB INITIO pronunciante VERBO Dei.* Qvid verò pronunciavit ab INITIO? *Qvoniam VIDEBATUR Deus ab hominibus & converſabatur cum eis ſuper terram, & colloqveretur & adfuturus eſſet, id eſt, ab univerſo ſuo plaſmate, SALVANS illud & parcibilis ab eo, & liberans nos de manibus omnium odientium nos transgreſſionis ſpiritu, & faciens nos ſervire ſibi in ſanctitate & juſtitia omnes dies noſtros, uti complexus homo ſpiritum Dei, in gloriam cedat Patris. Hæc prophetice ſignificabant Prophetæ.* Applicat etiam huc S. Irenæus verba Chriſti: *Et ego præmiſi vos metere, qvod vos non laborâſtis, alii laborârunt, & vos in eorum labores introiiſtis* c. XL. *Nam manifeſtum*

feſtum eſt, qvia PATRIARCHÆ & Prophetæ, qvi etiam præfiguraverunt NOSTRAM FIDEM, & diſſeminaverunt in terram adventum Filii Dei, qvis & qvalis erit, uti, qvi poſteriores erant futuri homines, habentes timorem Dei, facilè ſuſceperunt adventum Chriſti, inſtructi à Prophetis. Qvod exemplô Eunuchi probat: *cui facilè perſvaſit Philippus credere, eum eſſe Chriſtum Jeſum, qvi ſub Pontio Pilato crucifixus eſt, & paſſus eſt, qvæcumqve prædixit Propheta, eúmqve eſſe Filium Dei, qvi æternam vitam hominibus dat. Et ſtatim ut baptizavit eum, abſceſſit ab eo. Nihil enim aliud deerat ei, qvi à Prophetis fuerat præcatechizatus, non Deum Patrem, non converſationis diſpoſitionem, ſed ſolum adventum ignorabat Filii Dei, qvem cùm breviter cognoviſſet, agebat iter gaudens, præco futurus in Æthiopia Chriſti adventus. Qvapropter non multum laboravit circa eum Philippus, qvia erat in timore Dei præparatus à Prophetis.* Oportet ergo id, qvòd Chriſtus ſit Dei Filius, qvódqve pati debuerit, ut æternam vitam nobis conciliaret, ſcriptis Propheticis ita traditum fuiſſe, ut hinc etiam Laici, qvalis Eunuchus erat, cognoſcere potuerint: qvemadmodùm nihil aliud in ſalutari cognitione ipſi defuiſſe ait Ireneus, qvàm qvòd *ſolum adventum ignorârit Filii Dei*: qvòd nempe Filius Dei jam actu in mundum venerit; De cetero PRÆCATECHISATUS de Deo, & converſationis diſpoſitione (myſterio redemptionis, vel οἰκονομίας,) & PRÆAPTATUS jam à Prophetis. Qvod ipſum etiam de illis, qvi concione Petrinâ converſi ſunt, & de aliis Judæis, per Apoſtolos converſis aſſerit. *Propter hoc & Apoſtoli oves colligentes, quæ perierant, domus Iſraël, de ſcripturis alloqventes eos, oſtendebant, Jeſum crucifixum hunc eſſe Filium Dei vivi, & magnam multitudinem ſvadebant, qvæ tamen*

men habebat timorem ad Deum; & unâ die baptizati ſunt hominum tria millia, & qvatuor & qvinqve. Objectionem etiam adverſus hanc ſolidiſſimam doctrinam ſolidè diluit c. LXVII. *Si autem ſubit Vos hujuſmodi ſenſus, ut dicatis: Qvid igitur novi Dominus attulit veniens? cognoſcite, qvoniam omnem novitatem attulit, ſemetipſum afferens, qvi fuerat annunciatus. Hoc enim ipſum prædicabatur, qvoniam novitas veniet innovatura, & vivificatura hominem. Regis enim adventus ab his qvidem, qvi mittuntur, ſervis prænunciatur propter adparatum & expeditionem eorum, qvi incipient ſuſcipere ſuum Dominum. Cùm autem venit Rex, & illi prænunciatô gaudiô adimpleti ſunt, qvi ſunt ſubjecti, & perceperunt eam, qvæ eſt ab eo, libertatem,* & *participant viſionem ejus, & audiêrunt ſermones ejus, & fruituri ſunt muneribus ab eo, non jam reqviretur, qvid novi attulit Rex ſuper eos, qvi annunciaverunt adventum ejus, apud eos videlicet, qvi ſenſum habent? Semetipſum enim attulit, & ea, qvæ prædicta ſunt bona, in qvæ concupiſcebant angeli intendere, & donavit hominibus. Tunc autem fuiſſent ſervi mendaces & non à Domino miſſi; ſi non Chriſtus adveniens TALIS, QVALIS & prædicabatur, adimplêſſet eorum ſermonem.* Hactenus Ireneus, profligans penitus Arminiana Calixti placita, aſſerénſqve diſertiſſimè Filii Dei Deitatem & paſſionem in V. T. à Prophetis traditam & à fidelibus iſtius temporis communiter creditam. Qvod dogma S. Ireneus, ut ſubſtantialem fidei articulum tam ſedulò propugnavit, qvemadmodùm id etiam *Regulæ fidei, qvam Eccleſiam, per univerſum orbem uſqve ad fines terræ diſſeminatam, ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum, accepiſſe,* (fuit enim ipſe Polycarpi, Apoſtolorum diſcipuli, auditor,) *& diligenter cuſtodire* teſtatur lib. I. c. II. & III. incluſum fuit:

fuit: qvòd *nempe Eccleſia crediderit, S. S. per PROPHETAS prædicâſſe diſpoſitiones Dei & adventum, & eam, qvæ eſt ex virgine, generationem & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne adſcenſionem &c.* Qvæ dum jam prædicata à Prophetis negat Calixtus, qvid evidentius, qvàm qvòd ipſe regulam fidei neget, adeóqve ſuô ipſiúſmet judiciô, qvô hæreticos agnoſcit, qvi ab hac Regula fidei recedunt, HÆRETICUS haberi debeat?

LIII. Seculô Tertiô eadem doctrina propagata fuit, *Tertullianus*, lib. adverſ. Judæos c. IX. de eo, qvi Moſe loqvutus eſt, Deúmqve Abrahæ, Iſaac & Jacobo ſe profeſſus eſt, Ex. III. ſ. ait, *Qvi ad Moſen loqvebatur, ipſe erat Dei Filius, qvi & SEMPER videbatur.* Unde c. V. *Jeſum ad Cain dixiſſe ait, ubi eſt Abel frater tuus?* De paſſione autem Chriſti non tantùm ceteros Prophetas, ſed etiam Moſen introducit, qvomodò eamdem inter alia erectô æneô ſerpente non tacuerit, ſed publicärit, ut per eam ſalutem conſeqverentur, qvi animum ad crucis Chriſti ſacramentum intentum habebant. *Idem rurſus Moſes*, inqvit c. X. p. m. 102. *poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur æneum ſerpentem ligno impoſitum, pendentis habitu in ſpectaculum Iſraëli ſalutare propoſuit eô tempore, qvô à ſerpentibus poſt idololatriam exterminabantur? niſi qvòd hic Dominicam crucem intentabat, qvâ ſerpens Diabolus publicabatur, & læſo cuiqve ab ejusmodi colubris, id eſt, angelis ejus, a delictorum peccantia ad Chriſti crucis ſacramenta intento, ſalus efficiebatur. Nam qvi in illam tunc reſpiciebat, à morſu ſerpentium liberabatur.* Ibi etiam in paſchatos celebratione *Moſen* adjeciſſe declarationem docet. *Et adjecit, paſcha eſſe Domini, id eſt, paſſionem Chriſti.* Deniqve cùm regulam fidei recenſet, „ qvæ nullas „apud

„ apud Chriſtianos habeat qvæſtiones, niſi qvas HÆ-
„ RESES inferunt, & qvæ HÆRETICOS faciunt de præſcriptionibus adversùs hæreticos, c. XIII. illi hæc capita accenſet; „ Deum univerſa de nihilo produxiſſe per verbum ſuum primò omnium „ emiſſum; id verbum Filium ejus adpellatum; „ in nomine Dei variè viſum PATRIARCHIS; „ in Prophetis ſemper auditum. Qvæ qvum non concedere, ſed qvæſtionem de illo, qvòd *viſum ſit Dei verbum Patriarchis*, & SEMPER auditum in *Prophetis* etiam prioribus, qvos vocant, faciat Calixtus, annon iterum ſuôpte judiciô, qvô hæc Tertuliani reſponſô priori Moguntinis datô, th. XXXVI. adprobavit, HÆRETICUS cenſendus erit?

LIV. *S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis* è Moſaicis qvoqve ſcriptis adſtruit contra Judæos Deitatem Chriſti, lib. II. adverſns Judæos, c. V. p. m. 270. „ Qvod idem Angelus & Deus Chriſtus, in Ge-„ neſi ad Abraham: Et vocavit eum Angelus „ Domini de Cælo, & dixit illi: Abraham, „ Abraham, ille autem dixit: Ecce ego. Et di-„ xit. Noli imponere manum tuam ſuper pue-„ rum, neqve feceris illi qvidqvam. Nunc enim „ cognovi, qvoniam times Deum tuum, & non „ pepërciſti filio tuo dilectiſſimo propter me. Item „ illic ad Jacob: Et dixit ad me angelus in ſo-„ mniis: Ego ſum, qvem vidiſti in loco Dei, ubi „ unxiſti mihi titulum lapideum, & voviſti mihi „ votum. Item in Exodo. Deus autem præibat „ eos, die qvidem per columnam nubis, oſtendens „ illis iter, nocte autem in columna ignis. Item „ illic: Promovit autem angelus Dei, qvi præce-„ debat exercitum filiorum Iſraël. Item: Ecce e-„ go præmitto angelum meum ante faciem tuam „ ad cuſtodiendum te in itinere, ut te inducat in „ terram, qvam tibi præparavi. Obſerva enim

„ &

„ & obaudi eum, ne fueris inobediens, & non
„ deerit tibi, nomen enim meum in illo eſt. Un-
„ de ipſe in Euangelio dicit: Ego veni in nomine
„ Patris mei, & non recepiſtis me. Cùm alius
„ venerit in nomine ſuo, illum recipietis. Et i-
„ terum in Pſ. CXVII. Benedictus eſt, qvi venit in
„ nomine Domini. Qvod Deus Chriſtus, in Gen.
„ dixit autem ad Jacob: Exſurge & aſcende in
„ locum Betheli, & habita illic, & fac illic al-
„ tare Deo, qvi tibi adparuit cùm fugeres à facie
„ fratris tui. Similiter docet, c. XIIX. Chriſtum adparuiſſe *Joſuæ, c.* V. *ceu Ducem virtutis Domini, & ſponſum Eccleſiæ, & Moſi Ex.* III. cui profeſſus eſt: *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob. Paſſionem* qvoqve Chriſti è Moſe probat. c. XIX. è Deut. XXIIX. 66. *Erit pendens vita ante oculos tuos*: & c. XXI. è c. XII. Exodi. Unde conſtat, eum omnino credidiſſe, in Moſe cùm Deitatem, tùm paſſionem Chriſti traditam eſſe, & adverſus Judæos ipſos inde demonſtrari poſſe. Idem, tract. contra Demetrian. p. 150. *Qvod ad paſſionem & ſangvinem Chriſti pertineat hoc ſignum: & ille ſalvus, atqve incolumis reſervetur, qvisqvis in hoc ſigno invenitur, itèm Dei teſtimoniô comprobatur, dicentis: Et erit ſangvis in ſignum vobis ſuper domos, in qvibus eritis, & videbo ſangvinem & protegam vos: & non erit in vobis plaga diminutionis, cùm percutiam & conteram terram Ægypti. Qvod autem antè, occiſô agnô, præceſſit in imagine, impletur in Chriſto, ſeqvutâ poſtmodùm veritate. Illic percuſſâ Ægyptô, Judaicus populus evadere non niſi ſangvine & ſignô Chriſti inventus fuerit, ſolus evadet.* Hoc ergò antiqvis etiam ſignificatum, nec ex illis qvemqvam SALVUM evadere, niſi qvi in hoc ſangvine & ſigno Chriſti per fidem invenietur. *Hanc enim ſalutis gratiam,*
ut

ut ibidem docet Cyprianus, *Chriſtus impartit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit ſubigendo mortem trophæó crucis, redimendo credentem preció ſangvinis ſui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cæleſti.* Ideò *Chriſti SANGVINEM Scripturarum OMNIUM ſacramentô, ac teſtimoniô prædicari* ait lib. II. Epiſt. III. p. 57. docens, qvomodò *Noah* imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit, ut & *Melchiſedech*; & qvòd *Jacob* Gen. XLIX. 11. *ſangvine uvæ* paſſionem Domini denunciârit: *& qvòd in calice Dominico poſteà manifeſtatum eſt, PROPHETIS annunciantibus prædicatum fuerit.* Neqve aliam ſalutis rationem agnovit Cyprianus, qvàm *qvòd Dominus ſanârit vulnera illa, qvæ Adam portavit, & venena antiqvi ſerpentis curârit*, Serm. I. de Eleemoſyn. *Ideò paſſionem Dominicam ſangvinis ſui gloriâ Abelem initiâſſe ait, ſacrificium Deo factum, cùm in ſacrificio Dei talis eſſet, qvi & juſtitiam habuerit, & pacem*, Serm. VI. de orat. Dominic. & ſerm. de paſſ. Chriſti, p. m. 239. negátqve aliud remedium lapſis ad ſalutem reſtitiſſe, qvàm *ſacrificium paſſionis Chriſti: Originali morti nullum* NISI IN CHRISTI MORTE POTUERAT ESSE *remedium, nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos qvælibet oblatio*, NISI *ſangvinis hujus ſingulare ſacrificium. Vulneri ſanè tàm putrido, & antiqvarum cicatricum fœtori non inveniebatur medicamentum conveniens, niſi ungventô ſangvinis hujus plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extenſæ ſiccarentur venena, qvæ calcaneo primi hominis, & omni poſteritati ejus ſerpens ille ſeductor antiqvus infuderat. Hæc una medela corroſit illas, qvæ in immenſum excreverant cicatrices: & vim ſuam concupiſcentiarum perdidit corruptela, & deletâ damnationis conſcriptione novis literis aſſignata eſt reſtituta libertas, privilegiô datô charta indulgentiæ*

gentiæ, ſigillô plagæ lateralis firmata. Qvam unicam ſalutis rationem ac viam, Chriſtum Dei Filium, ejúſqve mortem veteribus patuiſſe, lib. II. adverſ. Jud. integrô capite XXVI. probavit, de *Prophetis* etiam atqve *Juſtis V. T.* docens *qvòd pervenire ad Patrem non potuerint, niſi per Filium ejus, Chriſtum, qvi ſemel pro peccatis noſtris mori debuit, juſtus pro injuſtis; ideò in hoc & mortuis prædicatum eſſe,* ait, *ut ſuſcitentur.* Siqvidem univerſales illæ ſint propoſitiones, (ad omnia tempora ſpectantes) *Nemo venit ad patrem niſi per me. Ego ſum oſtium, per me qvi introierit, ſalvabitur.* Item *qvi credit in Filium habet vitam æternam.* Item *Omnes peccaverunt & egent claritate Dei; juſtificantur autem Donô ipſius & gratiâ per redemptionem, qvæ eſt in Chriſto Jeſu.* Item, *qvi negat Filium, neqve Patrem habet.* Deniqve ut alia prætermittamus, ſerm. de ratione circumciſ. p. 426. apertè iterum & eleganter de revelatione veteribus factâ docetur. *Non poterat ullâ ratione illa abſolvi damnatio, niſi morti omnium VITA OMNIUM ſubveniret, & pro generali morbo gratia Dei ſingulare propinaret antidotum. Hoc antiqvum redemptionis noſtræ conſilium SANCTIS PATRIBUS revelavit DEus, voluítqve ut paullatim aſſveſcerent homines paſſioni, & morti neceſſariæ voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & ſupplicium in remedium commutarent. Hujus oblationis doctrinam ſacrificia continebant antiqva & incenſiones, & mortes hujus conſummationis gratiam præſignabant. Propter hoc cùm jam fidei tempora propinqvarent, imperata eſt circumciſio, & pars illa corporis, in qva eſt voluptatum ſeminarium, & libidinis officina juſſa etiam in parvulis amputari, ut proprii primitias ſangvinis ei, qvi totum ſangvinem ſuum oblaturus erat, offer-*

ferrent, & communia ſingulorum ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum. Ubi verò Chriſtus Dominus venit, de qvo in CAPITE libri ſcriptum erat, ut in morte ſua Patris voluntatem impleret, ceſsârunt ſacrificia, nec jam truncationem præputii euangelium imperavit, ſed circumciſionem cordis, & omnem tam membrorum, qvàm affectionum petulantiam gladiô ſpiritus reſecari, immutabili decretô mandavit. Et tantæ dignitatis illa una redemptoris noſtri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata ſufficeret, qvi tantâ auctoritate in ſancta introivit in ſangvine proprio, ut deinceps nulla ſupplicantium poſtulatio ſangvine indigeret alienô.

LV. Facile, ſed nimis longum eſſet, per ſingula Patrum antiqvorum ire volumina. Non enim aliter umqvàm è Veteribus Eccleſiæ Dd. qvisqvam, qvod conſtet, docuit, imprimis poſteaqvàm integris conciliis ita definitum fuit: utpote *Conciliô Antiochenô*, Epiſtolâ Synodicâ ad Paullum Samoſ. ſeculô tertiô in Biblioth. Patr. Tom. III. p. 77. ubi hæc inter alia leguntur: „ Fidem in principio „ accepimus, & habemus traditam & ſervatam in „ Catholica & ſancta Eccleſia usqve in hodiernum „ diem, à beatis Apoſtolis, qvi viderunt ipſi, & „ miniſtri fuerunt verbi, prædicatam ex LEGE, „ & Prophetis, ac N. T. Hunc autem Filium „ genitum unigenitum, imaginem Dei inviſibilis, „ primogenitum omnis creaturæ, ſapientiam, & „ verbum, ac virtutem Dei ante ſecula, non præ- „ cognitione, ſed ſubſtantiâ & hypoſtaſi Deum, „ Dei filium cùm in VETERI & N. T. cognoverimus, confitemur & prædicamus. Ac poſtmodùm: Qva de cauſſa idem Deus homo Jeſus „ Chriſtus prophetabatur in LEGE, & Prophe- „ tis, & ab omnibus in Eccleſia, qvæ ſub cælo eſt, „ creditus eſt Deus qvidem qvi ſe ipſum exinani-

„ vit, cùm eſſet æqvalis Deo: homo verò ex ſe-
„ mine David ſecundum carnem. Qvæ ibi prolixè & imprimis è Moſe probantur. *Concilio* item *Chalcedonenſi* œcumenicô, ſeculô qvintô habitô, qvod confeſſione Synodicâ teſtatum eſt, qvòd *ſanctos PATRES ſeqvutum credat, unum & eumdem eſſe Chriſtum Filium Dei, Dominum unigenitum in duabus naturis Deum Verbum & Dominum, SICUT de illo PROPHETÆ OLIM VATICINATI ſunt.* Qvi à Confeſſionibus Conciliorum IV. Oecumenicorum recedunt, eásqve non INTEGERRIMA ADPROBATIONE CUSTODIUNT, illis *anathema* dicendum eſſe, cum *Gregorio M.* agnoſcit Calixtus in editione Symbolorum annexa ſcripto confutatorio, C. 2. Proinde ſibi ipſi anathema dicat. Qvibus conſonat *Symbolum Athanaſianum*, dogmata de *Deitate & paſſione Chriſti*, fidei Catholicæ, *ſine qva nemo ſalvari umqvàm potuit*, inſerens. *Fidem Symboli Niceni* de *Filio Dei unigenito propter nos & noſtram ſalutem incarnato & paſſo* τὴν ἐκ παλαιοῦ διαμεμένηκεν *à priſcis USQVE TEMPORIBUS perdurâſſe, qvam & PROPHETÆ & Euangelia, & Apoſtoli prædicârint* Synodus Ariminenſis in Epiſtola Synodica ad Auguſtum Conſtantium apud Athanaſ. de Synodis Arminenſ. & Seleuc. Tom. I. oper. p. m. 877. Theodoret. lib. II. H. E. c. XIX. profeſſa eſt. Qvam fidem etiam à CONDITO ÆVO *prædicatam fuiſſe*, *Athanaſius* cum Epiſcopis nomine omnium *Ægypti*, *Thebaidis*, & *Libyæ Epiſcoporum in unum in Synodo Alexandrina* congregatis teſtatus eſt, apud *Baronium*, Annal. Tom. IV. n. 171. annô 363. Vid. *Theodor.* lib. IV. Hiſtor. c. III. Ipſius *Athanaſii* hæc ſunt de Synod. Nicen. contr. Arian. decretis. Tom. I. p. 252.
„ Sancti contrà ſinceræ ſunt veritatis præcones
„ eò qvod inter ſe ſententiis conveniunt, & nul-

lo

„ lo diſſidiò laborant. Qvi licèt diverſis tempo-„ ribus vixerint, æqvè tamen ſimul eódem ten-„ dunt, ut unius Dei Prophetæ, & ejusdem ver-„ bi præcones. Qvæ enim Moſes docuit, eadem „ ab Abrahamo obſervata ſunt, qvæ porrò Abra-„ ham obſervavit, eadem Noë & Enoch agno-„ verunt, diſtingventes munda & immunda, & „ gratioſi apud Deum fuerunt. Abel qvoqve hu-„ jus rei teſtis habendus eſt, qvi ea, qvæ ab Adam „ perceperat, Deo obtulit. Adam autem magi-„ ſteriô Dei inſtructus fuit. Ideò *Epiphanius*, BAR-BARISMUM refellens, *Adamum & reliqvos Patri-archas* formam habuiſſe *Chriſtianiſmi* docet, lib. 1. Tom. 1. contr. hær. *eamdemqve fuiſſe fidem ab initio*, qvæ nunc eſt. „ Sicut nunc eſt fides, qvæ „ jam in ſancta catholica Eccleſia verſatur, qvæ „ ab initio fuit, & poſteà rurſus revelata eſt. Si „ qvis enim pro veritatis ſtudio expendere velit, „ ſancta & Catholica Eccleſia principium omnium „ eſt, & hôc nimirum ſcopô, Adam protoplaſtus „ formatus eſt, non circumciſus, ſed carne præ-„ putium habens. Non autem erat IDOLOLA-„ TRA, & novit Patrem Deum, & Filium & „ Spiritum ſanctum. Propheta enim erat, itaqve „ qvum non haberet circumciſionem, non erat „ Judæus, & qvum ſimulachra non adoraret, aut „ aliud qvid, non erat Idololatra. Propheta e-„ nim erat Adam, & novit qvod Pater dixit Fi-„ lio. Faciamus hominem. Qvid igitur erat? „ Neqve circumciſionem habens, neqve ſimulachra „ colens, ſed Chriſtianismi formam oſtendens. „ Sic etiam de Abel, & de Seth, & de Enos, „ & de Enoch, & de Mathuſala, & de Noë, „ & Heber uſqve ad Abraham accipiendum eſt. „ Operabatur autem tunc & pietas & impietas, „ fides & incredulitas, fides qvidem Chriſtianis-

„ mi imaginem obtinens: incredulitas autem im-
„ pietatis & iniqvitatis formam exhibens. Atqve hinc redarguit Judæos ſectâ octavâ Epicureorum ;
„ Suſceperunt itaqve iidem Judæi etiam Prophe-
„ ticas voces de CHRISTO venturo, & qvi ad-
„ pellaretur qvidem Propheta, eſſet autem Deus:
„ & vocatus qvidem eſſet Angelus, verùm filius
„ eſſet Dei, & homo in carnem venturus eſſet,
„ & inter fratres cenſendus, velut OMNES di-
„ vinæ ſcripturæ habent. Et rectè ſanè proceſſiſ-
„ ſent Judæi in legis doctrina, ſi Chriſtum ſuſce-
„ piſſent à pœdagogo, lege videlicet, ipſis præ-
„ dicatum, ac denunciatum, ut ſuſceptâ ipſius
„ Deitate, etiam adventum ipſius in carnem di-
„ diciſſent, non diſſolutionem legis, ſed legis
„ complementum. Qvo cum conſentit *Philaſtrius* dignus judicatus à S. Auguſtino, qvem in enumeratione hæreticorum ſeqveretur, SAMARITANOS in Catalogo Hæreticorum recenſens, qvòd *Chriſtum Dominum Dei Filium in LEGE nunciatum non crediderint* n. VII. & num. CIIX. hæreſin hanc proponens, qvæ dicit, „Chriſtianos nuperrimos
„ & poſteriores Judæis, & Paganis fuiſſe creatos (qvæ etiam Calixti eſt hæreſis) ignorans, qvòd
„ Judæis & Paganis naturâ priores creati ſunt,
„ & fide, vitâ, & tempore, ſacrificiô & conver-
„ ſatione. Fide qvidem, qvia ab Adam uſqve ad
„ Moſen tribus annorum millibus, & ſeptingentis,
„ omnes juſti Deum, & Deum, Dominum, & Domi-
„ num colentes etiam Spiritum S. veram nuncia-
„ abant Trinitatem, ita, ut ipſam Trinitatem
„ integram ſine labore poſſis cognoſcere ab illis
„ beatis prioribus & antiqvis, nobis etiam hoc
„ poſteà fuiſſe manifeſtatum a Domino. Unde adductis ſcripturæ teſtimoniis: „Ergo non eſt
„ fidei cauſſa temporalis Chriſtianitatis, ſed ante
„ Ju-

„ Judæos & Paganos in Lege qvidem ſtudentibus
„ & qværentibus erat manifeſtata. Et paullò poſt;
„ Melchiſedech prævidit myſterium Chriſtianita-
„ tis, ut OMNIA qvæ in Chriſtianitate ſunt; ſi-
„ ve FIDES, ſive vita, ſive ſacramentum non
„ temporalia, ſed ab ORIGINE mundi ſtatuta
„ & nunciata & potiùs celebrata cognoſcas. Ideò
„ & ipſe Dominus priores illos ſanctos ANTE
„ LEGEM nobis, & nos illis prioribus SECUN-
„ DUM FIDEM JUSTITIÆ copulabat. Ad
qvæ, cùm opponerentur Calixto, nihil reponere habuit, PHILASTRIUM tantùm exagitavit, qvi in hac cauſsa, qvam communem habet Philaſter cum omnibus Dd. & univerſa Eccleſia, ipſe potiùs qvùm Philaſtrius exagitari mereatur. Sed imprimis JULIANUM noſtrum in prædeceſſore ſuo *JULIANO Apoſtata* geminam ignorantiam ac ἀπιστίαν Patriarchis ac Moſi adſcribente confutavit *S. Cyrillus Alexandr.* lib. I. contr. Julian. ut alibi docuimus. Alia teſtimonia ſatis copioſè videri poterunt im Wegweiſer *eminentiſſimi Theologi Dn. D. Welleri* Noſtri ad qvæ *inſtar ranæ Sarpiæ*, obmutuit JULIANUS. Uno tantùm & altero Auguſtini, è qvo alia non pauca ibi producta, loco obſignamus hanc teſtium nubem, è lib. II. de peccat. Origin. contr. Pelag. & Cæleſt. c. XXIV. „Sine
„ FIDE ergò incarnationis & mortis & reſurre-
„ ctionis Chriſti, nec antiqvos juſtos, ut juſti eſ-
„ ſent à peccatis, potuiſſe mundari, & Dei gra-
„ tiâ juſtificari, VERITAS CHRISTIANA
„ NON DUBITAT. Et lib. I. contr. duas Epiſt.
„ Pelag. civ. Imò dicimus VEL ANTE LE-
„ GEM, vel tempore V. T. à peccatis fuiſſe li-
„ beratos non virtute propriâ; ſed liberatos eſſe,
„ per ſangvinem ipſius redemptoris, qvi unus me-
„ diator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus,
 „ Iſti

„ Iſti autem INIMICI GRATIÆ Dei, qvæ data
„ eſt puſillis & magnis per Jeſum Chriſtum Do-
„ minum noſtrum, ideo dicunt antiqvos homines
„ Dei perfectæ fuiſſe juſtitiæ, ne Chriſti incarna-
„ tione, paſſione, reſurrectione, cujus Fide ſalvi
„ facti ſunt, credantur eguiſſe.

LVI. Qvibus, cùm cetera excludat pagina, ſubjungimus è libris Symbolicis ſolùm *Apol. A Conf.* qvæ è V. T. non minùs, qvàm è Novo juſtificationem per fidem in ſangvinem & meritum Filii Dei, demonſtravit, *artic. de juſtific. adductô* axiomate Petri Act. x 43. „ Huic OMNES Prophetæ
„ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccato-
„ rum accipere per nomen ejus, qvi credunt in
eum (qvod explicat Apol. p. 79. F. C. allegare
„ nomen Chriſti eſt confidere nomine Chriſti, tam-
„ qvàm cauſsâ, ſeu pretiô propter qvod ſalvamur)
„ ſubjungens: Allegat conſenſum OMNIUM Pro-
„ phetarum. Hoc verè eſt allegare Eccleſiæ aucto-
ritatem, fidémqve hanc verbis Ambroſii p. 80. ex-
„ ponens: Fides ergo eſt, qvæ liberat per ſangvi-
„ nem Chriſti, qvia beatus ille, cui peccatum re-
„ mittitur, & venia donatur, ubi adduntur hæc
ἀξιομνημόνευτα, qvæ in gratiam Calixti repetimus.
„ Hæc ſunt Ambroſii verba, qvæ apertè patroci-
„ nantur noſtræ ſententiæ, detrahit operibus juſti-
„ ficationem & tribuit fidei, qvòd liberet per ſan-
„ gvinem Chriſti. Conferantur in unum acervum
„ Sententiarii omnes, qvi magnificis titulis ornan-
„ tur. Nam alii vocantur angelici, alii ſubtiles,
„ alii inrefragabiles. omnes iſti lecti & relicti non
„ tantum conferent, ad intelligendum Paulum,
„ qvantum confert hæc una Ambroſii ſententia:
In ſpecie hanc qvoqve fuiſſe fidem PATRUM ſub
V. T. docet. p. 70. „ Et hic cultus, hæc λατρεία,
„ in Prophetis & Pſalmis paſſim præcipuè lauda-

„ tur,

„ tur, cùm tamen lex non doceat gratuitam re-
„ miſſionem peccatorum. Sed PATRES nôrant
„ promiſſionem de Chriſto, qvòd Deus propter
„ Chriſtum vellet remittere. Igitur cùm intelli-
„ gerent, Chriſtum fore PRETIUM pro noſtris
„ peccatis, ſciebant, opera noſtra non eſſe pre-
„ tium rei tantæ. Ideò gratuitam miſericordiam
„ & remiſſionem peccatorum FIDE accipiebant,
„ SICUT ſancti in Novo Teſtamento.

LVI. Sed qvid multis opus? Qvùm concedant Adverſarii *PATRIARCHIS & PROPHETIS non incognitam fuiſſe ſive Deitatem, ſive paſſionem Chriſti*, negare utiqve non poſſunt, eam aliis traditam fuiſſe ab iiſdem, niſi eos invidiæ poſtulare velint, & qvòd contra officium egerint, qvòd hæc tàm ſalutaria, & neceſſaria fidei capita, in qvibus *ſumma fidei, ſpei, & conſolationis*, totâ Scripturâ S. teſte, unicè repoſita eſt, ſubticuerint, & qvæ ad gloriam Domini amplificandam, verum Deum in vera fide colendum, verum Meſſiam agnoſcendum, invocandum & adorandum faciunt, aliis tradere neglexerint, eóſqve in implicita fide ac vera ἀπιςίᾳ reliqverint. Qvid? qvòd *Hornejus* diſertè fateatur, *niſi credatur verbi incarnatio & ſangvine facta redemptio, & qvòd Chriſtus placamentum noſtrum ſit per fidem in ſangvine, Chriſtum non credi redemptorem, aut Servatorem, cultúmqve univerſum unà cum fide Chriſtiana interpolari, vel perire*, diſp. IV. de Trinitat. ſect. I. th. XII. & th. XIV. & de talibus, qvi Chriſti Deitatem aut ſatisfactionem paſſione ejus factam non agnoſcunt, ita pronunciet p. 375. *Qvin nec Chriſtum pro REDEMPTORE habent. Qvomodo ergo ut redemptorem colant? -- Unde cùm talem adorant, qvem adorent, neſciunt*, Num verò id de fidelibus V. T. aut ullo ſolùm eorum dicendum?

SECTIO III.

De argumentis opinionis Calixtinæ.

§. LVIII.

Nunc etiam hâc *Sectione tertiâ* argumenta Novatorum diſpicienda eſſent : Sed hic merum תהו ובהו regnat. Nulla teſtimonia Scripturæ, nulla antiqvitatis invenire potuit Calixtus. Nec eſt, qvòd cauſſam ab hoc Dictatore qvis reqvirat ſuorum δογμάτων, & aſſertionum. Αὐτὸς ἔφα! Adduxit qvidem Calixtus nonnulla Scripturæ dicta, ſed perfunctoriè, & ut apparet, dicis tantùm gratiâ. Wiederlegung th. LXII. Wenn aber den Gläubigen des Newen Teſtaments nicht ſolte ein mehrers von Chriſto kund geworden ſeyn, als eben ins gemein den Gleubigen Alten Teſtaments, wie wolte Sanct Paulus geſcrieben haben, Gal. III. 23. Ehe der glaube (nemlich wie der anjetzo bey dem Newen Teſtament ſich befindet) kam, würden wir, ſo lange wir noch unter dem Alten Teſtament wahren unter dem geſetz verwahret und verſchloſſen auff den glauben, der da ſolte offenbahret werden? I. Cor. II. 7. Wir reden von der heimlichen verborgenen Weisheit Gottes, welche Gott verordnet hat, vor der Welt, zu unſer herrligkeit. Qvis obſecro, hæc legens, ſeriò rem tantam à Calixto agi credat? Nam priori locô, *anteqvàm fides veniret*, non poſſe fidem in Chriſtum θεάνθρωπον ſangvinis λύτρῳ redimentem deſignari tota tractatio Apoſtoli clamat, qvæ fidem illam jam ante legem fuiſſe demonſtrat, legem autem tantùm ideò acceſſiſſe, ut *omnibus* voce legis, *ſub peccato*

con-

concluſis, credentes per fidem in Chriſtum promiſſionem vel ſalutem promiſſam conſeqverentur, ac *lex pædagogus eſſet ad Chriſtum, ut per fidem in Chriſtum juſtificarentur*, qvicúmqve juſtitiam conſeqvi volunt. Qvod exemplô Abrahæ ibi confirmat, *Patris credentium*. Non ergò negatur *fides* in Chriſtum in V. T. locum habuiſſe, ſed *tempus Euangelicæ gratiæ deſignatur*: & legis ac Euangelii diſcrimen oſtenditur, ut præclarè docet *B. Lutherus*, in h. l. Tom. IV. Jenenſ. Latin. fol. 91. *Anteqvàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, hoc eſt, anteqvàm veniret tempus Euangelii & Gratiæ, erat hoc legis officium, ut ſub eâ concluſi cuſtodiremur, tamqvàm in carcere. --- Hìc iterum videmus legem & Euangelium, qvæ inter ſe longiſſimè diſtincta, & pluſqvàm contradictoria ſeparata ſunt, affectu conjunctiſſima eſſe. Hoc indicat Paulus cùm dicit*, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in futuram fidem. *Qvare non ſatis eſt, nos concluſos eſſe ſub lege, qvia ſi nihil aliud ſeqveretur, cogeremur deſperare, in peccatis mori &c. Sed Paullus addit nos concluſos eſſe & coërceri ſub* pædagogo (lege) *non in æternum, ſed in Chriſtum, qvi eſt finis legis. Iſta igitur pavefactio, humiliatio & cuſtodia non durare debet perpetuò, ſed in futuram fidem, hoc eſt, in ſalutem & bonum noſtrum, ut nobis conterritis lege dulceſcat Gratia, remiſſio peccatorum, liberatio à lege, peccato, morte &c. qvæ operibus non accipiuntur, ſed ſolâ fide adprehenduntur.* Et fol. 95. ita concludit Megalander. *Qvamqvàm ergo Chriſtus eſt heri & hodie & idem in ſecula. Et qvamqvàm Euangelium & fidem habuerit Adam & omnes pii ante Chriſtum, tamen ſemel Chriſtus venit præfinitô tempore, ſemel venit & fides, cùm Apoſtoli Euangelium per totum mundum prædicaverunt. Deinde qvotidie etiam venit ſpiritualiter Chriſtus, venit &*

per verbum Euangelii qvotidie fides. Fide autem præſente, cogitur cedere pædagogus cum ſuo triſti & moleſto officio. Tunc autem Chriſtus ſpiritualiter venit, qvando ſubinde magis magisqve agnoſcimus & intelligimus, qvæ ab ipſo nobis donata ſunt, & creſcimus in gratia & cognitione ipſius 2. Pet III. 18. Fides ergo vel *objectum* notat CHRISTUM: anteqvàm *Chriſtus veniret*, qvemadmodùm *Hornejus* explicat cum B. Luth. vel etiam clariorem *fidei notitiam*, qvam N. T. non derogamus. *Calixtus* ita exponit de pactis th. CLXXVI. *Anteqvàm autem veniſſet fides*, ex Euangelio plenè & perſpicuè prædicato, longè diſtinctiùs & perfectiùs concepta qvàm olim, *ſub lege cuſtodiebamur, non qvòd fides olim aut nulla fuerit, aut prorſus diſtincta ab hodierna, ſed qvòd hodierna præ antiqvâ inchoatâ propter clariorem & uberiorem revelationem magis plena & completa*. Qvæ verò explicatio, etiamſi admittatur, qvomodò probabit, olim non creditum fuiſſe in *Chriſtum Deum, verùmqve Redemptorem*? Qvòd ſi etiam eousqve donec in N. T. exponeretur, id creditum non fuit, utiqve non ſolùm priorum, ſed etiam poſteriorum Prophetarum tempore id creditum non eſſe dicendum erit, qvod tamen diſertè dicere refugit Calixtus.

LIX. Alter locus planè ἀπροσδιόνυσος eſt: ibi enim *occulta* dicitur *ſapientia* non fidelibus V. T. ſed humanæ rationi & *Principibus hujus ſeculi*. Ineptè ergo huc trahitur. Ne dicam, qvòd ibi è *Jer.* IX. 23. in Chriſto ut Jehovah Domino ſolùm gloriandum eſſe docuerit Apoſtolus 1 *Cor.* I. 31. Qvî ergo dixiſſet, *Chriſtum Dominum eſſe*, abſconditum fuiſſe ſub Vet. Teſtamento?

LX. Trahit etiam huc verba Apoſtoli *Ebr.* X. 1. qvòd *lex habuerit umbram*, de pact. XCI. qvòd umbram habuiſſe dicatur, *reſpectu fidei, qvæ ævô illo fue-*

fuerit adhuc IMPLICITA, *obſcura & confuſa.* Sed qvis non deteſtetur, gloſſam ineptiſſimam! *umbra* opponitur *expreſſæ rerum formæ*, per qvam Meſſiam actu exhibitum, ejúſqve paſſionem deſignari, nec ipſe Calixtus diffitetur. Qvomodo ergo per eam fides explicita intelligetur, ita ut veteribus relinqvatur, non fides, *ſed ſolùm σκιὰ UMBRA fidei, aut ſi mavis, umbratilis fides.* Mirum ni etiam *UMBRAM ſalutis*, vel *ſalutem umbratilem* illis aſſignet Calixtus? Sed qvam gloſſæ inauditæ rationem reddit? Nullam. Nam & hìc dictatorem ſaltim agit. Cujus auctoritas in hac cauſsa mancipiis ipſius ſufficiat, nec argumentis qvidem ullis opus erit. Nobis autem in Scriptura unicè acqvieſcendum, *qvæ nullum aliud nomen ſub cælo novit, nullum aliud hominibus datum eſſe*, teſtatur, *in qvo oporteat ſalvari, niſi SOLUM NOMEN JESU.*

CUI UNI SIT GLORIA IN SECULA.

IV.

IV.

* * *
* *

Reperi nuper in Schedis meis variis ſeqvens ejusdem ſummi Theologi & auctoris Dn. Calovii, B. Præceptoris mei, Programma, in qvo qvia locum Gen. IX. 26. 27. admodùm eruditè, qvod ſolet iſte Doctor, explicat, ſubjicere hic illud viſum fuit mihi non nullum operæ precium, qvippe qvod pereat indignum.

DECANUS FACULT. THEOL.

IN

ELECTORALI SAXONICA,

Qvæ Wittebergæ eſt, Univerſitate,

ABRAHAM CALOVIUS,

SS. Theol. Doct. P. P. Primarius, Paſtor, & Superintendens Generalis,

L. S. P.

EMinet inter benedictiones, qvæ à S. Patriarchis profectæ ſunt, ac præcellit multùm illa, qvam filiis ſuis poſt diluvium impertiit Noah, ſive *antiqvitatem* ſpectes, ſive *dignitatem*, ſeu deniqve *amplitudinem*. Qvum enim nulla literarum monumentis credita ſit, qvæ fortè à Patriarchis *antiqvi*, qvem *Petrus* vocat, *mundi* facta, hæc ab alterius mundi reparatore

ratore ſub primordia ejusdem prodiit, ut adeò nulla ſuperet vetuſtior à mortali mortalibus collata benedictio. Neqve verò dignior cenſeri qvæpiam poteſt, ſi cum aliis hanc componere placeat: ſiqvidem hæc, Deô paternè diſponente, Chriſtô Mediatore intercedente, Spiritu Doctore ſuggerente, à Patriarcha præcipuo, Mundi totius Domino, ac Monarcha, Pontifice Optimo Maximo, Doctore, Propheta, atqve Epiſcopo verè œcumenico, univerſi generis humani, qvod in poſteriori vixit, ac victurum eſt, mundo, ſatore profecta, de rebus agat pondere graviſſimis, rationem ſtatus totius orbis, ſortémqve ac felicitatem omnium populorum concernentibus. Qvapropter cùm aliæ benedictiones certas vel perſonas, vel familias, aut tribus attineant, hæc, qvam nunc indigitamus, per univerſum orbem, omnéſqve ejusdem partes ſe diffundit, gentes, ac populos omnes, qvotqvot in mundo reparato egerunt, complexa. Sic autem exhibuit eam Hiſtoricorum Coryphæus Gen. IX. 26. 27. *BENEDICTUS Dominus DEUS Sem, ſit Chanaan ſervus ejus. Dilatet DEUS Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, ſit Chanaan ſervus ejus.* Videri ſanè poſſet, geminæ tantùm orbis parti, qvæ Semo, qvæqve Japheto conceſſa, Noachum benedixiſſe: Sed qvum maledictio Chami, verendorum Parentis detectoris, jam præceſſerit; nunc verò lætâ, & auſpicatiſſimâ voce BENEDICTUS ſubjungatur εὐλογία, ne illa qvidem, qvæ in eadem ſeqviorem tantùm præ ſe ferunt fortunam, omni benedictione, noſtrô judiciô, deſtituta ſunt. Nam & gratiæ fuit, qvòd Chanaan non totus confeſtim exitio addictus eſt; & copulata illa ſervitus benedictioni, temperamentô qvôdam, priorem maledictionem mitigare videtur: Non enim *ſervus ſervorum* ampliùs conſtituitur, (qvem ti-

titulum *verus Chamita* nunc uſurpat *Papa*, obſervante *B. Lutherô)* ſed *ſervus Semi*, & *ſervus Japheti* tantùm: qvæ moderatiùs ſonant: neqve omni ſpirituali benedictione tota Chami poſteritas privata, etſi peculiaria Eccleſiæ axiomata in fratres collata ſint. Miſſô autem impiô *Chamô*, de *Semi*, & *Japheti* benedictione diſpicere, operæ pretium videtur. Et SEMO qvidem partes præcipuas relinqvit in hoc teſtamento, ac vaticinio, utriúſqve Mundi Propheta: votum, ac benedictionem veluti per teſtamentum delegans, & Spiritu Domini plenus ſortem filiorum deſignans: Benedicens autem Semo, natu maximo, non *benedictus Sem Deo*, aut *à Deo*, inqvit, ſed *benedictus Dominus Deus Sem*; celebrans imprimis Deum, ob ea, qvæ filio prævidit conceſſum iri munera, ac gratias agens pro iiſdem deſtinatis, ut dona mera gratiæ, non merita juſtitiæ agnoſcat, & gratioſè deſtinata, hâc εὐλογίᾳ, & celebratione nominis divini non minùs piè provocet, qvàm certò conferenda, ac pro collatis, gratiarum actionem merentibus, habenda, firmâ fide promulget. Notat in hac benedictionis formula *Lutherus* noſter etiam ἐξοχὴν qvamdam: *Qvæ cauſſa*, qværit, *qvòd non dicit*, Benedictus Sem, *ſed* benedictus Dominus Deus Sem? Reſpondens, uti jam ſeqvitur; *Fit hoc propter excellentem benedictionem. Non enim loqvitur hîc de corporali benedictione, ſed de benedictione futura per ſemen promiſſum. Eam tantam eſſe videt, ut explicari verbis non poſſit: ideò ſe vertit ad gratiarum actionem. Ac imitatus hunc ipſum locum videtur Zacharias Luc.* 1.68. *cùm in eodem argumento dicit, Benedictus Deus Iſraël.* Qvod autem *ſpirituales* hæ benedictiones ſint, complementum ipſum ſatis docuit, qvod argumentum imprimis Megalander adhibuit: *Cham enim ædificavit civitatem*,

&

& turrim Babel, ac latè dominatus eſt, cùm è contra Sem, & Japheth egerent, viventes miſerè in tabernaculis. Ita eventus arguit promiſſiones & maledictiones divinas eſſe intelligendas, non carnaliter de præſenti vita, ſed ſpiritualiter. Non tamen cum *Pelargo*, aliiſqve in voce hac Euchariſtica *BENEDICTUS Dominus Deus Semi*, ſimul qværenda myſteria de *perſona*, & *officio Chriſti*, qvòd *Chriſtus Deus, & Dominus Semi, etiam juxta humanam naturam è Semo aſſumendam*, his proponatur, ejúſqve *officium*, qvòd *ſemen illud benedictum ſit, in qvo benedicendæ omnes gentes*, verbô BENEDICTUS comprehendatur. Ut *alia* eſt benedictio, qvâ nos Deum celebramus, *alia*, qvâ Deus nobis benedicit, illa *verbalis*, hæc *realis*, illa *gratæ bonorum agnitionis*, hæc *gratioſæ donorum collationis*: ita voculâ, qvâ *Deum benedictum* prædicamus, neqve ipſam in nos effundendam benedictionem, neqve parariam ejuſdem gratiam deſignari certum eſt, etſi è *conſeqventi*, gratiarum actione, colligatur *antecedens*, beneficii exhibitio. Accuratiùs rem expendunt, qvi in nomine *DEUS SEMI* & *cauſſam* benedictionis vel celebrationis Dei venantur, & *materiam* benedictionis à Patriarcha collatæ, qvæ in cauſſa latet, inde colligunt. Qvum enim prædicetur Dominus ideò, qvòd *Semi Deus* eſſe dignetur, prædicitur ſimul, fore ut Sem, ac poſteritas ejus Dominum expertura ſit Deum ſuum; qvâ gratiâ nihil eminentius, nihil exoptatius aut contigere, aut benedictione Patriarchali voveri, atqve impertiri poterat. Ideò *Abrahamo* Patri credentium è Semi lumbis oriundo, Dominus ipſe, fœdus gratiæ cum eodem pangens, nihil offerre, aut polliceri habuit præſtantius, qvàm qvòd receperit: *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Gen. XVII. 7. Nec pactum, qvod ferire dignatus nobiſcum

biſcum eſt Dominus, qvamvis magnificis deſcriptum verbis Jerem. XXXI. 34. dignius qvidqvàm complecti poterat; qvàm hanc ipſam promiſſionem: *Ero eis IN DEUM, & ipſi erunt mihi in populum.* Qvi Dominum habet *Deum ſuum*, habet *omnia*: Qvia in Deo habemus omnia. Fruitur *gratiâ Dei*, fruitur *bonis gratiæ*, fruitur *Deô ipſo*, gratiæ omnis fonte, ac ſcaturigine; in qvo ſumma eſt beatitudo. *Deus non mortuorum Deus eſt, ſed viventium.* Non ergo mortui ſunt, aut manent, qvorum Deus eſt Deus, ſed vivunt. Vivunt *Deo*, & *in Deo* Vivunt *vitâ naturæ*, vitâ *gratiæ*, vitâ *gloriæ*: cujus hæc eſt ſummaria comprehenſio, *ERO illi Deus, & ille erit mihi filius*, Ap. XXI. 7. Qvia verò Dominus non eſt Deus noſter, niſi per fidem in Chriſtum, & DOMINUS, qvi DEUS noſter eſt, interprete Eſaiâ, IMMANUEL Meſſias ipſe, ſemen illud benedictum eſt: idcirco is, qvem ceu *Deum Semi* celebrat Noach, præco juſtitiæ fidei, rectè intelligitur Chriſtus Dei filius, qvi A. & Ω. eſt & benedictionum, & promiſſionum divinarum: qvem in familia Semi, ceu propria ſede Eccleſiæ, celebratum iri, haud obſcurè inſinuatur. Nam *B. Lutherô* noſtrô autore, *mirè ſignificans eſt, qvod Deum cum filio ſuo Sem ita conjungit, & qvaſi deſponſat Noah. Benedictus Dominus Deus Semi.* Ad cujus familiam uti poſtmodùm apertiùs *linea Meſſiæ* reſtricta fuit, ita primô locô, ac præcipuâ benedictione honoratô Semô, Dominóqve Chanaanis conſtitutô, dubium non eſt, hoc ἀξίωμα ſaltim *implicitè* hìc eidem conferri. *Sem enim*, B. Lutherô dicente, *ponit Noah ad lineam Sanctorum, & Eccleſiæ, qvòd ſuper eum benedictio ſpiritualis in Paradiſo de ſemine facta qvietura ſit. Mirabilis Prophetia eſt, ob ſingularem verborum proprietatem. Sem non benedicit,*

ſed

*ſed Deum Sem, ut agat Deo gratias, qvòd Sem complexus ſit, & ornaverit ſpirituali promiſſione, ſeu benedictione de ſemine mulieris. Cùm autem ad Japheth ventum eſt, non utitur eâ phraſi, qvâ de Sem, ad oſtendendum nimirum myſterium, de qvo Paulus agit Rom.*XI.25.*& Chriſtus Joh* IV.22. *qvòd ſalus ex Judæis ſit, & tamen hujus ſalutis gentes etiam fiunt participes. Qvamqvàm enim ſolus Sem vera radix, & ſtirps ſit, tamen in hanc ſtirpem inſeruntur gentes, ceu alienus ſurculus, ac fiunt ſocii pingvedinis, & ſucci, qvi eſt in electa arbore. Hanc lucem Noah per Spir. S. videt, & qvamqvàm obſcurè, tamen admodùm propriè prædicit regnum Chriſti ex ſtirpe Sem, & non Japheth propagandum in Mundum.* Futurus adhæc erat Sem, utpote *primogenitus, Sacerdos, & præco veri Dei;* ideóqve ei aſſignatur peculiariter *Dominus*, tamqvàm *Deus ipſius*, & *tabernaculum*, non ſine reſpectu ad tabernaculum *fœderis*, qvòd illic futura ſedes Eccleſiæ, & habitationem in Semi familia, (qvod typicô adumbratum tabernaculô) habiturus Dominus. *Primus* nominatur Sem, qvi cum fratre Japhetò veſtimentum acceperat, & humero ſuo impoſuerat, ut Patris turpitudinem operiret, ac caſtis ejus femoribus, è qvibus Meſſiam oriturum noverat, fideli ſeminis benedicti intuitu reverentiam exhiberet: Idem primus benedictione mactatur; ac *ſeminis benedicti majoribus* inſeritur, Japheto tamen communio ſpiritualis etiam promittitur. Tabernacula Semo aſſignantur, at habitatio in iisdem Japheto non denegatur. *Dilatet*, inqvit Noah, *Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem.* In Ebræo membrum prius ſvavem *paronomaſiam* exhibet: verbô *Japheti* nomini cognatô adhibitô, qvod etſi à *pulchritudine* nonnulli, utpote *Auguſtinus Steuchus*, & *Cajetanus*, q. d. *venuſtum faciat*

Japheth, (Latina verſio S. Auguſtini tempore reddidit, *lætificet Deus Japheth.*) Alii à *perſvaſione*, qvibus accedit *Lutherus*, *Junius*, *Piſcator* &c. *blandè alliciat*, *& perſvadeat Evangelii voce*, deducant; analogiæ tamen Grammaticæ ratione habitâ rectius à *dilatatione* derivatur, qvod *Mercerus*, *Rivetus*, *Füllerus*, *B. Gerhardus*, alii obſervârunt, præeuntibus *Ebræis*, *Chaldæis*, item *Græcis*, *vulgatô Latinô*, *Interpp.* & *S. Hieronymô* in qvæſt. Hebr. *De Sem Hebræi, de Japheth populus gentilium naſcitur. Qvia igitur lata eſt multitudo credentium, à latitudine, qvæ Japheth dicitur, multitudo nomen accepit.* Qvem ſenſum retinuit etiam *Germanica*, *Tigurina*, *Pagnini*, *& Belgica* verſio. Non autem *figuratè* de *dilatatione cordis*, vel *exhilaratione*, ſed de *dilatatione loci*, & *termini*, *propriè* accipienda Prophetia: qvòd amplam, & diffuſam Japheth habiturus ſit poſteritatem: qvi utiqve multis in *Aſia*, & *Europa* gentibus originem præbuit. Qvod etſi ſenſu *ſpirituali* de *amplitudine Eccleſiæ gentium* interpretentur nonnulli, convenientius tamen *pleriqve alii* de *corporali benedictione* intelligunt. De *ſpirituali* enim *benedictione* agunt ea, qvæ ſeqvuntur, *& habitet in tabernaculis Sem.* Qvæ à *Judæis* perperam *carnali modô* explicantur, à B. Luth. jam profligatô: *Judæi*, inqvit, *nugantur*, *Japhet eſſe vicinas gentes circa Jeruſalem, qvæ fuerant admiſſæ ad templum & cultum. Sed Noah non templum Hieroſolymitanum, non tabernaculum Moſi admodùm curavit, majores res complectitur. Agit enim de tribus Patriarchis, qvi repleturi erant orbem terrarum, ac de Japheth dicit, non qvidem eſſe eum ex radice populi Dei, qvi habet promiſſionem de Chriſto, & tamen vocandum per Euangelium in ſocietatem iſtius populi, qvi habet Deum, & promiſſiones. His igitur Eccleſia gentium ac Judæorum depicta eſt.* Fuit ſa-

nè non *typus* tantùm, & *præludium vocationis gentium ad tabernacula Semi*, admiſſio exterorum ad tabernaculum fœderis, & templum, ſed etiam *pars aliqva complementi* hujus vaticinii, qvod tamen illuſtrius in N. T. impletum eſt. De qvo inter *Græcos S. Chryſoſtomus*; *Opinor, qvòd benedicendo hos duos, duorum populorum vocationem ſignificare voluerit, & per Sem qvidem Judæos, ex illorum enim & Abraham, & Judæorum genus multiplicatum eſt; per Japhet autem gentium vocationem. Dicendo* dilatare *omnes gentes ſignificavit*: *ſed dicendo* habitet in tabernaculis Sem; *qvia gentes frui cœperunt iis, qvæ Judæis parata ſunt.* Concinit in *Latina* Ecc eſia *Hieronymus*, etſi *habitationem in tabernaculis* paullò ſubtilius interpretetur: *Qvod ait*, & habitet in tabernaculis Sem, *de nobis prophetavit, qvi in eruditione & ſcientia Scripturarum, ejectô Iſraël, verſamur.* Concinit & *S. Auguſtinus*, cujus commentarius ſimplicior eſt lib. XII. cont. Fauſt. Manich. c. XXIII. *Videte, ſi non habitet Japhet in dominibus Sem, i. e. Eccleſiis, qvas filii Prophetarum Apoſtoli conſtruxerunt. Jam eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei; Ecce qvomodo dilatatur Japhet & habitat in domibus Sem.* Qvæ utriúsqve Eccleſiæ interpretatio non minus *verbis*, & *ſcopo*, qvàm *eventui* & *complemento* adprimè conſentanea, ipſis etiam *Ebræis*, *Mercerô* fatente, probata. Qvæ de *Judæis primis*, & *ultimis*, Immanuelem veneraturis, *mediis* autem ignominiâ affecturis, uti primus Sem, & ultimus Japhet extollitur, medius verò Cham ſervituti ſubjicitur, *Cyrillus Alex.* lib. II. Glaphyror. in Geneſ. adfert, *alluſionem* magis qvàm *explicationem* ſapiunt. *Theodoreti* verò interpretatio, q. LVII. in Gen. referentis *habitationem in tentoriis Semi* non ad *Japhetum*, ſed *ad Deum*, qvi *habitavit apud Patriarchas, & Prophetas, in tentorio, & templo Hiero-*

S 2 *ſoly-*

ſolymitano, *ac poſtremò in aſſumto carnis templo*, etſi præiverit *Onkeloſius* ex parte, *Habitet divinitas ejus in tabernaculo Semi*, ac ſeqvutus ſit *Lyra*, *Toſtatus*, *Mercerus*, *Füllerus*, lib. II. Miſc. c. IV. annuátqve *B. Waltherus* in Offic. Bibl. qvòd *Prophetia inſignis ſit de incarnatione Filii Dei*, & *prima definitio, ex qva ſtirpe naturam humanam aſſumpturus ſit*, *plauſibilis magìs*, *qvàm germana eſt.* Non enim de Semo, ejúſve prærogativâ hæc verba agunt, ſed de *Japheto*, & gratiâ ei exhibendâ: De *illo* jam abſoluta erat prophetia verbis prioribus: neqve ad eumdem regredi denuo Patriarcham, ſed de Japheto continuare benedictionem, clauſula de ſervitute Canaanis, qvòd huic etiam fratri ſubjiciendus ſit, ſolidiſſimè convincit, niſi dicendum ſit, eam eſſe tautologicam: *Dilatet Deus Japhet*, & *habitet* (*Japheth*, cujus mentio immediatè præceſſerat, & de qvo vaticinari cœperat Noah) *in tentoriis Sem*, *sitqve Canaan ſervus ejus*. Cujuſnam? *Japheti* utiqve, non *Semi*: de qvò jam v. 26. ſimilia prædixerat. Utriqve enim fratrum *Chanaan* ſubjiciendus erat: per qvem non *Diabolus*, ſed *Chami filius*, ejúſqve poſteritas, haud excluſô progenitore intelligitur. Ut taceam, qvòd Paraphraſis *Chaldaica divinitatem inhabitantem* facit: *Füllerus* eamdem explicans, *humanam naturam* Chriſti *Schechina* conſtituat: qvæ *habitaculum* eſt divinitatis, non *Schechina*, vel *divinitas ipſa inhabitans*; & qvæ alia ſunt inconvenientia in Angli hujus gloſsa. Qvapropter miſſam illam meritò facimus, & cum *reliqvo interpp. choro* propemodùm univerſo de *habitatione gentium in tabernaculis Semi*, vel populi Dei è Semo oriundi vaticinium accipimus; qvibus deniqve *B. Walther.* noſter etiam calculum addidit ſuum, *Hieronymi* ac *B. Luth.* probatâ ſententiâ, nec non *Merceri* confutatâ exceptiunculâ, qvòd ex *ex Semo etiam gen-*

ti-

tiles fuerint multi, nec pauci ex Chamo. Nimirum qvod promittitur Japheto, aliis non negatur: ſed tamen aliqva prærogativa in ea gentium vocatione Japheti poſteris parata erat. Etſi enim inter Orientales populos & Africanos etiam dilatata fuerit Eccleſia Dei, certum eſt nihilominus Chriſtianiſmum magis viguiſſe in partibus Aſiæ, & Europæ apud *Græcos*, & *Latinos*, qvi à Japheto ſunt orti, ut habet *Rivetus* Exerc. in Gen. LXIV. Addimus & apud Germanos. *Qvòd enim ex Dei miſericordia Germaniæ illuxit verbum Euangelii, id beneficiô hujus prophetiæ de Japheth fit*, B. Luth. dicente; *Itáqve hodiè impletur, qvod Noah tum prædixit. Etſi enim non ſumus de ſemine Abrahæ, tamen habitamus in tabernaculis Sem, & fruimur promiſſionibus de Chriſto impletis.* Qvod plenius *Oratione auſpicali*, & *lectione curſoriâ in Pſ.* CXVII. inſtituendâ explicabit *admodùm Rev. Præcellens, & Clariſſ.* DN. M. JOHAN. SIMON, *Fac. Phil. hactenus Adjunctus Senior, ac meritiſſimus, Scholæqve Oppid. Rector digniſſimus, jam Paſtor, & Superintendens Seydenſis Eccleſiæ, & Diœceſeos deſignatus.* Sed, ut pauca de ipſo verba faciamus, qvia multis non indiget, *eruditione, ac virtute propriâ refulgens, Dreſdæ* Patre *B. M. Euſebiô Simone*, ibid. ad D. Crucis Diaconô per annos benè multos eximiè meritô, procreatus, qvum in Patria primùm ſub domeſticis præceptoribus, tùm in Schola publica, imprimis, ſub optimo juventutis formatore, *Clariſſ. Dn. M. BOHEMO*, Phrontiſterii iſtius Rectore, deniqve ab Anno hujus ſeculi medio, in hac Acad. ſub Excellentiſs. Dn. Profeſſoribus egregiè in literis humanioribus, ac diſciplinis Philoſoph. profeciſſet, Magiſterii gradu, Brabeutâ *Dn. D. JOH. ANDR. QVENSTEDT, Theol. P. P. Ordinariô celeberrimô, hodie Univerſitatis Rectore magnificô, Dn. Collegâ & Compatre noſtrô conjun-*

ctiſſimô, cum laude ornatus fuit, annô Academici ſtudii tertiô. Nactus ita honores in Philoſophiâ ſummos non modò alios cum fructu docuit, eruditionémqve ſuam ulterius locupletavit in lingvis atqve artibus, imprimis ubi poteſtatem legendi, publicéqve diſputandi impetrâſſet, ut dignus judicaretur, qvi & *Schola Oppid.* A. 1656. *Con-Rector* præficeretur, donec *Rectoris* ipſi deferretur officium, & *Ampliſſ. Collegio Philoſ.* adſcriberetur. Qvæ dignitas Annô ſeculi hujus 56. Candidato noſtro collata non tàm ipſi decus conciliavit, qvàm ab eodem accepit; teſtantur id *Scholæ variæ*, qvas ad docendam Philoſophiam inſtituit, teſtantur *diſputationes publicæ*, qvas non rarò habuit, teſtantur *Scripta eruditè elaborata*, & imprimis *Metaphyſica*, qvam è Noſtra Onomatologia ſynopticè contractam uſui publico exhibuit, teſtantur Excellentiſs. Philoſophi, qvi ante qvinqvennium eum *Decanum*, & *Caput Collegii Ampliſſ.* habuerunt. Qvum verò Vir clariſs. neqve Scholis ſolùm natus videretur, & ſic *Philoſophiæ* ſeſe dederit, ut ad ſublimiora ſtudia, qvæ in S. Theologia ſibi pro ſcopo conſtituerat præcipuo, adminiculantem eam haberet, non ſolùm mutis uſus præceptoribus, αὐτοδιδάκτων more ſuis indulſit meditationibus, ſed audiendis Theologorum lectionibus publicis, freqventandis Scholis eorum privatis, diſputationibus variis ſubeundis, operam navavit ſedulam, atqve accedente crebriori cum Theologis converſatione, in meum cumprimis admiſſus convictum, ac Bibliothecæ uſum, exercitatos in Theologia ſenſus, ſolidámqve doctrinam ſibi acqviſivit: Qvam ἀσκήμασι non *privatis* tantùm ſub præſidio *B. D. Cunadi* & *Dn. D. Meiſneri* ante plures annos, ſed etiam *publicis* ſub jam dicto *Dn. Collegâ & Compatre noſtro honoratiſſimo*, de Merito Chriſti, nec non ſub meo

præ-

præſidio, binis vicibus, ſemel contra Arminianos, dehinc in vindiciis Biblicis Anti-Grotianis ita nobis demonſtravit, ut non cenſeremus eum ex eorum numero, qvi, qvod *Nazianzenô* monente *dici ſolet, audent* ἐν πίθῳ τὴν κεραμίαν μανθάνειν, *figulinam in dolio diſcere*, adeóqve promti eum admitteremus; & ad *facultatem Collegia Theologica* inſtituendi, qvæ cum adplauſu & fructu juventutis inſtituit, & ad *Præſidis* munus in Collegio Alumnorum ſubeundum, qvô ſuper articulos qvoſdam è *Smalcaldicis*, & è *Formulâ Conc.* qvater defunctus cum laude eſt. Qvin & committeremus ipſi jam *ante qvadriennium* eam provinciam, ut *Bergii Junioris Doct. & Prof. Francofurt. Calviniani*, qvi neqvidqvàm Parentem ſuum adverſus ſcripta mea defendere ſuſceperat, ſtrophas profligaret, qvod eximiè itidem ab ipſo factum, redactô ad ſilentium adverſariô. De *vita, ſanctâ converſatione* per hos XIX. annos, qvos hic exegit, traductâ, non eſt, qvod dicamus. Verſatur enim in luce publica, aliorúmqve *exemplum* eſt *illuſtre*. Qvæ cauſſæ egregiæ moverunt, & permoverunt *Sereniſs. & Potentiſs. Electorem Saxoniæ, Dominum & Nutritium noſtrum clementiſſimum*, ut *Viro excellenter erudito* nuperrimè *Paſtoratum, & Ephoriam*, qvam diximus, conferret; faciléqve induxerunt *Collegium noſtrum Theologicum*, ut qvum modeſtè hiſce diebus *gradum in Theologia ſummum* peteret, eidem, *qvia merebatur pridem*, ad Gymnaſmata, pro eo honore exantlanda, προθύμως poteſtatem concederet. Qvum ergò *craſtini horâ* IX. *in Acroaterio Majori Oratione ſolemni*, ex more, auſpicaturus lectionem ſibi præſcriptam ſit, *Magnificum Dn. Rectorem, perqvàm Generoſum Dn Præſidem judicii Electoralis aulici, Patres item, ac Cives Academicos*, reverenter & amicè rogo, ut

optimè merito Dn. Candidato non minùs, qvàm *toti Collegio noſtro*, qvi id honori noſtro ducemus, faveant freqventiâ, Deúmqve *ut huic Noſtro benedicat, ſimilia Eccleſiæ excitet organa, eámqve adverſus inferorum portas tueatur* nobiſcum adorent: officia reciproca, qvæ ſi reddere potero, recipiens paratiſſima. P. P. *ſub ſigillo Collegii Theologici* Domin. II. p. Epiphanias feſtum Annô Chriſti cIɔ Iɔc LXIX.

V.

JOSUÆ ARNDI
P. Cæſar.

DIATRIBA,
DE
MYSTERIO TRINITATIS
è Scriptis Rabbinorum veterum
pro Orthodoxia
Contra Chriſtomachos Nov-antiqvos;

AD
VIRUM ILLUSTR. AC GENEROSUM
DN. FRIDERICUM à METSCH.
ΑΠΡΟΣΩΠΟ
ΛΗΠΤΩΣ

ILLUSTRI ET GENEROSISSI-
MO DOMINO,

DN. FRIDERICO à METSCH,

IN *REICHENBACH* ET *FRIESEN* HÆ-
REDITARIO &c. S. ROM. IMPERII
ARCHITHESAURARIO, SERE-
NISS. ELECTOR. SAXON.
A CONSILIIS SUPREMIS,
PROTO-SYNEDRII
ECCLESIASTICI
PRÆSIDI,

adeoqve

SAXONIÆ PRIMATI
IN
FIDELIS CULTUS INDICIUM
ATQVE OBSEQVIUM

L. M. Q.

UT
DOMINO MEO INDULGENTISSIMO
ET HEROI INCOMPARABILI

DO, DICO, CONSECROQVE;

JOSUA ARNDIUS
P. CÆSAR.
MECHLEBURGENSIS,
A. O. R.
cIↄ Iↄc L.
Menſ. Octobr.
WITTEBERGÆ.

B.

B. C. D.

BReviter & perſpicuè res pertractare, ut meretur inſignem laudem, ita & hìc à me attenditur. Notum itaqve eſt omnibus & vetuſtiores unanimi conſenſu, & recentiores forti conatu cùm è Scriptura V.T. tum & è ſcriptis ſanorum Judæorum Myſterii Trinitatis explicitam in V.T. cognitionem conſtanter, fervidè nonnumqvàm ac ſolidè aſſeruiſſe, atqve in hanc uſqve horam ſimplici veritatis ſtudiô oſtendere atqve demonſtrare; & hos qvidem ab Ebrææ litteraturæ ſcientia viros ita inſtructos, ut laudem hanc detrahere illis nemo niſi injuſtus obtrectator poſſit aut debeat. D. Chriſtoph. Helvicus vel unus ſufficiat, Tom. IV. diſp. Gieſſ. p. 239. & præcedd. Cl. Dn. D. Dorſch. Diſſertat. de nomine יהוה. Contra hunc poſteriorem recenti ſcriptô & aliàs doctô laudatóqve V. Cl. Dn. Hackſpan. Tract. נצחון Lipmanni p. 382. & ſ. multa congeſſerat, diúqve ſeſe torſeat de vocibus מימר & ריח הקדוש & שכינה ut oſtenderet aliter uſurpari apud Judæos, atqve noſtri Theologi paſſim vulgò velint accipi; cùm ecce tandem σκύθης ἀπὸ τȣ̃ ὄνȣ §. CXXV. ad ſeſe redit dicam, an à ſeſe deficit? & ſic ſeſe oppugnans ipſe claudit: *Forſan antiqvitas Judaica aliter intellexit, qvàm Judæi hodierni* &c. p. 371. optimè! Et tamen ne inſignis Theologus D. Dorſcheus Ebrææ ſcientiæ

tiæ laudem præripiat Philologo, mox cogitur audire Semi-Ebræus, p. 362. Hi ſunt mores eorum, qvi hodie componere volunt religionis diſſidia, & omnia *ſolidè* ac firmiter contra hæreticos adſtruere atqve proferre.

II Plura melioráqve in contrarium adducta nondum vidi, ita ut firmô rectóqve talô adhuc ſtent veritatis adſertæ rationes ac argumenta, qvæ ſunt: 1. Rabbinorum dicta S. Scripturæ juxtà nobiſcum rectè explicata. 2. Trina nominis repetitio. 3. Meſſiæ & Sp. Sancti mentio. 4. מרות & פנים 5. קול, מימר, & רוח apud Galatinum, אב אלהים & בן אלהים & רוח הקדוש אלהים, & porrô שלושה באחד & אחד בשלושה 6. Geminatio יהוה אלהים & יהוה מיהוה in Midr. Tehil. Pſalm. L.

III. Clariùs qvidqvàm poſſe proferri, vix videtur. At, inqviunt, multa eorum hodiè non comparent? Qvid tùm? An ideò numqvàm fuerunt? Imò verò id agendum erat, ut pertinaces Judæi viderent, defeciſſe ſe à fide majorum ſuorum non adeò veterum. Initiô itaqve tenendum: Veteres Rabbinos de Deo, Trinitate & Meſſia piè docuiſſe poſteà verò recentiores odiô inexpiabili omnia illa veterum teſtimonia vel obſcuräſſe vel celâſſe vulgum, vel deleviſſe. Qvæ omnia in ſeqventibus clariſſima in luce exhibemus.

IV. Trinitas enim Ebræô idiomate dicebatur שלישית in Chagig. c. 11. narratur, ambulâſſe R. Joſe הכהן & R. Johannem בן זכי & accidiſſe ad illos בת קול מן השמים qvæ dixerit, עלו לכאן עלו לכאן (Adſcendite adſcendite) טרקלין גדולים מוכנים לכם ומצעות נהולות אתם ותלמידיכם i. e. palatia magna vobis parata ſunt & ſplendidæ ſedes, vos & diſcipuli veſtri מזומנן לכת שלישית i. e. ſedebitis IN CONSPECTU TRINITATIS. Qvid poteſt ſolidius opponi Judæo, qvàm teſtimonium domeſticum,

ſticum. Vult negare? En apertam vim! Baba Mezia, c. VII. de loco illo Gen. XVIII. I. R. Joſua בן לוי illos שלישה אנשים exponit, fuiſſe הקדוש ברוך הוא imò addit ſignanter, יהוה fuiſſe. Adhuc tergiverſatur Judæus? Oppono librum ברכות c. מאמתי Ubi R. Elieſer ait: הקבה כל העולם כלו לא נברא אלא בשביל זה i. e. Deus creavit mundum, non niſi propter vocem *Seh*; qvæ per ſpeciem Cabalæ numericam notat XII. qvot ſunt literæ in Trinitate, אב בן ורוח הקדש Et idcircò addit R. Abrah. ibidem, שקול זה כנגד כל העולם כלו i. e. vocula *Seh* plus habet ponderis qvàm totus mundus. Hæc ita ſunt perſpicua, ut qvem dextra Dei non excæcavit, poſſit ſatis pervidere.

V. Accedit tacitus conſenſus Gentium, ad qvas hæc myſteria peregrinatione Philoſophorum pleraqve omnia fuerunt devoluta; qvibus numerus Ternarius ſacer eſt. Æmilius Macer, lib. V. *Numerus ille ſacer eſt.* Auſon. Griph. dicitur, eſſe *ſuper omnia.* Polluc. lib. VI. c. II. τέλειος ἀριθμὸς dicitur. Phurnutus τελειότητα τῆς τριάδος eſſe dicit. Plutarch. Symp. lib. IX. Qv. III. ὁ πάντων ἀριθμῶν τέλειος πρῶτος. Ariſtot. de Cœl. lib. I. c. VII. ait, Pythagoreos docere, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα ΤΡΙΣΙΝ ὥρισται. Unde id niſi à Judæis habebat, qvibus interfuerat aliqvamdiu? Hinc in ſacris omnia Trina & tergemina. *Anatolius*: Εὐχαὶ καὶ σπονδαὶ τρεῖς γίνονται. Hinc & Jamblich. vit. Pyth. lib. I. c. XXVIII. ait, Apollinem ἐκ τοῦ τρίποδος μαντεύεσθαι. Inde tot Tria, apud Photium, καὶ νοῦς ἡ τριάς, καὶ εὐβουλίας καὶ συνέσεως αἰτία. Pythagorei Δίκην τριάδα ἐκάλουν apud Plutarchum. Anonymus ſcribit, εὐβουλίαν & φρόνησιν & εὐσέβειαν dici etiam τριάδα. *Auſonius*: Ter Deus unus. Hæc obiter. Ad Judæos.

VI. De Filio Dei coæterno, ut loqvuntur Theologi, ſic Judæi veteres, liber ראש השנה cap. I. ומצליין

ומצליין לחיא מלכא ובנותה & adoratis vivum Regem i. e. Deum cum Filio ſuo. Hunc liber יצירה ſemit. XII. §. III. vocat דבור τ̃ λόγον Joh. I.

VII. De Spiritu Sancto, ejuſdem eſſe eſſentiæ lib. ברכות è Pſalm. XLV. סומך יהוה ait R. Nachman: David vidit ruinam Iſraëlis, ideò convertit ſe ad Spiritum S. & vocat eum Jehovah הכי חזר דוד וסמוכה ברוח קדש שנאמר סומך יהוה Ampliùs? Habe Librum יצירה Semit. XIII. qvi Pſalm. XXXIII. nobiſcum explicat & addit R. Aaron Cabbaliſtam idem feciſſe *p. m.* XXXVII. *edit. Rittangel.*

VIII. Adde librum ברכות c. v. de loco I. Sam. I. 13. cùm Anna Eli reſpondet לא אדני ſic explicatur à R. Hamenun לא רוח הקדוש שרה עליך i. e. Non qvieſcit ſuper te Sp. Sanctus. Imò ait Philologus Altorffinus, id de dono accipiunt Judæi non de perſona, ὑποστατικῶς ſenſu Chriſtianô. Qvid ita qværſo? Qvia ſunt loca aliqvot, in qvibus vox רוח ſic accipitur. Qvid tum poſteà? Ajo ea loca docere, donum illud à Sp. Sancto τῷ ὄντι emanare ac ab eodem provenire. Vis rei Veritatem? Ecce eam! Sib lib. יצירה p. m. XXXVI. אחת רוח אלהים קול ורוח ודבור והוא רוח הקודש: & addit, principiô carere & fine his verbis: לראשתן אין חקר ולאחריתן אין תכלית

IX. Ulteriùs è Myſterio סוד מרכבה עליונה nihil elicitur aliud, neqve ipſi Rabbini qvidqvàm ipſo aliud docent qvàm *Tres Exiſtendi in Deitate Modos* ut illi loqvuntur & Trinitatem in Unitate, qvibus verbis שלישית מלך utitur R. Iſaſchar libr. אמרי בינה præfixô carmine, & R. Abraham, lib. יצירא & R. Akiba, qvi locum Geneſ. I. 2. de Spiritu S. ſenſu omnino Chriſtianô exponunt; Verba ſunt loc. cit. p. m. 40. ממני נכראו המים והייני סוד Et hoc, inqvit, eſt myſterium Gen. I. 2. רוח אלהים Poſtremò ne qvid dubites, dicitur expreſsè, in gre-

gremio abyſſi Divinæ Eſſentiæ בחק האלהים דבר אחר unum eſſe.

X. Vocant & hoc myſterium כתר עליונם coronam ſummam lib. יצירה & alibi ſæpiuſculè. Et mox ibid. Moſeh Botril. fol. 54. col. 4. per tres illas voces היה הוה ויהיה, Fuit, Eſt, & Erit, innuit Trinitatem. Qvam / בא in Uno ſeu Unitate conſiſtere ait Tykun p. m. loc. cit. 56. Sic & ibid. *Semit.* XII. dictum Gen. I. 26. נעשה verbum pluraтivi numeri nobiſcum & cum Antiqvitate de myſterio hoc explicabant Rabbini. Patres cupis? Habe! Baſil. M. lib. IX. Hexaëmer. Ἀκούεις ὦ χριστομάχε (notetur!) ὅτι τῷ κοινωνῷ τῆς δημιουργίας προσδιαλέγεται, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. Et mox: Τίνι λέγει, κατ' εἰκόνα ἡμετέραν; Τίνι ἄλλῳ γε ἢ τῷ ἀπαυγάσματι τῆς δόξης. Et è v. 26. ויברא argumentatur: Ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐποίησαν. Ἔφυγεν ἐνταῦθα τὸν πληθυσμὸν τῶν προσώπων, ὅτι ἐκείνου μὲν τὸν Ἰουδαῖον παιδεύων &c. Judæi enim jam tum degeneres facti explicabant odiô Chriſtianorum, hæc dicta eſſe ad Angelos. [Qvi tamen ipſi libr. תקוני זהר rectius exponunt, Cauſſam Cauſſarum dixiſſe hoc ad Seſe, ל'יוד ה'א ואו ה'א qvem ajunt eſſe eum, qvi apud Eſa. XLIV. 6. ait אני ראשון אני אחרון] Epiphan. Hær. XLVI ait, Adam eſſe factum manu Patris & Filii & Sp. Sancti, κατὰ τὸ γεγραμμένον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου πατρὸς πρὸς τὸν υἱόν, ὅτι ποιήσωμεν &c. Et Ancorat. §. XXVIII. contra Arrianos, οὐκ ἔλεγε κατ' εἰκόνα μου, οὐδὲ κατ' εἰκόνα σου, ἀλλὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μίαν οὐσίαν ἐδήλωσε καὶ θεότητα. Sic & Baſil. Seleucienſis, Orat. I. Τριάδα μὲν ἐμφαίνει τὴν πλάττουσαν, μίαν δὲ εἰκόνα τῆς τριάδος ὑπάρχουσαν. Anaſtaſ. Sinaita de v. 26. ויברא ait, θεὸν δὲ λέγει δηλονότι τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. Hilar. Pictav. V. de Trin. ſic egregiè diſſerit. Deus qvi loqvitur, ad Deum loqvitur (*ut & ſuprà lib.* זהר *expoſuerat*) Ad Patris

tris & Filii imaginem homo conditur. *Et mox:* Nemo Filio dictum denegat, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Ita qvoqve Auguſtin. lib: XII. de Trinitat. c. VI. & VIII. Ita etiam Fulgent. de fide c. I. Cùm in ſingulari numero dicit *imaginem*, oſtendit, unam Naturam eſſe, ad cujus imaginem homo fieret; Cùm verò dicit pluraliter, *Noſtram*, oſtendit, eumdem Deum non Unam eſſe perſonam. Si enim in illa Natura una Patris & Filii & Sp. S. una eſſet Perſona non diceretur: Ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem meam, nec dixiſſet, *Faciamus*, ſed *Faciam*. *Et claudit:* Una Sanctæ Trinitatis eſſentialiter Divinitas intimatur. Sic uno ore Antiqvi: & hi omnes contrà Judæos minùs ſolidè argumentati ſint? Imò ſolidiſſimè, qvia ſic ipſi Judæi, ut hìc videmus ex eorumdem ipſiſſimis ſcriptis.

XI. Qvi non tantùm è clarioribus ſed & obſcuriſſimis Script. Sanctæ dictis Trinitatem elicere ſtudent, ipſi potiùs minùs ſolidæ accuſandi interpretationis. Sed eò meliùs firmiúſqve contra eos negantes jam procedimus. Sic itaqve è *Pſalm.* LXXI. his verbis כי בי חשק exterebrant Triunitatem per כתר חכמה בינה ראשי תיבות ita ut ϐ כי in Pſalmo denotet כתר, ϐ בי notet בינה ϐ חשק notet חכמה. Tribus autem hiſce adpellant τὴν τριάδα. R. Schafti ait: Has tres voces eſſe ſummè Unum חשובות כאחת: Vocatúrqve illud dogma ubiqve & ſemper סוד i. e. Myſterium. Et חוק Eſſentia, אצילות Emanatio, מציאות.

XII. Porrò Eod. libr. יצירה Semit. XII. diſputatur contra Anti-Triunitarios & hodiernos Judæos degeneres patrum ſuorum filios multis verbis de Unitate, de Centro, de Emanatione, qvomodo ea innovationem aut mutationem nullam Eſſentiæ Deitatis afferant. Qvid qvòd & lib. ילקוט locum

Gen.

Gen. I. 21. exponit de Meſſia, ſic ut dicat; Eſſe eum Spiritum Meſſiæ, זה רוחו של משיח i. e. Hic eſt Spiritus Meſſiæ, qvaſi velit qvodammodo proceſſionem; qvam aliàs voce מציאות deſignavit; adumbrare. Sed ad clariora.

XIII. Apertiſſimus eſt locus lib. יצירה qvem citat lib. גלוי c. IV. v. his verbis: יהוה הוא אלהי מוליד ולפי שלא יכול להיות מוליד בלי מיולד ראוי הוא להשתאף האהבה מהמוליד למיולד ולהפך מן המיולד למוליד: i. e. Jehova denotat Deum genitorem, cùm autem Genitor abſqve Genito eſſe neqveat; neceſſe eſt amorem i. e. Sp. S. conjungere Genitorem cum Genito & Genitum cum Genitore. Et additur loc. cit. Genitorem & Genitum mediante Sp. S. fieri unam eſſentiam, verba ſunt: המוליד והמיולד היות עצם אחד Diciturqve in fine clariſſimè omnium: Unum in Tribus & Tres in uno Verba habes: שלשה באחד אחד בשלשה.

XIV. Atqve hæc omnia παρέσαδόλως ſcribi à Judæis ſanioribus docet Paraphr. Onkelos, qvi Tres Deitatis Exiſtendi Modos per יהוה & מימרא יי/ & שכינתא eôdem modô expreſſit, uti hactenus Eccleſia noſtra contra Judæos, id aſſeruit, aſſerit ac defendit, neqve qviſqvam id impugnavit, præter Arrianos & Judæos ac χριστομάχους reliqvos, ut ſuprà nominabat S. Baſilius. Qvæ enim exſtant loca, ſunt expreſſiſſima, qvalia ſunt hæc citata à Rittangelio V. CL. & eruditionem ſuam ad gloriam Dei laudabiliùs altero Philologô illo rectiúsqve magnaqve ſua cum laude exſerente, Primò qvidem de יהוה Geneſ. XVIII. I. Exod. XIX. II. 20. Num. XI. 25. Gen. XX. de מימרא יי/, ſecundò, Gen. XXXI. 48. Exod. II. 25. ubi ſignanter addit ut Commentator, dixiſſe Deum יהוה in verbo ſuo velle ſe eos redimere במימריה Exod. XVI. XIX. & Geneſ. XXI. 33. ubi textus ait, Abraamum oraſſe in nomine יהוה

expl. Paraphr. addítqve / בשם מימרא דיי in nominé verbi Dei. Qvæ verò contrà objiciuntur, Chaldæum etiam vocem דבר יהוה vertiſſe per מימרא, & & ſic qvemvis ſermonem non τὸ ὑφιςάμϑμον qvid denotari aut τὸ ὑποςατικὸν, ut nos loqvimur, ea locis Gen. XXIIX. 21. Deut. IV. 24. & c. I. 30. Num. XIV. 31. Deuter. XXXI. 6. &c. revicta ſunt, ita ut invictum maneat, vocem מימרא pro termino theologico jam inde ab Abrahami tempore eſſe acceptum, ut ut contraria exempla in medium afferre nitatur CL. Hackſpan. Qvi p. Nizach. 366. docet, Genus loqvendi eſſe Chaldaicum, idem exprimens qvod עצם & נפש apud Ebræos & Rabbinos. Addítqve loca Amos. VI. 8. & Exod. VI. 8. ubi Chald. ait, Deum jurâſſe per מימריה id qvod ipſe putat pugnare cum Epiſt. Hebr. VI. 13. καθ' ἑαυτῦ, mirâ oſcitantiâ, qvaſi Filius hôc modô dicatur major eſſe Patre. Qvæ omnia, ut ſuprà dixi, & ipſe p. 381. deſerit, & præterea de particularibus demonſtrata univerſalitati locutionis de Deo & Meſſia, qvam nos urgemus, nihil derogant. Tertiò de שכינה ſeu שכינתא Loca ſunt Chald. Gen. IX. 27. Exod. XVII. 7. XV. 17. XXXIII. I. Num. XI. XIV. XVI. &c. Qvod objicit CL. Hackſp. de Dono, & Majeſtate, id cum locis illis Exod. XVII. XXXIII. XXXIV. 9. & aliis, ubi Ebr. יהוה vertitur per שכינה Sic & Num. XI. 20. dicit textus יהוה Habitare in medio. Chald. ait, מכינתיה & Num. XIV. 42. Ebræus textus, Jehova non eſt in interiori veſtro, Chald. ait, / שכינתא דיי ſic Num. XVI. I. Ebræus, in medio eorum יהוה Chal. / שכינתא דיי. minimè convenit.

XV. De Judæis recentioribus, qvos de שכינה adducit CL. Hackſp. mirum nihil eſt, & profectò ſingulare eſt, nolle contentum vivere teſtimoniô veterum pro veritate, ut potiùs placeat recentiorum

rum colligere latratus in veritatem. Ut itaqve qvomodo in horum degenerum filiorum ſcriptis ſit verſandum, & qvibus technis veterum lucem obnubilare ſtudeant, adpareat, pauca addam huc facientia.

XVI. Cod. Jeruſch. fol. 49. R. Simlai interrogatus ab המינים aliqvot, qvid ſibi vellent, duo illa conjuncta אל אלהים & יהוה הוא יודע ſcil. annon per & הוא Unitas & per אלהים, אל & יהוה Trinitas innueretur? reſpondit Vulpes R. Simlai, non poſſe id conſiſtere, ſed ſeqventem vocem הוא Perſonæ & Eſſentiæ unum declarare; (Notet Lector ſemper ex hac conſtructione myſterium Triunitatis eſſe aſſertum ac probatum, qvod hæc exempla cuncta liqvidò docent) Aliàs enim dicendum fuiſſe הם יודעים Verba ſunt: אמר להם מי כתיב הם יודעים יודע כתיב: Addens, qvòd Deo Tria nomina aſſignentur, id fieri etiam apud homines, ut uni rei tria nomina imponantur, e. g. βασιλεὺς, Cæſar, Auguſtus dicitur Imperator, unus tamen homo. Verba ſunt: א'ל' שלתן שם אחד הם כאנוש דאמר בכל יום בסילייאוס קיסר אגוסטוס: Porro המינים è Pſalmo L. 1. hæc verba eidem objiciunt אל אלהים יהוה דבר ויקרא ארץ: Reſpondet ille, ſimiliter unitatem innui, qvia non ſit ſcriptum דברו ויקראו Verba ſunt: מי כתיב דברו ויקראו. Sic enim dicendum fuiſſe, ſi plures unâ eſſent Perſonæ. Inſtant illi & locum Joſu. XXIV. 19. objectant אלהים קדושים הוא annon ibi & הוא unum & אלהים קדושים plures Perſonas denotet? reſpondet ille & ſuâ chordâ oberrat, מי כתיב הם הוא כתיב i. e. Cur non ſcriptum eſt הם ſed הוא. Redit itaqve huc miſeri reſponſio, plurativa omnia eſſe debere nihil in iſtis locis ſingulum. Sed diſſimulat neqvàm, & הוא & ſingularia illa ſimilia unitatem denotare, qvod prius infringere debuiſſet perverſus Diſputator. Qvi ita non agunt

Judæi, involvere ſolent miris nebulis, qvod negari non poſſe vident.

XVII. Nam cùm vident convictos ſeſe jam ſat eſſe de præterlapſo tempore venturi Meſſiæ, confugiunt ad fulmina, & vetant ſcrutari annorum vices. Maimon. in יד חזקה Tract. תשובה c. ult. Sect. II. לא חשוב הקצים Et mox: תפה רוחם של מחשבי הקצים i. e. expirabit animam, qvi ſupputat tempora. Gemara Sanedr. c. XI. §. XXXIX. ita effert: תיפח עצמו של מחשבי קיצין.

XVIII. Sic & doctrinam de Meſſia Veteres, iíqve ſaniores, Judæi qvàm doctè & piè nobiſcum è Scripturæ locis invictis demonſtrant atqve docent! Qvàm peſſimum acetum vini optimi, recentiores miris modis infuſcant & obſcurant! Id qvod vel ideò hìc ſumus planum reddituri, qvandoqvidem videmus neceſſariò reqviri contra eos, qvi in ſua hypoſtaſi adparuiſſe Dei filium in V. T. apertè negant. Ecce itaqve locum illuſtriſſimum in Joma Jeruſchalm. de Simeone, qvi per XI. ann. Pont. Max. ultimô annô בשנה אחרונה dixit: Vidiſſe ſe unum virum ſenem candidatum ſemper in ſanctuarium ingredi, id qvod non feciſſet illô annô, ideóqve ſe moriturum. בשנה זו אני מת: de viro illo ſonant verba: זקן לבוש לבנים ועטוף לבנים Cúmqve Rabb. Abhu diceret, ſcriptum eſt, nemo præter Pont. M. ingredietur; reſpondet R. Simeon; non dico hunc *hominèm* tantùm fuiſſe ſed & verum *Deum ac hominem* i. e. θεάνθρωπον. Verba ſunt מא"ל דהוה בר אנוש בר אנש אני שומר הקרוש ברוך הוא היה Additqve Rabb. non nudum hominem ſed Deum ac hominem notare אין פירוש בראגוש אדם משש אלא דמות הקרוש ברוך הוא יתברך: Et ſic exponunt nobiſcum locum Gen. XXXII. 24. de τῷ איש luctante cum Jacobo. Qvin & locum Hiob. XIX. 26. vocémqve מבשרי in carne exponunt, lib. ברכות c. מאמתי de aſſumpta humana Natura

tura Chriſti. Et libr. זהר cùm ſermo fuiſſet de יהוה אחד ושמי אחד Deo uno, mox ſeqvitur, unitas qvæ in terram venit, etiam illa unitas eſt, qvæ in cælis manſit, qvod de Unione Duarum Naturarum accipit Judæus converſus in גלוי Libro. Verba ſunt: : ייחודא דלחאה ייחודא עלאה Imò verò & locum Jer. XXIII. 6. de יהוה צדקינו nobiſcum exponunt, & per ה״ יהוה, qvod nomen Eſſentiam Dei exprimere ajunt, Meſſiam intelligunt. Si hoc, utiqve & clarè ſatis pluralitatem Perſonarum, atqve illud. Vide verba! Lib. ברכות c. מאמ תי fol. 16. Deus ait ad Moſen: : לך אמר להם אהיה שלחני עליכם i. e. Ehieh mittam Vobis. Lib. Bava Batra c. II. docet, Tribus convenire nomen ה״ יהוה Piis, Jeruſalem & Meſſiæ. De Meſſia citant locum ipſiſſimum Jerem. XXIII. 6 דכתיב וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקינו Ulterius? Eodem modô ſenſu omnino Chriſtianô nobiſcum capiunt locum Pſalm. II.7. de æterna generatione Filii. En tibi verba: libr. Suca c. V. תני רבנן i. e. *Docent Rabbini noſtri*, ex qvo diſce, ſic *πα-ραδεδότως* continuä ſucceſſione docuiſſe in V. T. Doctores Judaicos. Nam hoc ſemper innuit formula תנו רבנן Pergant igitur : משיח בן דוד אמר ליה הקדוש ברוך הוא בני שאל מה אתה מבקש ואני יתן לך i. e. Meſſiæ ben David dixit Deus, Filius meus tu, qvidqvid petes, dabo tibi. Ampliùs. Illa qvoqve ילידתיך היום Hodiè te genui ſic interpretantur : בני שאתה לבריות אגלה היום Qvæ omnia evincunt, explicitè eos crediſſe & clarè ſatis ſciviſſe pluralitatem Perſonarum, imò ipſam *τὴν τριάδα*, Meſſiæ *θεανθρωπίαν*, ut ſic dicam. In qvo me confirmat, qvod & Paſſionem ejus & per eam liberationem Iſraëlis crediderunt & manifeſtè docuêre. R. Alſchech Eſa. LIII. 4. ait ſuſcipere eum in ſe pœnas mundi על יד זכית סיבלו ייסורין על ישראל Qvid qvòd & Abarban. Eſa. LII. . è Pſalm. VIII. 7. aſſe-

T 3 rit,

rit, ſuprà angelos iri evectum וגבה ממלאכי השרת׃ Aliàs & paſſionem Meſſiæ pro peccatis Iſrael Libr. כפס חים c. x. vocant חבלו של משיח Et R. Alſchech Tres numerat afflictiones magnas. 1. לדוד 2. לדוד של גזרה & 3. למלך משיח Locum Eſa. IX. nobiſcum non de Hiskia ſed de Meſſia interpretantur. Lib. סנהדרין c. x. R. Joſeph, ſic eos refutat, qvi id velint negare: Hiskias primô templô ſtante vixit, at verò Zacharias prædixit, venturum Meſſiam templi ſecundi tempore. Vis verba? Lege! חזקיה אימת הוה בבית ראשון ואלא זכריה קא מתנבא בבית שני׃ Qvin & & locum addit, qvem Lucas c. 1. citat ואמר גילי מאוד בת ציון וכו׳ *qvæ ſunt ipſa verba loc. cit.*

XIX. Qvæ omnia clarè docent, θεάνθρωπον crediſſe vetuſtos Judæos fore Meſſiam ſuum, & ſublaturum peccata ſua, & coæternum cum Patre eſſe ratione Deitatis, & ratione humanitatis evectum iri ſuper Angelos Pſ. VIII. 7. Dan. VII. 13. 14. Jam & addere facilè poſſemus, qvomodo ea omnia obfuſcârint partim negando veniſſe tempus Meſſiæ, partim docendo, ſeſſurum eum inter leproſos, partim alias cauſſas ſui exilii fingendo. Concil. Menaſſ. Gen. XLIII. Cod. סנהדרין p. 359. ed. Coch. vocatur חיורא דבית רבי *leproſus de domo Rabbi.* Et Gemar. Sanhedr. ait, ſeſſurum eum inter סובלי חלאים Et obſcurè Jacchiad. ad Daniel. VIII. 14. tempore Meſſiæ, לא ישובו לחטוא *Non redibunt ad peccata*, ſed שם יתמו ואז ימותו כל צרות ישראל׃ *Tunc conſummabuntur & morientur omnes anguſtiæ Iſraëlis*, ſed id nihil eſt opus.

XX. E qvibus poſteriorum Rabbinorum lividis & impiis obſcurationibus rei à vetuſtioribus clarè & perſpicuè traditæ contra ipſam veritatem non eſt argumentandum; qvin potiùs ex hiſce illorum impetus nefarii retundendi, & qvàm miſerè præfractéqve errent, oſtendendum. Qvemadmodùm qvi-

qvidem breviter & παχυμερῶς me factitáſſe hìc qvidem ſcio, attamen ita id clarè perſpicuéqve ſpero, ut nemo ſit negaturus facilè, & è dictis ſolius V. T. Judæos & ex eorumdem Doctorum Commentariis *ſolidè ac evidenter* Myſterium Trinitatis Perſonarum monſtrari atqve evinci poſſe, tum & Filium Dei in V. T. in propria ſua hypoſtaſi apparuiſſe, qvod e priori fluit manifeſtò, & vel ſolo τῷ / מימרא דיי qvô rectè ſcribit Cl. Dn. Rittangel. ad abſurdum & deſperationem ſe adegiſſe Judæum, ſolidè luculentérqve additô ipſorummet Rabbinorum calculô confirmari atqve obtineri poſſe. Qvod uti veriſſimum eſt, ita & verum manebit, qvidqvid fortè pauci Græcorum Patrum & retrimenta Scholaſticorum contrà ſcriptitent aut ſibilent. Τὸ δὲ ἐῦ νικάτω. Dominus Jeſus Jehova juſtitia noſtra confirmet nos in veritate, & illuminet cæcas noſtras mentes radiô virtutis ſapientiæqve ſuæ propter nominis ſui gloriam! Ἀμήν.

Ναὶ ἔρχου κύριε. Ἀμήν.

S. D. G.

AD AUCTOREM

hujus Diatribæ Amicum ſuum neceſſarium ſcribeb.

THEOPHILUS PACIUS,

Conſtantienſis.

NOndum animo ſatis eſt? Iterum deſcendis in æſtum?
Atqve Palæſtinas cupidè percurris arenas?
Ut vero pandatur iter, qvà Livor obumbrat,
Et ſepem prætendit agris, atqve obice curſum

Siſtit, & exoſis agitat myſteria tricis?
Perge viam, qvam rara diu Conſtantia trivit,
Qvaqve aliàs timidæ delibavêre qvadrigæ.
Hâc ſacer Iſacides, hâc maximus ivit Abramus,
Perſpicuáſqve notas Domini impresſſêre vetuſti.
Sic docuêre ſuos, ſic inſtituêre Magiſtri,
Dum vigor antiqvus, dum res Judaica ſtabat,
Invidiâqve carens plebem doctrina fovebat.
Iſta fides veterum eſt; Hæc lux illuſtris in ævo
Fœderis antiqvi ſummos perſtrinxit & imos.
Hic pharus, hæc fax alta fuit, qvæ vela regebat
Credentum, qvæ ſaxa animæ evitare monebat,
Donec in æternos intrarent carbaſa portus.
Omnia plana facis. Videat Judæus & optet
Jam pia retrorſum credendi invertere vela
Et veteri antennas iterum committere navi!
Qvidqvid Abarvanel, qvidqvid ſparsêre Menaſſæ,
Atqve alii paſſim ſucci loliginis atræ
Perſpicuis qvondam falsò affricuêre libellis,
Ad Soles, ô amice, tuos, gentíſqve Priorum
Ut cera ad flammam totâ compage liqveſcit.
Hic ſcopus eſt, Judæe, pius! Sic aurea Virtus,
Si qva eſt, & veram repetens ſapientia metam,
Sic ſua diſpenſat cælo ſub judice ſacra.
Hic finis ſapientis opum eſt, hæc creta laborum,
Huc tendit qvicunqve Dei eſt. Confide, fidelem,
Sit tenuis licèt, exſpectant cæleſtia ſervum
Præmia, perpetuúmqve vireſcet in æthere virtus.

VI.

VI.

DISPUTATIO HISTORICA
DE
COLUMNIS SETHIANIS,

qvam
In Florentiſſima Leucorea,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Maximè Reverendi, Ampliſſimi & Excellentiſſimi,
DN. ÆGIDII STRAUCHENS,
S. S. Theolog. Doctoris, & Collegii Theologici Aſſeſſoris Graviſſimi, nec non Hiſtoriarum Prof. P. longè Celeberrimi,
DN. Præceptoris, Patroni, Hoſpitis ac Conſangvinei ſui omni honoris & obſervantiæ cultu æternùm devenerandi atqve colendi,
publicè Eruditorum Examini ſiſtit
A. & R.
M. ÆGIDIUS STRAUCH,
In Auditorio Majori
d. 10. Julii Annô 1669.
horis matut.

VIRO EXCELLENTISSIMO

DN. AUGUSTINO STRAUCH,

COMITI PALATINO CÆSAREO,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxonici

CONSILIARIO INTIMO,

EJUDEMQVE SERENISSIMÆ CELSITUDINIS

AD COMITIA IMPERIALIA RATISBONENSIA

LEGATO SPLENDIDISSIMO,

DOMINO PATRONO AC PATRUELI SUO

OBSERVANTIA FILIALI PERPETIM COLENDO

SE SUAQVE OMNIA SACRA ESSE JUBET!

EXCELLENTISSIME DOMINE,

NOn ægrè feres, qvod humillimè expeto, exiguis hiſce chartis ſplendidiſſimum Nomen Tuum præfixum legi, ſed condonabis ob ſangvinis neceſſitudinem, qvæ Tecum mihi intercedit, ſi qvid audax nimium peccavero, dum officioſus volui videri. Scilicet dum recordor maturè, qvòd habeam, qvos ſeqvar, nihilqve me dedecere magis, qvàm laudatiſſimis Majorum meorum

orum veſtigiis non ubiqve inſiſtere, qvò ire licet, pergo alacriter auſcultando Præceptoribus meis Optimis, qvos in hac Inclyta Leucorea ſum nactus, coqvendo iterum animæ pabulum, qvod à Tantis Magiſtris accepi, ut vertatur tandem in ſuccum & ſangvinem mentis meæ, periclitando deniqve ingenii vires, & qvid Muſarum dapibus expletus valeam. Ita tempus tranſigere ſoleo in Celeberrima Leucorea. Atqve hoc ipſum teſtabitur, niſi fallor, præſens meum Academicum ſpecimen, in qvo oſtendere laboro, fruſtra nonnullos, ut eruditionem primi orbis cognoſcant, Sethianas Columnas qværere, qvæ nullibi niſi in Utopia collocatæ mihi videntur, vel ad ripam fluminis Sabbatici, in qva cygni, morti proximi,

Dulcia defectâ modulantur carmina lingvâ.

Non inſulto qvidem Auctoribus, qvi à Joſepho decepti, fabulam hanc, alioqvin ſatis qvidem abſurdam, veram eſſe crediderunt Hiſtoriam, qvam ille de priſcæ ſapientiæ reliqviis adnotavit, ſed Fabulæ tamen indicia, à me obſervata, cum Eruditis communico. Ceterùm nulli alteri, qvàm TIBI, LEGATE SPLENDIDISSIME, *debebantur hæ chartæ, ut officioſiſſimum nempe animum meum declararem Tibi, pro acceptis beneficiis agerem grates & favorem deniqve Tuum plus qvàm paternum, qvem expertus ſum hactenus, abundantiùs in me derivarem; Tu, Excellentiſſime* VIR, *qvæ incomparabilis Tua erit benignitas, optimè, qvod precor denuo, omnia interpretaberis, valebíſqve cum Splendididiſſima Tua Familia ad arbitrium felix; & ego dum vixero, audire expeto,*

Excellentiæ Tuæ

Subjectiſſimus & filiali obſeqvi adſtrictus Cliens

M. ÆGIDIUS STRAUCH.

D E

DE origine Scripturæ & literarum graviſſimæ inter Auctores oriuntur controverſiæ ; Nonnulli enim literas ab æterno originem ſuam habere arbitrantur , inter qvos primum obtinet locum eximius naturæ ſcrutator C. *Plinius* , qvi Libr. VII. Hiſt. Nat. c. LVI. Literis illis æternitatem tribuit. Profanam hanc & paganam Literarum æternitatem , dicente celeberrimô *Bangiô* , Plinio, tamqvàm Ethnico & Atheo, indulſit *Jacobus Salianus*, Tom. I. Annalium Eccleſ. p. 119. his verbis: *Ita licuerit dicere, mundi ortum & ejus Auctorem ignoranti, rectiùs dicturo, ſi æternam literarum ſcientiam apud æternum DEUM fuiſſe dixiſſet , eámqve poſteà ipſius benignitate communicatam mortalibus.* Qvidqvid verò hac de re ſentiendum ſit, manifeſtum eſt , cùm primô ſtatim intuitu ipſius abſurditas deprehendatur. Alii autem literarum originem à tempore antediluviano derivandam putant, ſed in hac re iterum permulta dantur ſententiarum divortia. Nam nonnulli Adamo literarum originem tribuunt, dicentes: Adamum animadvertentem , ſe , inexpiabili peccatô commiſſô , non ſolùm obſcuram omnium rerum ſibi feciſſe memoriam , ſed etiam magnam vim imprudentiæ ipſius animum penitus perturbâſſe, primum, memoriæ juvandæ cauſſâ , literarum inventorem fuiſſe. Vid. *D. Bangii* Exercit. I. de Liter. Natal. Qvæſt. III. Alii literarum Auctorem faciunt Henochum , unde & ipſius ſcripta , etſi adulterina, adhuc hodiernô die in Æthiopia monſtrata, magno in pretio habentur. Conf. *B. Joh. Heinric. Urſin. p.* 208. Putant enim , Henochi librum ad diluvium uſqve propoſitum , & tempore diluvii in Arcâ Noæ conſervatum fuiſſe. Inter

illos,

illos,qvi hunc librum oſtendere haud recusârunt, fuerunt etiam Comes Mirandulanus, qvi Capnio (fortè Capnioni) Henochi Codicem,ingenti ſolutâ pecuniæ ſummâ, tribuit, & Wilhelmus Poſtellus, qvi iſtum librum pro inæſtimabili theſauro habuit. Conferatur Maximè Reverendus atqve Excellentiſſimus DN. D. ÆGID. STRAUCH, Hoſpes & Conſangvineus meus honoris ac obſervantiæ cultu æternùm deveneràndus, in Præl. ſuis Publ. In horum ſententiam non ægrè inclinat *Jacobus Boulduc*, qvi lib. 1. c. XIV. *Noachus*, inqvit, *mandavit*, *Scripta Henochi diligenter conſervari*, *& repoſuit in Arcâ tempore diluvii*, *non minori ſolicitudine*, *qvàm Patres Adami & aliorum Patriarcharum oſſa*, *ut qvi ejus*, *qvem DEus rapuerat*, *oſſa*, *ſervarentur*, *habere non poſſet*, *Scripta tamqvàm ſacratiſſimum pignus & depoſitum ſibi atqve poſteritati cuſtodiret &c.* Præprimis verò Librum Henochi probare volunt ex Epiſt. Jud. v. 14. in qvâ ſeqventia leguntur verba: *Prophetavit de his ſeptimus ab Adam Henoch*, *dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis*, *facere judicium contra omnes*, *& arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum &c.* Qvid verò hac de re judicandum ſit, perſpicuè explicat doctiſſimus *Höttingerus* in peculiari diſſertatione de Prophetia Henochi. Alii literarum antiqvitatem ab Enoſi temporibus deducentes, permulta notatu digna ipſum ſcripſiſſe dicunt. Ita ſentit *Genebrardus*, Chronographiæ lib. 1. c. x. Refert enim Enoſum de Religione & modo orandi DEum, & diſciplinis ſcripſiſſe. Qvale verò Judicium de tali ferendum ſit ſententia, facilè exinde patet, ſi aliorum Scripta ſimul cum his conferamus; Nam aperta contradictio in iſtis apparet, contradicunt enim ſibi, dum alii Henocho, qvi ſeptimus ab Adamo, alii Enoſo, qvi tertius ſaltem ab Adamo

fuit,

fuit, uti teſtis eſt *Marianus*, literarum originem tribuunt. Alii deniqve pro literarum inventoribus habent Sethum, illiúſqve filios, dicitur enim, ipſos varia portenta literis probâſſe, uti id clarè exponit *B. Johann. Heinr. Urſin.* p. 216. *E Valentini*, inqviens, *Æonum Doctoris ſchola prodiêrunt Gnoſticorum qvaſi myrmecia, Cajani, Abelitæ, Sethiani, Archontici: Hi fabulantur, Sethum à virtute ſuperna, boníqve Dei miniſtris Angelis, raptum in Cælum, didiciſſe*, τὸν κοσμοποιὸν θεὸν *non eſſe eum, cui ſervire debeat bona mens; ſed etiam eſſe* ἀκατονόμαστον δύναμιν, τὸν ἄνω ἀγαθόν θεόν. *Hæc portenta probatum ibant libris, qvos alios Sethus ipſe, alios ejus filii ſeptem conſcripſerint.* Porrò varia excogitantur media, qvibus Antediluviani literas ſuas conſervare voluerunt. Dicitur enim, nonnullos literas tabulis aureis, lapideis, æneis & gemmis etiam inſculpſiſſe. Plurimi autem antiqvas, qvæ finguntur, literas in tabulis tantùm chartaceis conſervatas fuiſſe arbitrantur; alii literas vel æneis, vel lapideis, vel lateritiis, vel ſimilis materiæ columnis inſcripſiſſe dicunt. Ex hoc figmentorum cœno eruerunt qvidam fabulam de Columnis Sethianis, de qvibus hâc vice aliqvantô prolixiùs agere animus eſt. DEus conatibus adſit!

I. Hiſtoriam de columnis iſtis Sethianis exponit *Joſephus*, libr. 1. Antiqvit. Jud. c. III. extr. dicens: σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μὴ δὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος, στήλας δύο ποιησάμενοι;

τὴν

τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα, ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανισθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας, ἡ λιθίνη μείνασα παράσχῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα δηλοῦσα, καὶ πλινθίνην δὲ ὑπ' αὐτῶν ἀνατεθῆναι. μένει δ' ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα. Verba hæc Latinè ita ſonant: *Nepotes Sethi ſideralem ſcientiam, ac cæleſtium rerum cognitionem excogitârunt. Ne autem inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, & priùs perirent, qvàm pernoſcerentur, ſcientes, Adamum univerſalem rerum interitum præſciviſſe, unum incendiô, diluviò alterum, excogitatis duabus columnis, unâ lateritiâ, alterâ lapideâ, utriqve ſua inventa inſcripſerunt: ut, ſi lateritiam diluviô deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, &, qvæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet, vel, lapideâ igne abolitâ, maneret lateritia, manet autem lapidea ad hunc uſqve diem in Syria.*

II. Auctores harum Columnarum non iidem omnibus ſunt; Alii enim faciunt Adamum, dicentes: ipſum hanc ob cauſſam tales erexiſſe columnas, qvô literas, juxta eorum opinionem à ſe inventas, poſteritati communicare poſſet. Ita ſentit *Alſted.* in Chron. uti & J*acobus Boulduc* de Eccleſia ante Moſen lib. 1. c. 1. Hos ſeqvitur *Carion* in Chronic. p. 17. qvi etiam, qvamqvàm ob alium finem, Adamum Auctorem harum columnarum facit, ſcribit enim, Adamum duabus tabulis lapideis impreſſiſſe initia creationis, lapſum hominis & promiſſionem, uti hocce annotavit *Dorſch.* in Theol. Zach. part. 1. extr. Syllab. QQ. Alii hanc Columnarum ſtructuram attribuunt τῷ Kainan, videatur] Hiſtoria Ebræa Salmanticenſis, lib. 11. c. XI. apud Druſium in Notis ad Severum Sulpitium

um p. 21. Alii has columnas à Chamo inventas eſſe volunt; ita ſentit *Caſſianus*, Collat. VIII. c. XXI. „ Sethum, inqviens, naturalium rerum „ notitiam, paternâ qvaſi hæreditate acceptam „ poſteris commiſiſſe: Hos in deterius datos præ-„ cipites, curioſas Maleficorum artes, Magicáſqve „ ſuperſtitiones inſtituiſſe, dæmonéſqve pro DEO „ venerari docuiſſe, editis etiam libris memoria-„ libus: Eorum librorum cùm nullum Chamus, „ artibus illis ſacrilegis infectus, vetante patre & „ piis fratribus, ſecum in arcam diluvii tempore „ inferre poſſet, ſtudiosè id genus nefanda com-„ menta paſſim metallorum laminis ac duriſſimis „ lapidibus inſculpſiſſe: ita conſervata fuiſſe. Nonnulli verò præſertim ex Arabibus opinantur, Chamum, qvi aliáſmet primus fuiſſe rerum, qvas ante diluvium obſervârat, curioſarum propagator fertur, ejúſqve Poſteros poſt tempus diluvii Pyramides diluviô in imum projectas, qvæ ipſi Chamo etiam ante diluvium haud ignotæ erant, in priſtinum locum iterum collocâſſe, ne Proavi ſui ex memoria Poſterorum facillimè deciderent. Conf. *Athanaſ. Kircher.* in obeliſc. Pamphil. p. 45. Alii harum columnarum inventionem tribuunt Cainitis, uti docetur apud *Nauclerum*, & in *Hiſtoria Scholaſtica.* Alii Henocho, ut *Viterbienſis* in Commentar. ſuper Beroſum. Alii Tubal & Tubaleam columnas illas erexiſſe arbitrantur, uti Bergomas ſcribit.

III. Nonnulli deniqve harum columnarum Auctorem faciunt Sethum, uti *Euſtathius* in Hex. p. 47. dicens. ὁ Σὴθ ἐν ἡλικίᾳ γενόμενος πολλὰς ἀρετὰς ἐπενόησεν, ὧν καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτοῦ ζηλωτὰς κατέλειπεν. οὗτος γὰρ πρῶτος ἀστρονομίαν, καὶ πᾶσαν τὴν οὐράνιον ἐφεῦρε διακόσμησιν, ἣν ἵνα ἄχρι τῆς ἐσχά-

τῶν

τῶν χρόνων διαμένειν τονῶσδε ὁ Ἀδὰμ παρεσκεύασεν. μέλλων γὰρ τελευτᾶν ὁ Ἀδὰμ προφητεύει τοῖς παισὶ μέλλειν τὸν Θεὸν τὴν ἐν κόσμῳ φύσιν ἀπαλείφειν πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀκούσαντες οἱ περὶ τὸν Σὴθ δύο στύλας ἐποίησαν, τὴν μὲν ἐκ λίθου, τὴν δὲ ἐξ ὀπτῆς πλίνθου κατασκευάσαντες. καὶ ἐν ταύταις πᾶσαν τὴν οὐράνιον φορὰν ἐνεχάραξαν πρὸς τὸ μὴ ἄληστον τὴν τῆς ἀστρονομίας αὐτῶν γενέσθαι εὕρεσιν. ἵνα εἰ μὲν ὕδατι τὰ πάντα φθείρηται, ἡ λίθινος στήλη φυλάττηται, εἰ δὲ πυρὶ, ἡ ὀστρακώδης. γενομένης οὖν τῆς κατομβρίας, ἡ λίθινος στήλη διέμεινεν· ἥτις ἄχρι τοῦ δεῦρο μένει ἐν γῇ τῇ Σηιριὰδ ἐστηλωμένη. Hoc eſt: *Seth ætate incunte, multas reperit virtutes, qvarum imitatores Poſteros reliqvit. Hic enim primus Aſtrorum ſcientiam, totámqve rerum cæleſtium deſcriptam diſtinctionem excogitavit, qvam, ne extremis temporibus evaneſceret, tali meditatione, curâqve ſuſtentavit. Adam enim morti vicinus, Deum, univerſam hanc mundi naturam, & igne & aqvâ exterminaturum, filiis ſuis vaticinatur, qvô auditô qvi unà cum Seth erant, duas erexerunt columnas, unam qvidem ex lapide, alteram cæſilibus laterculis exſtructam; & in his omnes Cœli motus inſcripſerunt, ne eorum in aſtrorum ſcientia obſervationes, inventáqve aliqva obſcuraret oblivio. Si enim aqvâ omnia conſumi contigiſſet, lapidea illa columna conſervaretur, ſi igne teſtacea; cùm itaqve aqvæ pluviæ terram inundâſſent, lapidea permanſit, qvæ ad hæc uſqve tempora in terra Seiriad erecta conſpicitur.* Alii erectionem harum columnarum tribuunt Sethianis, ut *Joſephus*, loc. cit dicens: *Nepotes Sethi ſideralem ſcientiam, ac cæleſtium rerum cognitionem excogitârunt &c.* Item *Sabellicus* & *Serenus*, qvamvis hic lon-

gè aliis circumſtantiis, qvàm ille, rem declaret.

IV. Materia Columnarum Sethianarum itidem eſt dubia, nonnulli enim arbitrantur, Sethum inventa ſua, qvò ſervarentur, duabus columnis, alteri æneæ, alteri lateritiæ, inſcripſiſſe, qvò, ſi lateritiam diluviô deleri contingeret, ænea ſuperſtes foret; ſi autem ænea igne interiret, qvò tunc lateritia homines præteritorum certiores redderet. Ita *Genebrardus* alteram ex noſtris columnis æneam, alteram autem lapideam facit. Item *Pineda* in Jobum, Tom. II. fol. 93. dicente B. Waltherô in ſpicileg. præfatione, putat, alteram ex hiſce columnis, qvibus Sethiani inventa ſua inſcripſerunt, fuiſſe æneam, qvò tempore diluvii, lapideâ deſtructâ, illa ſuperſtes maneret, & eò reſpexiſſe Jobum, qvando c. XIX. 24. deſideravit ſcribendorum ſermonum ſuorum monumentum aliqvod vel plumbeum, vel lapideum. Præcipua verò cauſſa eſſe poteſt, ob qvam fictitiarum columnarum Sethianarum materiam facimus partim æneam ſive laminas, partim lapideam ſive lapides, qvia etiam de aliis columnis antediluvianis traditur, illas fuiſſe vel æneas vel lapideas. *Petr. Commeſtor* enim in Hiſtor. Scholaſt. Geneſ. c. XXXIX. uti refert doctiſſimus *Johann. Heinric. Urſin.* p. 226. de hujuſmodi columnis ita loqvitur: *Ninus vicit Cham, qvi regnabat in Bactria. Is dicebatur Zoroaſtres, inventor Magicæ artis, qvi & ſeptem liberales artes in qvatuordecim columnis ſcripſit, ſeptem æneis & ſeptem lateritiis, contra utrumqve Judicium vel diluvium, aqvæ ſcilicet & ignis.* Ita *Caſſianus* qvoqve Collat. VIII. c. XXI. nominat diverſorum metallorum laminas, qvæ aqvarum non corrumperentur injuriâ, & duriſſimos lapides, qvi vim ignis non ſentirent, qvibus ſua inſcripſerit Chamus.

V. Secundum alios materia Columnarum Sethianarum

anarum fuit lapis, ea fortè de cauſſa, qvòd hæc materia durabilior & olim & hodie columnarum materia fuerit. Sic antiqvis temporibus apud priſcos Ægyptios columnarum ſive obeliſcorum materia fuit marmoris qvoddam genus, variis coloribus guttatim veluti aſperſum, qvod aliàs vocatur Pyrites, principalis enim lapidis ſubſtantia rubrô colore fulgebat, cui nunc chryſtallinæ ſive Amethyſtinæ, jam cinereæ vel cœrulei coloris, modò nigri ſive varii marmoris particulæ, hinc inde per totam ſubſtantiam lapidis commiſtæ ſpectabantur. Exinde Ægyptii obeliſcos ſuos Soli dedicabant, nam Sol in qvatuor mundi Elementa ſuum dominium potiſſimùm exerit; hinc dominium Solis per obeliſcos, qvos digitos Solis vocàrunt, denotabant, per qvadruplicem enim miſtionem qvatuor Elementa ſignificabant. Confer *Kircher.* in Obeliſc. Pamphil. lib. I. c. V. p. 54. *Plin.* lib. XXXVI. c. VIII. E tali materia fuit etiam conflatus Obeliſcus in honorem Solis à Phænicibus erectus, de qvo qvoqve agit *Kircher.* in Obeliſc. Pamphil. loc. cit. Hujus ſortis etiam Obeliſcum ſive Columnam in Inſula Tiberina exſtitiſſe fertur; Cùm enim inſula Tiberina in formam navis ædificata tradatur, obeliſcum in medio inſulæ erectum, formam mali in medio navis expreſſiſſe, veriſimile videtur. E tali materia itidem fuerunt duæ tabulæ lapideæ Adami, de qvibus ſupra ex *Carion.* in Chron. p. 17. prolixiùs egimus. Hodiernô qvoqve die permultæ columnæ lapideæ, ab Anteceſſoribus noſtris erectæ variis locis ſuperſtites deprehenduntur. Sic Romæ ad hodiernum uſqve diem duodecim columnæ lapideæ adparent. Item, in Ægypto plurimi adhuc ſuperſunt obeliſci lapidei, præprimis autem in Aſna urbe, qvæ ſupra Thebas antiqvas ſita eſt. Conſtantinopoli qvoqve ad hunc uſqve

diem duo obeliſci lapidei in circo maximo Byzantino collocati videntur; qvi à Theodoſio in hujus urbis ornamentum ex Ægypto tranſlati ſunt. Vide *Kircher*. in Obeliſc. Pamphil. lib. I. c. VII. Noſtris etiam temporibus columnas lapideas erectas habemus. Sic Francofurti ad Mœnum hôc ſeculô columna aliqva lapidea formâ pyramidali in rebellionis memoriam erecta eſt. Item Romæ ante aliqvot annos in pacificationis Piſanæ coactus fuit Alexander VII. Pontifex lapideæ columnæ incidere inſolentiam Corſorum in Ducem Creqvium Oratorem Regis Galliæ, & exilium hôc nomine Corſis indictum.

VI. Nonnulli contrà ex duabus his columnis alteram lapideam, alteram lateritiam fingunt. *Joſephus* enim in textu Græco aſſerit, alteram columnarum ἐκ πλίνθου, latere, alteram verò ἐκ λίθων, lapidibus ſtructam eſſe. Conf. Doctiſſimus *Bangius*, p. 126. Nam duplex futurus erat interitus mundi, alter incendiô, alter diluviô, ne autem inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, háſce columnas excogitâſſe feruntur. Putârunt enim, lapideam non potuiſſe interire tempore diluvii, qvia è lapide, ingenti & admirabili duritie prædito, & immuni ab omni aëris injuriâ, exſtructa dicebatur, nam lapides non unä eâdémqve gaudent duritie & craſſitie, lapis enim lapide durior & craſſior eſt, & ex materia magìs compacta conſtat, partéſqve ſolidiores habet; Et contrà arbitrati ſunt, lateritiam ſuperſtitem fore tempore incendii, qvia lateris natura ita eſt comparata, ut ipſe igne potiùs conſtantior reddatur, qvàm ut planè tollatur; Nam muri è lateribus compacti temporibus maximorum & inextingvibilium incendiorum deſtrui haud poſſunt, in igne enim multò magìs transformantur & indurantur; Hinc, illas columnas igne iterum perire,

re, impoſſibile eſſe, nam qvô major flamma adeſſet, eô majorem etiam adipiſcerentur duritiem, qvocúmqve enim modô lateres acciperent duritiem, eô ipſô modô non poſſent iterum amittere.

VII. Sicuti autem cetera in columnis Sethianis fundamentô certitudinis carent, ita & hæc, qvæ de harum Columnarum forma circumferuntur, æqvè incerta videntur. In dubium etiam adhuc vocatur ab Autoribus, anne monumenta iſta columnæ, an verò tabulæ fuerint? Nam ambæ è tali materia confici poterant, qvæ tempore diluvii & incendii conſervarentur, uti enim è columnis altera lapidea, altera lateritia dicitur, ita & è tabulis alteram æneam, qvæ ſuperſtes maneret tempore diluvii, alteram autem lateritiam, qvæ tempore incendii ſuperſtes, hominibus diſcendi copiam faceret, fuiſſe putatur. Sic *Genebrard.* lib. 1. Chronogr. monumenta illa Sethiana modò tabulas, modò vocat columnas. Tandem verò ſcribit, eas fuiſſe tabulas, unam æneam, contra aqvæ illuviem, alteram lateritiam, contra ignis conflagrationem.

VIII. Prætereà, ſi aliarum columnarum ſive pyramidum, tàm antiqvarum, qvàm hodiernarum, formam aſpiciamus, columnis noſtris Sethianis, ſi aliter exſtitiſſent, facilè aliqvam formam attribuere poſſemus. Sicuti enim Pyramis à ſummo faſtigio, veluti à puncto incipiens, per lineas in ſuperficies & corpus abiens, paullatim in omnes partes dilatatur; omnis pyramis enim, nimirum pyramis Triangula inordinata, qvæ pro uſitatiſſimis habentur, ex meris Triangulis Iſoſcelibus conſtat, qvæ duo tantùm latera habet æqvalia: Ita etiam columnæ Sethianæ ab unico principio ſe (f. ſc.) incipere, & per lineas in ſuperficies & corpus extendi potuiſſent. Nam tali modô exſtructæ, eô

eò faciliùs à Cæli & aëris injuria ac tempeſtatibus immunes fuiſſent, ne pluviæ & grandines illarum columnarum inſculptas literas & imagines corrumperent, ſed omnes guttulæ delapſæ ſculpturæ nullum adhibuiſſent incommodum. Hinc procul dubio factum eſt, ut *B. Johann. Henric. Urſin.* p. 207. columnis qvadratam attribuat figuram dicens: *Viſuntur ſanè Romæ in Bibliotheca Vaticana octo Columnæ qvadratæ, in qvibus Adami, Filiorúmqve Sethi &c. literæ proponuntur.* Qvadratæ autem dicuntur illæ Columnæ, non ac ſi omnia latera æqvalia fuiſſent, qvod ad figuram qvadrilateram Parallelogrammam reqviritur; ſed qvòd tantùm qvoad baſin qvadratæ dicantur. Ceterùm illarum figurarum altitudo perpendiculariter extollitur, & in acumine ſuperficies uniuntur. Maximè autem in talibus columnis ſive pyramidibus reſpicitur ad baſin, baſis enim fundamenti vicem & ornamentum præſtat, qvam ſuſtinet, ſtatuæ; Nam, ſi baſis labilis & firmô fundamentô carens exſtruatur, tota etiam pyramis ſive ſtatua inconſtans erit, præprimis qvoqve, qvia baſis unica columnæ pars eſt, qvæ maximum pondus & molem ſuſtinet, ideoqve præ ceteris interitus periculo ſubjecta videtur. Exemplum clariſſimum, in qvo ſemper maxima baſeos cura in pyramide habita fuit, exponit *Vitruvius*, lib. x. Archit. c. VI. *Noſtrâ*, inqviens, *memoriâ, cùm Coloſſici Apollinis in fano baſis eſſet à vetuſtate defracta, & metuentes, ne caderet ea ſtatua & frangeretur, locaverunt ex lapicidinis baſin excidendam. Hæc autem baſis erat longa pedes* 12, *lata pedes* 8, *alta pedes* 6. Obſervandum autem eſt, qvòd baſis ſtatuæ ſemper debeat correſpondere, minorum enim minorem, majorum autem majorem eſſe oportet baſin. Hæc omnia etiam ad noſtras fictitias columnas Sethianas

nas adplicari poſſunt, nam ſi tales umqvàm in rerum natura fuiſſent, illæ qvoqve firmô & ipſarum moli correſpondenti fundamentô ſive baſi gaviſi eſſent; Legitur enim apud *Joſephum*, loc. cit. alteram ex his columnis ſuô tempore adhuc in Syria viſam fuiſſe.

IX. Finis deinde, ob qvem columnæ Sethianæ erectæ dicuntur, fuiſſe fingitur, qvòd nimirum Nepotes Sethi inventa ſua iſtis columnis inſcriberent, eaqve hôc modô poſteritati traderent. Qvalia verò iſthæc inventa fuerint, adhuc ſub Judice lis eſt, contenta enim diverſa exprimunt diverſi. *Sabellicus* ſcribit, à Setho prognatos in columnis hiſce totum de conſummatione mundi arcanum inſcripſiſſe. Alii, & qvidem illi potiſſimùm, qvi Chamum Autorem harum Columnarum faciunt, ſtatuunt, hiſce columnis inſcriptas fuiſſe curioſas maleficorum artes, præſtigias ac Magicas ſuperſtitiones, uti *Caſſianus*, Collat. VIII. c. XXI. tradit, *Sethum*, dicens, *naturalium rerum notitiam, paternâ qvaſi hæreditate acceptam, Poſteris commiſiſſe: Hos in deterius datos præcipites, curioſas Maleficorum artes, magicáſqve ſuperſtitiones inſtituiſſe, Dæmonéſqve pro DEO venerari docuiſſe, editis etiam libris memorialibus: eorum librorum cùm nullum Chamus, artibus illis Sacrilegis infectus, vetante patre & piis fratribus, ſecum in arcam diluvii tempore inferre poſſet, ſtudioſè id genus nefanda commenta paſſim metallorum laminis ac duriſſimis lapidibus inſculpſiſſe: ita conſervata fuiſſe. Genebrardus*, loc. cit. putat, in Columnarum Sethianarum primâ liberales artes, præſertim doctrinam de DEO & Mathematicam, in altera promiſſionem de Chriſto Adamo factam cœlatam fuiſſe. *Joſephus* artes Mathematicas Columnis Sethianis inſcriptas commemorat, dicit enim: Nepotes Sethi ſideralem

lem ſcientiam, ac cæleſtium rerum cognitionem excogitâſſe. Joſephum qvoqve ſeqvitur *Euſtathius* Antioch. in Hex. p. 47. qvi nominat motus cæleſtes πᾶσαν τὴν οὐράνιον φορὰν, & τὴν τ. Ἀστρονομίας αὐτῶν εὕρεσιν. Item *Plinius*, lib. VII. c. LVI. Epigenes, ait, apud Babylonios 720. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, qvod ad Columnas haſce refert *Allat.* in *Euſt.* p. 216. *Becanus* columnarum Sethianarum exiſtentiam aliâſmet fortiter defendens, hiſce columnis religionem & vaticinia, à majoribus edita, inſculpta fuiſſe opinatur, lib. I. Hieroglyph. *dignam,* inqviens, *piis viris curam audimus, dum magnâ ſolicitudine hoc agitur; ne aſtrorum ulla umqvàm ratione perdatur, qvô nihil eſt, qvod ſui ipſius cognitionem faciliùs & certiùs qveat tueri! Si benè res omnes expendiſſent, hâc curâ Soli & Lunæ, qvi ceterorum ſiderum reverſiones metiuntur, relictâ, hoc omni ſtudiô contendere debuiſſent, ne oracula de generis humani per Chriſtum ſalute, apud Poſteros ignorarentur. Diluvium autem futurum legimus Noacho primùm à DEO fuiſſe revelatum, & ejus Scriptoris, qvi hoc prodidit, tanti facimus Auctoritatem, ut eos, qvi diverſa tradunt, aut nihili aut minoris nihilô æſtimemus. Benè igitur valeat Joſephus cum ſuis columnis, nos interim Moſen ſeqvamur, ne tam ſiniſtram de Sethianorum piis animis concipiamus opinionem; ut majorem Aſtrologiæ, qvàm Religionis & vaticiniorum, à Majoribus editorum, rationem atqve curam eos habuiſſe dicamus.* Scholaſtici putant, Sethi Nepotes Muſicam & artem ferrariam, ſimiléſqve à Cainitis inventas hiſce columnis inſcripſiſſe. Alii autem dicunt, varias antiqvitates columnis Sethianis inſcriptas fuiſſe. Ita *Iſaac Voſſius* in Diſſ. de Æternit. Mundi c. x. p. 271. putat, columnas Judaicas eas fuiſſe, qvas

Judæi crediderint à Setho eſſe collocatas, & Manethonem jactitâſſe, ſe ex iiſdem Ægypti antiqvitates cognoviſſe & collegiſſe.

X. Deniqve inter ſe diſſentiunt, qvomodo hæc ſcripta fuerint, num per Hieroglyphica, num verò per litteras. *Sabellicus* ipſe fatetur, dubium eſſe, anne in iſtis columnis literæ, anne verò animalia, ceteræqve figuræ & Hieroglyphica cælata fuerint, præprimis, qvia non adeò diu poſt diluvium Ægyptiorum ſapientia inceperit, qvæ plerúmqve in Hieroglyphicis conſiſtebat. *Schiagia* enim Arabs Hiſtoricus apud *Kircher.* in Oedip. lib. II. part. II. p. 173. dicit, Ægyptios poſt diluvium in variis ſcientiis edoctos fuiſſe. *Schotanus*, p. 58. arbitratur, fuiſſe litteras, eáſqve antiqviſſimas, qvibus ſacer Codex exaratus fuit, libeat nunc ſive Aſſyrias, ſive Samaritanas litteras aſſignare. Item *B. Johann. Heinric. Urſin.* in loco ſupra citato proculdubio qvoqve intellexit literas, *qvia viſuntur*, inqvit, *in Bibliotheca Vaticana octo columnæ qvadratæ, in qvibus Adami, filiorúmqve Sethi Litteræ proponuntur.* Nam ſi illo tempore litteræ jam in uſu fuiſſent, certè Nepotes Sethi etiam in ſuarum Columnarum inſcriptione tales adhibuiſſent, litteræ enim pro optimo aliqvid poſteritati tradendi modo habentur. Probabile enim videtur, Nepotes Sethi juxta horum ſententiam uſos fuiſſe litteris, cùm Matheſis & aliæ modò dictæ artes optimè poſteritati per litteras tradi potuiſſent. Celeberrimus *Joh. Heinric. Urſin.* p. 212. pro hac ſententia confirmanda allegat teſtimonium aliqvod his verbis: *D. Bangius, cùm librum Henochi diligenter refutâſſet, tandem tamen concludere non dubitavit; non tamen propterea Henocho omnem ſcripturam litterarum antediluvianarum temerè adjudicandam eſſe: Qvid ita?*

ta? qvoniam, inqvit, inter Adami Poſteros fuerunt, qvi duabus columnis ſua inventa inſcripſerunt. Sed, qvales litteræ, anne nimirum Aſſyriæ, Samaritanæ &c. fuerint, ab ipſis Scriptoribus non indicatur. Doctiſſimus *Bangius*, p. 125. ſcribit, Sethum, ſecundum Angeli Rocchæ ſententiam, characteres in columnis cælatos cum hodiernis Samaritanorum characteribus communes habuiſſe.

XI. Non autem principalis Nepotum Sethi in erigendis columnis finis fuit, ut his tantùm inventa ſua inſcriberent; ſed potiùs, ne inventa ſuà ex hominum dilaberentur notitia, & priùs perirent, qvàm pernoſcerentur, ac nemini diſcendi copiam facerent. Hunc ipſorum ſcopum clarè exponit *Sabellicus*, loc. cit. Ita etiam ſentit *Euſtathius. B. Johann. Heinr. Urſin.* loc. cit. itidem indicat, principalem columnarum Sethianarum erectarum ſcopum, dicens: *Illa ſummo in pretio eſſe habenda, qvæ ſanctiſſimi & celeberrimi Viri poſteritati tradere, & in mundum uſqve alterum propagare laborârint.* Haud ignotus enim erat Sethi Nepotibus duplex mundi interitus. Nam ipſe in ſubſeqventibus dicit, qvòd primâ vice de Judicio Domini publicè concionatus ſit Henoch, & primò de diluvio Noah, qvæ ratio poſtmodùm fuit duarum diverſæ ſtructuræ columnarum.

XII. Locum, in qvo Columnæ Sethianæ poſitæ dicuntur, certum determinare non poſſumus. Alii arbitrantur, iſtas columnas à Sethi Nepotibus erectas eſſe in monte ſive loco aliqvo elevato, nam Sethi familias in monte habitâſſe dicitur. A *Seldeno* enim de Diis Syris, p. 45. citatur Codex Arabicus, in qvo legitur, Sethi familias, poſteróſqve montis occupâſſe cacumen, in qvo Adamus ſepultus eſt. Probabile verò videtur,

Sethi

Sethi Nepotes columnas ſuas, ſi umqvàm hoc opus ſuſcepiſſent, in illo loco, in qvo habitàrunt; erexiſſe, præprimis etiam, qvia iſte locus elevatus, tempore diluvii leviori & mitiori aqvæ impetu, præ loco aliqvo plano, tactus, & priùs etiam, qvàm locus planus, exſiccatus fuiſſet. Locum qvoqve aliqvem nominat *Euſtathius* Antioch. p. 47. ἐν γῇ τῇ Σηιρειὰδ, per qvem plurimi Syriam intellectam volunt; ſed non omnes in unum conſentiunt, qvòd verba hæc tali modô explicanda ſint, ut per illa indicetur Syria. *Voſſius* enim de Ætate mundi p. 271. putat ab *Euſtathio* Antioch. intelligi terram, qvæ Jud. III. 27. deſcribitur ad montem Ephraim. Qvòd verò ſententia iſthæc falſa ſit, exinde patet, qvia Joſephus ſuô tempore alteram adhuc ex iſtis columnis dicit fuiſſe in Syria; jam autem Ephraim in Syria ſita non erat, cùm Ephraim pars terræ ſanctæ fuerit, non item Syria.

XIII. Qvamdiu poſtmodùm columnæ iſtæ Sethianæ duraverint, in nullo probato Auctore reperitur. Conantur eqvidem nonnulli, durationem columnarum Sethianarum exprimere; ſed ipſorum dicta omni fundamentô veritatis carent. Multi enim dicunt, columnam lapideam ſuperfuiſſe in Syria ad Joſephi uſqve tempora, lateritiam verò diluvium deleviſſe. Immò *Euſtathius*, p. 47. dicit, uſqve ad ſua tempora lapideam permanſiſſe. *Euſtathius* autem, juxta *Leon. Allat.* ſententiam, vixit temporibus Conſtantini, & uſqve ad 30. annum hujus ſcriptum ſuum continuavit.

XIV. Ceterùm, qvæcumqve circumferuntur de his columnis, omnia eſſe figmenta jam jam oſtendendum eſt. Ubi illud prius aſſero, me in dubium non vocare, anne columnæ qvædam exſtiterint qvæ Sethianæ fuerint adpellatæ; ſed an Se-

thus

thus vel ejus Poſteri Antediluviani illarum Auctores fuerint? qvod poſterius nego. Primò enim Scriptores Sacri hac de re haud qvidqvam annotârunt, cùm tamen nulli præter eos de Antediluviano hoc facto infallibiliter conſtare potuit. Nam in omnibus antediluvianis rebus geſtis nihil certi annotatum habemus, niſi qvod à Scriptoribus Sacris factum ſit. Cetera plerúmqve, qvæ circumferuntur, pro fabulis & ſuppoſititiis ſcriptis habentur.

XV. Secundò rem dubiam faciunt diverſæ Auctorum ſententiæ de his columnis; Alii enim dicunt, Columnarum harum primum Auctorem fuiſſe Adamum, alii Chamum, alii Henochum, & alii Sethum; alii putant, alteram ex his columnis fuiſſe lapideam, alteram lateritiam, alii autem alteram æneam, alterámqve lapideam faciunt; alii arbitrantur, hæc monumenta Sethiana fuiſſe tabulas, alii columnas, & ſic porro. Si ergò tàm multiplex detur contradictio, qvomodo qvæſo aliqvid certi de iſtis columnis conſtare poterit, omnia enim, qvæ proferuntur à Scriptoribus, adhuc in dubium revocari poſſunt; qvia cuncta Scriptorum tradita Scripta ſibi invicem ſunt contraria. Joſepho etiam de iſtis columnis infallibiliter conſtare non potuit, qvò infallibili traditione de columnis hiſce aliqvid ſcribere potuiſſet, niſi id ſingulari Spiritus S. revelatione & beneficiô factum fuiſſet, qvod tamen in Moſen potiùs, qvàm in Joſephum cecidiſſet; qvia verò Moſes hanc rem ſilentiô planè tranſit; ideò etiam Joſepho infallibilem hujus rei traditionem adſcribere minimè poſſumus, ſed potiùs illius hac de re annotata pro commentis, ex ſuppoſititiis ſcriptis provenientibus, meritò habemus. Revelatio qvoqve de futuro mundi interitu legitur facta Noacho Geneſ. VI. 7.

non

non Adamo tantùm, & relevatio illa anterior non cenſenda eſt infallibilis, verùm pleriqve Scriptores ad revelationem Adamo factam attendunt, qvia ſtructuræ harum columnarum contradicere videtur ordo & tempus decreti divini revelati de univerſali rerum interitu.

XVI. Tertiò ſupervacanea etiam videtur Columnarum Sethianarum ſtructura, cùm vel crediderint columnarum Auctores omnium hominum, vel qvorumdam interitum futurum diluviô aut incendiô. Si illud, non opus ſcientiis, laterem enim ii lavâſſent, qvi, omnibus hominibus ab univerſali diluvio vel incendio interfectis, varias ſcientias poſteritati commmittere voluiſſent, cùm nemo ſuperſtes eas intelligere & addiſcere potuiſſet. Si hoc, non opus columnis, ſuperſtitibus Præceptoribus vivis. Nam *qvotqvot vivebant Patriarchæ*, ut ipſe ait D. Bangius, dicente *B. Johann. Henr. Urſinô, p.* 206. *tot viva exſtabant volumina, ut ex Commentario ſapere nec liberet, neqve neceſſe foret, cùm tot præſto eſſent Doctores vivi, qvorum qvisqve dici poſſet* βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. *Bibliotheca animata, & muſeum obambulans.* Meliùs etiam qvis mentem ſuam vivâ voce, qvàm per literas & ſcripta explicare poteſt. Non autem putandum eſt, Antediluvianos planè nullam literarum notitiam habuiſſe, ſed qvia commodius fuit tunc temporis hominibus viva voce, qvàm literis conſulere, longævitas enim Antediluvianorum in cauſſa fuit, qvâ ſemper ſcientiæ ab uno ad alterum propagari potuerant.

XVII. Supervacanea inſuper qvoqve videtur duarum columnarum Sethianarum ſtructura, hanc ob cauſſam, qvia utraqve tam tempore diluvii, qvàm incendii durare & interire potuit. Hac de re haud ineruditè ſentit *B. Johann. Heinric. Urſin. p.* 215. *Utraqve,*

in-

inqviens, *æqvè vel durare poteſt tam in diluvio, qvàm in incendio vel fatiſcere: aut qvî factum eſt, ut, lateritia in cataclyſmo qvaſi colliqvefacta, non labefacta fuerit lapidea? Deniqve ſi hæc uſqve ad Joſephi tempora ſuperfuit in Syria, cur locum, ubi fuerit, non conſignavit? cur nemini viſa, nemini memorata? neqve repertus fuit uſpiam, qvi Sethianorum divina reperta inveſtigaret, orbiqve traderet?*

XVIII. Deinde etiam, poſitô, duplicem mundi interitum futurum fuiſſe, ſcilicet incendiô ac diluviô, & Sethianos inventa ſua conſervare voluiſſe, unica tantùm ſuffeciſſet columna. Qvia aut intellexerunt Adami Vaticinium de ultimo mundi interitu per ignem Sethiani & Patriarchæ antediluviani, aut non intellexerunt. Illud familiæ Patriarchalis Principibus, in qvibus λόγια DEI ſervabantur, adſcribendum non videtur, nec putandum, Adamum vaticinii Auctorem, qvod communicandum cælitus acceperat, ſenſum non expoſuiſſe. Hoc dici ſimpliciter non poteſt, nam, ſi ſenſum vaticinii aſſeqvuti eſſent, abſurdè egiſſent, qvòd univerſali mundi mutationi per ignem futuræ lateritiam & lapideam columnam appoſuerint. Immò lateritia etiam fruſtra poſita fuiſſet, ſi univerſalem mundi interitum per ignem exſpectâſſent, qvia, factô hôc, omnes homines interfecti eſſent. Qva de re ſupra fuſiùs dictum fuit.

XIX. Porrò è Joſephi teſtimonio, qvod adhibet ad probandam columnarum Sethianarum ſtructuram, liqvet, Antediluvianos neſciviſſe deſtructionum futurarum ordinem, qvod tamen, factâ revelatione, veritati vix veriſimile videtur; Contra pietatem enim Sethianorum fuiſſet, divinæ providentiæ de conſervandis ſcientiis exſtruendo columnas tales præſcribere vel diffidere. Ideò meritò pro fabula habenda ſunt Joſephi dicta, nam à nemine

ferè

ferè iſtud factum probari poteſt. Hinc eruditè loqvitur ſupra citatus *B. Joh. Heinric. Urſin.* loc. cit. dicens: *Qvantò magis conſidero, tantò magis magiſqve miror, fabulam tam ineptam ulli eruditorum potuiſſe probari. Robertus Bailius* in Oper. Hiſt. Chron. p. 4. eqvidem pro fabula habet, qvæ Joſephus de duabus columnis Sethianis lapideâ & lateritiâ dicit, qvibus Patriarchæ ſua, qvæ poſteritati committere voluerunt, inſcripſêre; Sed *Bailii* ratio contra columnas haſce approbanda non videtur, qvando addit: Nullam literarum vel ſcriptionem vel ſculptionem legimus, anteqvàm digitus DEI legem ſuam in tabulis lapideis exarâſſet. Qvam rationem multi alii qvoqve adducunt, nam omnes, qvi novitatem literarum defendunt, Sethianas columnas improbant, negántqve: Cùm tamen, non tantùm ante tempora Moſis, ſed ante diluvium etiam exſtitiſſe literas, probatum ſit à Celeberrimo *Bangio* in Cæl. Orient. Nec ineptè etiam *Poſtellus*, Præf. lib. de Phœnicum literis: *qvis* inqvit, *tam demens fuerit, ut putet, homines illos ſanctiſſimos, & eorum, qvi tantùm non mille annos in ſumma rerum indagine vivebant, filios alumnos & ſuperſtites, poſt mille ſexcentorum & qvinqvaginta annorum decurſum caruiſſe literis, & ſuum aureum ſeculum ſine literis inſtituiſſe! Nulla planè earum rerum, qvæ vitam & exornare & beatiorem reddere ſolent, ſive in religione, ſive moribus, ſive in artibus, ſive doctrinis & diſciplinis ſit poſita, fuit Sacro-Sancto illi Patriarchæ Noacho mundi inſtauratori, qvem Janum vocant, incognita.*

XX. Allegari deniqve adhuc poſſet ad probandas Columnas Sethianas *Genebrardi* ſententia, qvi firmô qvaſi veritatis fundamentô nitens, arbitratur, duas iſtas columnas alteram æneam, alteram autem lateritiam exſtitiſſe; Sed *Leo Allatius* in *Euſtath.* p. 215. ſatis doctè reſpondit, nihil tribuendo huic falſæ

ſæ relationi *Genebrardi*, qvia non tantùm pro hac ſententia ſtabilienda nullos citavit Auctores, ſed etiam, qvia diverſa in illis columnis cælata fuiſſe ſcripſit.

XXI. Neqve etiam allegari poteſt conſenſus plurimorum Scriptorum, qvi omnes, in unum qvaſi conſentientes, noſtris columnis varias ſcientias inſcriptas fuiſſe dicunt, nam illorum Scripta de hiſce columnis non tantùm omni veritatis fundamentô carent, ſed ipſis omnibus qvoqve contradicit *Dorſch.* qvi cunctam inſcriptionem ſcientiarum negat, dicit enim: *Si omninò ejuſmodi columnæ ſtatuendæ ſint, probabilius & Patriarchis dignius eſt, res eccleſiæ poſteritati commiſſas fuiſſe, qvàm qvod de traditis ſcientiis ab ipſis inventis affertur.*

XXII. Probabile poſtremò minimè videtur, alteram ex his columnis Joſephi temporibus adhuc in Syria ſuperſtitem fuiſſe. Nam in iſta Regione crudelia & exitioſa bella ſuſcepta leguntur, in qvibus non tantùm innumeræ urbes, ſed & variæ antiqvitates devaſtatæ atqve è hominum memoria deletæ ſunt; Probabile ergo non eſt, rebus majoris momenti everſis, unicam iſtam columnam ſuperſtitem permanſiſſe. Babylonii etiam & alii, qvi harum ſcientiarum, qvæ columnis Sethianis inſcriptæ dicuntur, notitiam habuerunt, illáſqve intellexerunt, iſtam columnam non ampliùs tantis periculis expoſitam reliqviſſent, ſed e contrario talem ad ſe tranſtuliſſent, præprimis cùm vetuſtatem huic columnæ interitum moliri vidiſſent.

VII.

HARMONIA EUANGELISTARUM SECUNDUM PASCHATA ET ITINERA DOMINI, PAULLO ACCURATIUS QVAM VULGO SOLET, DIGESTA,

& breviſſimè delineata

à

JOHANNE CLUVERO

SS. Theol. D. & in Academia Sorona Profeſſore Regio.

PROOEMIUM hiſtoricæ Euangelicæ eſt apud Lucam, c. 1. 1. 2. 3. 4. qvam ordinis cauſſâ in certa capita digeremus, ut ſeries verborum factorúmqve Domini adpareat.

I.

Verbum qvod erat in principio, & Deus erat, fit caro, & venit in mundum, Johannis 1. 1. 14, ſed ita, ut Johanne præcurſore priùs conceptô, Luc. 1. 5. ſextô pòſt menſe & ipſe concipiatur in utero matris virginis, Luc. 1. 26. qvam à cognata Eliſabeta reverſam, Luc. 1. 39. 56. penè

deſeruiſſet Joſeph Sponſus, cujus Genealogiâ π ε-χιτῶν, ſed admonitus ab Angelo de conceptionis myſterio, eam recipit & domum ducit, Matth. I.

II. Natô Johanne cum gaudio multorum, & prophetiâ Patris, Lucæ I. 57. naſcitur & ipſe Dominus Salvator, & venit in hunc mundum Bethlehemi, Luc. II. I. &c.

III. Nativitas ejus revelatur ſtatim paſtoribus per Angelos, per Paſtores aliis hominibus deinde in circumciſione & oblatione publicâ, duorum Prophetarum Simeonis & Annæ teſtimoniô, innoteſcit toti populo. Lucæ II.

IV. Revertitur Bethlehemum, ibidémqve à Magis adoratur, Matth. II.

V. Inde ob inſidias Herodis tyranni, cogitur recedere in Ægyptum, & infantioli interim trucidantur. Matth. II. 13.

VI. Mortuô Herode revocantur parentes in terram Iſraëlis, cum qvibus venit Nazaretham. Matth. II. 19. Lucæ II. 19. &c.

VII. Annô ætatis duodecimô in Paſchate venit Jeroſolymam, ibíqve edit ſpecimen divinitatis ſuæ & officii, Lucæ II. 41. &c. Inde redit Nazaretham, éſtqve parentibus ſubditus, proficiens gratiâ apud Deum & homines. Luc. II. 52.

Hactenus converſatio Domini in terris, qvæ privata & occulta. Converſatio publica, & manifeſtatio verbi atqve operum divinorum, juxta Johannis & reliqvorum indicia, ſcitè digeritur ſecundum qvatuor Paſchata.

Pri-

Primi anni acta ſingulariter annotata hæc ſunt.

I.

JOhannes Baptiſta, tamqvàm præco adventus Chriſti divinus, præcedit eum in diſerto prædicatione & baptiſmô, fitqve ingens populi concurſus & exſpectatio. Matth. III. Marc. I. Lucæ III.

II. Ipſe Dominus, annô ætatis trigeſimô circiter, venit ad Jordanem, & baptizatur, ac palam declaratur Filius Dei à Patre cæleſti, & augetur viſibili Spiritus Sancti deſcenſu, atqve ab inde Johannis prædicatione omni populo oſtenditur. Matth. III. 13. Marci I. 9. Lucæ III. 21. Joh. I. 15. &c.

III. Inde in deſertum ductus à Spiritu Sancto, tentatur ibidem per qvadraginta dies, & poſtmodùm ſingulariter congreſſus cum Satana, ter eum ſuperat. Matth. IV. I. &c. Marc. I. 23. Lucæ IV. I.

IV. Revertitur Jeſus in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama de ipſo exit in univerſam regionem. Lucæ IV. 14.

V. Ex Galilæa proficiſcitur in ea loca, ubi Johannes baptizabat, venítqve ad eum poſtridie ejus diei, qvô Johannes teſtimonium de ipſo legatis Judæorum perhibuerat. Joh. I. 19 29. &c. & Johannes varia & luculenta de ipſo teſtimonia profert. Joh. I. 32. 35.

VI. Tertiâ die volens exire in Galilæam, cùm Petrum, Andream & alium qvemdam diſcipulum inſtituiſſet, vocat Philippum, Joh. I. 37. 44. & Nathanaëli ſe revelat. v. 46.

VII. Triduô pòſt comparet in nuptiis Canenſibus

bus in Galilæa, Johan. II. I. edítqve primum miraculum. Joh. II. II.

VIII. Inde deſcendit Capernaum cum matre, fratribus & diſcipulis, Johann. II. 12. ubi cùm paucis diebus eſſet moratus, adpropinqvat Paſcha, & adſcendit Jeroſolymam. Atqve hæc geſta ſunt ſpaciô ſemeſtri ferè primi anni. Nam Baptiſmus fortè contigit in feſto tubarum, initiô anni communis, primô die menſis ſeptimi, (Levit. XXIII 24.) aut in die Expiationis. Levit. XXV. 9. Deinde duo menſes ferè tribuendi ſunt itineri in deſertum, tentationi, & reverſioni in Galilæam; ac deinceps acciderunt reliqva, uti dictum eſt.

Acta ſecundi anni hæc commemorantur,

I.

JEroſolymis purgat Templum à profanationibus, Joh. II. 14. ſignum templi corporis ſui à Judæis ſolvendi & à ſe reſuſcitandi, ipſis pronunciat. v. 18. Multi credunt in ipſum, qvibus ipſe ſe non credit, ſciens qvid ſit in homine v. 23. Inde Nicodemo nocturno diſcipulo regenerationis myſterium explicat. Joh. III. I.

II. Proficiſcitur cum diſcipulis in Judæam, demoratur illic, & baptiſmum promovet, (Joh. III. 22.) magnô hominum confluxu, unde qvæſtio oritur Judæorum cùm diſcipulis Johannis, de purificatione, & Johannes inſigniter de Chriſti excellentia ſuóqve officio docet. Joh. III. 25. &c. Qvæ poſtrema eſt ipſius concio, qvam annotatam habemus. Poſteà verò in carcerem ab Herode conjectus eſt, qvòd inceſtum & alia ejus flagitia reprehendiſſet, qvam hiſtoriam per occaſionem narrat Lucas III. 19.

III. Au-

III. Audiens ergo Jeſus traditum Johannem, & Judæos comperiſſe ſucceſſum officii ſui, ſecedit per Samariam in Galilæam. Matth. IV. 12. Marci I. 14. Johan. IV. 1. &c.

In itinere mulierem Samaritanam, & cives Sichar in ſui agnitionem perducit, qvatuor menſibus ante Paſcha ſeu meſſem, menſe nonô. Johan. IV. 35. Fuit ergo in Judæa ad novem menſes.

IV. Poſt biduum exivit oppidô, in Galilæam, ubi in Cana ſanat filium Regii. Joh. II. 43. 46. qvod erat alterum in Galilæa miraculum, cum plura Jeroſolymæ edidiſſet. Joh. II. 45. 54.

V. Docens autem per univerſam regionem in Synagogis eorum, venit tandem in patriam Nazareth, Lucæ IV. 14. ubi in Synagoga, porrectô ipſi Eſaiæ librô, de ſe exponit prophetiam capitis ſexageſimi primi, (v. 16.) Ortâ autem exprobratione virtutis, & inde apologiâ Domini, præcipitare eum conantur de monte cives ejus, ſed ipſe per medium eorum diſcedit. Lucæ IV. 29.

VI. Relinqvens Nazaretham venit Capernaum, Matth. IV. 13. Lucæ IV. 31. In via deambulans ſecus mare, Simonem Petrum & Andream, in Patria ipſorum relictos anteà, filióſqve Zebedæi, vocat ad ſeqvendum ſe. Matth. IV. 18. Marci I. 16. Docet ibidem in Synagogis, & Spiritum immundum obmuteſcere juſſum expellit. Marci I. 21. Lucæ IV. 31. 33. In ædibus deinde Simonis ſocrum ejus febricitantem ſanat, Lucæ IV. 38. Marci I. 30. & circa occaſum ſolis oblatos undiqve ægrotos. ibidem v. 40.

VII. Manè egreditur in deſertum locum, ubi perſeqvitur eum Simon & alii. Et volentibus eum detinere turbis reſpondet, Euangelizandum etiam aliis oppidis, ídqve facit. Lucæ IV. 42. Marci I. 36. 39.

VIII. Poſteà cùm iterum circa mare Galilææ verſaretur, obrutus multitudine populi, ex navi Petrina docet, ipſúmqve Petrum cum ſociis deſignat piſcatores hominum. Lucæ v. 1. &c. priorémqve vocationem confirmat.

IX. In aliqva civitatum ſanat leproſum. Lucæ v. 12. Marci 1. 40.

X. Cúm qværerent eum turbæ, confluentes undiqve, ſeceſſit in deſertis & oravit. Lucæ v. 15. 16. Marci 1. 45.

XI. Venit iterum & Capernaumi docuit, ibidémqve ſanavit paralyticum Lucæ v. 17. Marci II. 1.

XII. Egreſſus ad Stagnum, vidit Levin ſeu Matthæum, eúmqve vocavit è telonio. Marci II. 13. 14. Lucæ v. 27. ibi paullò pòſt oboritur diſputatio de Jejunio. Lucæ v. 33. Marci II. 18.

Acta tertii anni.

I.

IN Paſchali feſto adſcendit Dominus Jeroſolymam, ibíqve ſanat decumbentem ad piſcinam Bethesdà, in Sabbato. Joh. v. 1. 2. Qværentibus ideò ipſum occidere, opponit apologiam diviniſſimam. Joh. v. 17.

II. Sabbatô δευτεροπρώτῳ diſcipulos à calumniis Phariſæorum vindicat. Lucæ VI. 1. Marci. II. 23.

III. Alio Sabbatô docet in Synagoga, & ſanat manum aridam. Marci III. 1. Luc. VI. 6. Exeuntes ſtatim Phariſæi cum Herodianis, conſultant de perdendo ipſo. Marci III. 6.

IV. Diſcedit ergo cum diſcipulis ad mare, navémqve conſcendit, ut multitudinem declinet populi. Marci III. 9. ſeqvente autem populô plurimô,

mô, ingentia edit miracula. Marci III. 10. 11. Matth. IV. 24. 25.

Proinde conſcenſô monte, præmiſſis anteà precibus, deligit duodecim, vocatqve Apoſtolos, & eximiam habet concionem, primùm ad Apoſtolos, inde etiam ad univerſum populum. Luc. VI. 12. &c. Marci III. 13. Matthæi V. VI. VII. Tunc qvoqve ſanat leproſum. Matthæi VIII. 1.

V. Intrans deinde Capernaum Centurionis ſervum ſanat, Matth. VIII. 7, Luc. VII. 1. 2. Et denuò etiam ſocrum Petri, Matth. VIII. 14. Et veſperi ingentem ægrorum multitudinem, ibid. v. 16.

VI. Venit ad oppidum Naim, ibiqve filium viduæ reſuſcitat. Lucæ VII. 11. 17. &c. Mori ergo famâ ejus diſcipuli Johannis, renunciant præceptori, qvæ de Chriſto audiunt, unde occaſio nata eſt eos poſtmodùm ablegandi ad ipſum. Lucæ VII. 18. &c. Poſteà invitatur à Phariſæo, & abſolvit peccatricem. Lucæ VII. 36.

VII. Oppidatim prædicat regnum DEI, & duodecim cum illo, miniſtrantibus ei qvibuſdam mulieribus. Lucæ VIII. 1. Tunc parabolam proponit de variis generibus auditorum. Lucæ VIII. 4. Atqve in domo qvadam ſugillatus à Phariſæis, qvaſi dæmonia ejiciat per principem eorum, acriter ſe tuetur. Marci III. 22. &c. Veniunt mater & fratres ejus vocantes ipſum. Lucæ VIII. 19. Marci III. 3.

VIII. Viſis turbis egreditur ad mare, ubi ſcribæ cuidam ſocietatem offerenti, conditionem ſuam explicat, Matth. VIII. 18. &c. Variáſqve proponit parabolas. Marci IV. 1. &c. Deinde, circa veſperam jubet tranſire Stagnum, Matth. VIII. 23. Marci IV. 35. ubi ingenti ſubortâ tempeſtate periclitatur dormiens, ſed mox compeſcit ventum & mare. Matth. VIII. 24. Marci IV. 36. Lucæ

VIII. 23. Hinc venit in regionem Gadarenorum, profligatíſqve dæmoniis diſcedit. Matth. VIII. 25. Marci v. 1. Lucæ VIII. 26.

IX. Trajectô mari venit iterum in propriam civitatem, ubi à turba exſpectante excipitur, Matth. IX. 1. Marci v. 21. Lucæ VIII. 40. Ibi ſecus mare ſanat paralyticum, & cum Matthæo iterum vocato prandet. Matth. IX. 2. 9. qvæſtionem etiam de jejunio, non à ſcribis, ut antea, ſed à diſcipulis Johannis motam, denuò explicat. Matth. IX. 14. Filiam dehinc Jairi excitat, & mulierem ſanat αἱμοῤῥοοῦσαν Matth. IX. 18. Marci v. 22. Luc. VIII. 41.

X. Tranſiens inde cæcos duos & mutum dæmoniacum ſanat. Matth. IX. 16. Et circumit poſteà civitates, & docet in Synagogis eorum. Matth. IX. 35.

XI. Egreſſus inde venit in patriam ſuam, Marci VI. 1. ibíqve docens contemptus eſt à civibus. Poſtmodùm advocat, inſtruit & emittit duodecim Apoſtolos, qvi euntes prædicant regnum Dei Matth. IX. 36. & x. 1. Marci VI. 7. Lucæ IX. 1. &c.

XII. Deinde transgreſſus docuit in civitatibus, & reſpondet legatis Baptiſtæ qværentibus, num ipſe ſit ὁ ἐρχόμενος. Matth. XI. 1. 2. &c. Mox exprobrat civitatibus ingratitudinem, reverſíſqve diſcipulis confitetur patri, & omnes ad ſe invitat. Matth. XI. 19. 20.

XIII. Appropinqvante jam Paſchate tranſiit per ſata, & diſcipuli urgente fame ſpicas conterunt manibus & comedunt, ac defenduntur contra Phariſæos. Matth. XII. 1. &c. Eôdem Sabbatô ſanat hominis manum aridam, ſicut & antea fecerat. Matth. XII. 9.

XIV. Inde

XIV. Inde digreſſus propter inſidias, plurimos ſanavit ægrotos, Matth. XII. 15. præcipiens ne ipſum proderent, ibidémqve ſanat dæmoniacum, & blasphemantes Phariſæos iterum refutat graviſſimè. Matth. XII. 22. &c. Reqviſitus à parente & fratribus, oſtendit, qvinam ſunt veri fratres & mater. ibidem v. 46.

Eâdem die egrediens domô illâ ad mare, proponit multas & eximias parabolas populo. Matth. XIII. 1. &c. qvas domum reverſus interpretatur diſcipulis. ibidem v. 36.

XV. Poſteà Nazaretam veniens contemptus iterum eſt à ſympatriotis, Matth. XIII. 54. Tunc interfecerat paullò antè Johannem Baptiſtam Herodes, (qvem annum integrum & tres menſes carcere clauſum habuerat:) eôdem ſcilicet tempore, qvum Chriſtus diſcipulos ſuos prædicatum emiſiſſet. Proinde cùm audiret miracula à Chriſto & diſcipulis edita, metuit, ut Johannes forſan reſurrexerit à mortuis. Matth. XIV. 1. Marci VI. 14. Lucæ IX. 7. &c.

Dominus ergo cognitâ à diſcipulis Johannis magiſtri ſui morte, non proficiſcitur ad Paſcha, ſed diſcedit cum Apoſtolis in locum deſertum Bethſaidæ, ibíqve edit miraculum cibationis qvinqve millium per qvinqve panes hordeaceos. Johan. VI. 1. Lucæ IX. 10. Matth. XIV. 13. Marci VI. 32. Seqventi nocte qvartâ vigiliâ poſt preces viſitat diſcipulos periclitantes in mari. Matth. XIV. 23. &c. Marci VI. 45. Joh. VI. 17.

Acta qvarti anni, poſt Paſcha tertium, annotatum à Johanne c. VI. 4. indicatum à Matthæo, c. XII. 1.

I.

CUm populus Jeſum non inveniret in deſerto, tandem & ipſi trajiciunt ſtagnum, qværentes ipſum, Johan. VI. 22. qvem reperientes in terra Genezareth graviſſimam audiunt orationem, de qværendo cibo ſpirituali. Joh. VI. 25. Matth. XIV. 34. Poſteà conferuntur omnes ægroti ex toto confinio, eóſqve ſanat Dominus benigniſſimè, etiam attactu ſuæ fimbriæ. Matth. XIV. 35. Marci VI. 54.

Tunc ab Jeroſolyma conveniunt ipſum ſcribæ & Phariſæi, interrogantes, cur traditiones majorum violare ſinat diſcipulos, Matth. XV. 1. Marci VII. 1. &c. qvos egregiè confutat. Inde advocatis turbis, qvænam hominem polluant aut communem faciant, explicat. Matth. XV. 10. Marci VII. 17.

II. Egreſſus in fines Tyri & Sidonis, ſanat filiam mulieris Cananeæ. Matth. XV. 21. Marci VII. 24.

III. Inde reverſus ad mare Galilææ, per medios fines decapoleos, ſanat ibidem inter alios ſurdum μογιλάλον. Matth. XV. 29. Marci VII. 31.

Ibidem cibat qvatuor virorum millia panibus ſeptem, & paucis piſciculis. Matth. XV. 32. Marci VIII. 1. &c.

IV. Statim inſcendens naviculam, profectus eſt in fines Magdala & Dalmanutha, Matth. XV. 39. Marci VIII. 10. Et Phariſæis ſignum qværentibus,

bus, non aliud eſſe dandum qvàm Jonæ Prophetæ reſpondet. Matth. xvi. 1. Marci viii. 10.

V. Reverſus per mare Galilæum in alteram ripam, diſcipulos panum oblitos de fermento præmonet Phariſæorum cavendo, & ignorantiam eorum redarguit. Matth. xvi. 5. &c. Marci viii. 13. Ibi extra Bethſaidam ſanat cæcum. Marci viii. 22.

VI. Indidem diſcedens in partes Cæſareæ Philippi, Petrum confeſſionem ſuam nomine reliqvorum edentem, de ſuo officio prolixè edocet, prohibétqve ne ipſum diſcipuli Chriſtum eſſe dicant, Matth. xvi. 13. &c. Marci viii. 27. Lucæ ix. 18. Addit prædictiones paſſionum ſuarum, & Petrum dehortantem valde increpat. Matth. xvi. 21. Marci viii. 37. Lucæ ix. 22. Docet Apoſtolos & turbam, qvòd cum abnegatione ſui & crucis ſuſceptione, ſeqvi ipſum debeant. Matth. xvi. 24. Marci viii. 34. Lucæ ix. 23.

VII. Octavô die, (ſex diebus elapſis) Petrô, Johanne & Jacobô aſſumptis, in monte gloriam ſuam cæleſtem manifeſtat. Matth. xvii. 1. Marci ix. 2. Lucæ ix. 28. Et Johannem fuiſſe Eliam venturum edocet. Matth. xvii. 16. Marci ix. 10.

VIII. Seqventi die, cùm ad reliqvos rediiſſet diſcipulos, invenit circa eos turbam multam cum Phariſæis, ſanavítqve lunaticum, qvem diſcipuli liberare à Dæmonio neqviverant. Lucæ ix. 37. Matth. xvii. 14. Marci ix. 14.

IX. Inde exeuntes proficiſcuntur per Galilæam, Marci ix. 10. ubi docet Dominus de ſua paſſione, Matth. xvii. 22. Marc. ix. 31. Lucæ ix. 43. & in Capernaum ſolvit didrachma. Matth. xvii. 24. In via diſceptant, qvis maximus ſit eorum, Lucæ ix. 46. qvam diſceptationem reqvirente Dominô,

ſan-

tandem ad ipſum deferunt Capernaum, *Matth.* XVIII. 1. & copioſam reſponſionem accipiunt. Tunc etiam Johanni exemplum proferenti, de qvodam dæmoniorum expulſore, extra diſcipulorum gregem, ratio redditur, qvòd prohibendus non fuerit. Marci IX. 37. 38. Lucæ IX. 49. Docetur prolixè de ſcandalo, & de ſale ac pace habenda. Matth. XVIII. 6. Marci IX. 42. adjectis & aliis præclaris ibidem.

X. In ſcenopegiis, fratres conſulentes ſibi ut ad feſtum eat, jubet adſcendere, ſuum verò tempus nondum adeſſe ſignificat. Joh. VII. 2. ſecutus eſt tamen ipſe, ſed tanqvàm in occulto, Joh. VII. 10. cùm complerentur dies aſſumptionis ejus. Lucæ IX. 51.

In via denegatur ei hoſpitium à Samaritanis. Lucæ IX. 52. &c. Tribus ſeſe iter facienti adjungere cupientibus reſpondetur. Lucæ IX. 57.

Emittit alios 70. diſcipulos Luc. X. 8. Mediô feſtô adſcendit in templum & docet. Joh. VII. 11.

Ibi cupiebant eum prehendere & occidere, ſed fruſtra Joh. VII. 30.

Dominus ergo confidenter docet in Templo, de variis doctrinæ capitibus, & multi credunt in eum. Joh. VII. 31.

Nicodemus eum defendit in ſynedrio. Joh. VII. 50.

XI. Egreſſus ex urbe feſtô finitô, redit manè in templum, ac docet univerſum populum. Joh. VIII. 1. 2. Ubi tentatur à ſcribis in judicio adulteræ. v. 3. ſed cum ignominia ipſorum. Inde aſſerit ſe lucem mundi, Joh. VIII. 12. & de ſe ſuóqve officio diſceptat cum Judæis, v. 13. donec lapides tollerent, & ipſe occultus, per medios ipſos tranſ-

iens,

iens, excederet è templo. Joh. VIII. 58. Poſteà ſanat cæcum, Joh. IX. 1. de qvo miraculo cum parentibus & ipſo ſanato contendunt graviter Judæi. Joh. IX. 8. &c. Sanatus tandem audiens, Jeſum eſſe filium Dei, adorat ipſum. Joh. IX. 37. 38. Hinc alia naſcitur diſſertatio Chriſto cum Judæis, utrum ipſi cæci ſint; & Chriſtus ad illuminandos cæcos in mundum venerit? Joh. IX. 39. &c. Igitur aſſerit Dominus, ſe eſſe bonum Paſtorem, alios fures & latrones. Joh. X. 1. &c. de qvo ſermone varia feruntur judicia. Joh. X. 20. 21. Tum reverſis ad Dominum diſcipulis ſeptuaginta, Lucæ X. 17. fit exomologeſis ejus, Lucæ X. 21. Prædicatur Apoſtolorum & reliqvorum beatitudo, ibidem v. 23. & exoritur qvæſtio legiſperiti, de ratione conſeqvendi vitam æternam, Lucæ X. 25.

XII. Proficiſcitur JEſus Bethaniam, & divertit cum diſcipulis ad Martham & Mariam. Lucæ X. 38. Orans alicubi, docet denuo formulam orandi. Lucæ XI. 1. Ejicit dæmonium mutum, & blaſphemis opponit apologiam. Lucæ XI. 14. 29. Invitatus à Phariſæo, redarguit eorum hypocriſin. Lucæ XI. 37. & legiſperitos taxat. Ibidem v. 47.

Poſtea ingenti hominum concurſu docet cavere fermentum Phariſæorum Lucæ XII. 1. dehortatur à metu hominum, v. 4. & ab avaritia. Lucæ XII. 13. &c. Adhortatur ad ſedulitatem & vigilantiam. v. 41. Docet de natura & progreſſu regni ſui. v. 49. & adhortatur ad ſeriam reſipiſcentiam, Lucæ XIII. 1. &c.

In Synagoga ſanat mulierem alligatam à diabolo. Lucæ XIII. 10.

XIII. Tranſit per civitates docens, & iter facit iterum verſus Jeroſolymam, Lucæ XIII. 22. Nimirum ad Encænia.

Diſſe-

Diſſerit de introitu per anguſtam portam. Luc. XIII. 23.

De Herode monitus non vult fugere. Ibidem v. 31.

Invitatus in ædes principis Phariſæorum ſanat hydropicum. Lucæ XIV. 1. Reprehendit ſuperbiam illorum, & contemptum cænæ magnæ. Luc. XIV. 15. Facta ſunt Encænia in Jeruſalem. Joh. x. 21. & ambulans in porticu Salomonis denuo concertat cum Judæis, Joh. x. 23. indignantibus, qvòd faceret ſeipſum Deum. Joh. x. 33. eúmqve capere volentibus. v. 39.

XIV. Abiit ſecus Jordanem, ubi Johannes Baptizabat. Joh. x. 40. Turba comitatur eum, cui prolixè concionatur de ſerio regni DEi ſtudio. Lucæ XIV. 25. Defendit gratiam Dei erga peccatores reſipiſcentes, parabolâ triplici. Lucæ XV.

Parabolicè diſſerit & apertè de vero uſu & abuſu bonorum hujus ſeculi. Lucæ XVI. de ſcandalis, Lucæ XVII. 1. de imperfectione renatorum. Lucæ XVII. 5.

XV. Proficiſcens Jeroſolymam per medium Samariæ & Galilææ, juxta vicum ſanat decem leproſos, Lucæ XVII. 11.

Docet regnum DEI non venire cum externa & ſuperſtitioſa obſervatione. Ibidem v. 20. & qvalis ſit adventus ſuus, & qvando, v. 22. &c.

Ad qvem aſſiduis precibus opus eſſe, oſtendit parabolâ. Lucæ XVIII. 1.

Redarguit ſuperbiam de juſtitia propria exemplô Phariſæi & publicani. Lucæ XVIII. 9.

Venit in confinia Judææ, Matth. XIX. 1. per Perexam, Marci x. 1. Ibi Phariſæos de divortio qværentes, prolixè de conjugio inſtituit. Matth. XIX. 3. Marci x. 2. 3.

Ibi-

Ibidem pueros oblatos excipit. Math. XIX. 13. Marci x. 13. Lucæ XVIII. 15.

Divitem qvendam, volentem faciendo conſeqvi vitam æternam, triſtem dimittit, Matth. XIX. 13. Marci x. 13. Lucæ XVIII. 15.

Multum præmii illis præparatum, qvi omnia propter Chriſtum deſerunt, oſtendit Matth. XIX. 27. Marci x. 28. Lucæ XVIII. 28.

Fieri autem ſæpè ut ultimi fiant primi, primi ultimi Matth. xx. 1. &c.

XVI. Mors Lazari nunciatur. Joh. XI. 1. &c.

Adſcendens Jeroſolymam docet Apoſtolos iterum de paſſione, morte, & reſurrectione ſua. Matth. xx. 17. Marci x. 32. Lucæ XVIII. 31. Joh. XI. 7.

Mater filiorum Zebedæi petit filiis ſuis ſeſſionem ad dexteram & ſiniſtram Chriſti neſciens qvid petat. Matth. xx. 20. Marci x. 25.

Propè Jericho ſanat cæcum Dominus. Lucæ XVIII. 35. vocat Zachæum, & divertit apud ipſum. Lucæ XIX. 2.

Extra Jerichuntem duos ſanat cæcos, & in eis Bartimæum. Matth. xx. 29. Marci XIII. 9.

Deſcribit conditionem regni ſui, illuſtri parabolâ viri generoſi peregrè proficiſcentis Lucæ XIX. 11.

Dominus venit Bethaniam, ibíqve Lazarum ante qvatriduum ſepultum, excitat à mortuis Joh. XI. 1. ſ. &c. Phariſæi verò de ipſo interficiendo conſultant. Joh. XI. 46. &c.

XVII. Recipit ſe in oppidum Ephraim, dum populus ante Paſcha ſe congregat Jeroſolymis Joh. XI. 54. interim omnibus modis ei inſidias ſtruunt Sacerdotes cum Phariſæis. Ibidem v. 57.

XVIII. Sex diebus ante Paſcha redit Bethaniam, ibiqve ungitur à Maria, ſorore Lazari. Joh. XII. 1. Lucæ XIX. 29. Conſultant principes Sacerdotum de interficiendo etiam Lazaro Joh. XII. 9. 10.

Appro-

Appropinqvans Jeroſolymæ, aſinæ & deinde pullo inſidet. Matth. xxi. 1. Marci xi. 1. Lucæ xix. 30. Johan. xii. 12.

Flet ſuper urbem & prædicit excidium ejus, Lucæ xix. 39. Ingreditur urbem pompâ ſingulari, & ejicit vendentes & ementes è templo. Matth. xxi. 10. Marci xi. 11. & xii. 45.

Concionatur Græcis nonnullis ipſum videre cupientibus, itémqve diſcipulis ſuis iterum de morte & exaltatione ſua; vox qvoqve è cælo reſpondet ei, & tandem abiens abſcondit ſe Joh. xii. 20. 36. Interim Phariſæorum, Scribarum, Sacerdotum, & populi adverſiſſimus eſt in ipſum affectus Joh. xii. 37. Lucæ xix. 47.

XIX. Abiit in Bethaniam cum duodecim Apoſtolis, Matth. xxi. 17. Marci xi. 11. poſtridiè redit in urbem Matth. xxi. 18. Marci xi. 12. In via ficui maledicit, Matt. xxi. 19. Marci xi. 13. Ingreſſus iterum ejicit vendentes & ementes è templo, Marci xi. 18. Sacerdotes & Scribæ, qværunt eum prehendere, ſed timent populum. Marci xi. 18. Veſperâ factâ urbe egreditur. Marci xi. 19.

XX. Manè in reditu ad urbem, occaſione ficus arefactæ, concionatur de fidei efficacia. Matth. xxi. 22. Marci xi. 20. Reverſus igitur Jeroſolymam tertiò (Marci xi. 12. 20.) publicè interrogatur à Sacerdotibus & primoribus, Qvâ poteſtate doceat & templum repurget, qvos confundit per ἀντιερώτημα. Matth. xxi. 23. Marci xi. 27. Lucæ xx. 1.

Hinc docet parabolicè, redarguens hypocriſin, Matth. xxi. 13. 28. & ingratitudinem & contumaciam populi Iraëlitici, præſertim primorum ejus, variam. Matth. xxi. 33. Marci xii. 1. Lucæ xx. 9. Ideò rurſus eum qværunt prehendere, ſed nihil audent propter turbam. Matth. xxi. 45. Marci xii. 12. Lucæ xx. 19.

Iterum reprehendit graviter contemptum gratiæ DEi, parabolâ de nuptiis regiis. Matth. xxii. 1. Et novô oppugnatur conſiliô Phariſæorum & Herodianorum. Matth. xxii. 15. Marci xii. 13. Lucæ xx. 20. Deinde qvæſtione Sadducæorum de reſurrectione. Matthæi xxii. 23. Marci xii. 18. Lucæ xx. 27. Item qvæſtione legiſperiti de magno mandato Legis. Matth. xxii. 34. Marci xii. 28. Qvibus expeditis reponit qvæſtionem de Chriſto filio pariter & domino Davidis. Matth. xxii. 41. Marci xii. 35. Lucæ xx. 41.

Obmuteſcentibus illis, præmonet populum, caveant ſibi à vitiis Scribarum & Phariſæorum, iíſqve væ dicit aliqvoties, totíqve urbi. Matthæi capite xxiii. toto. Marci xii. 37. &c. Lucæ xx. 45.

Deinde Viduæ donum in Gazophylacium miſſum commendat; Lucæ xxi. 1. Marci xii. 41. ne qvis ſcilicet contributionem ſacram ob miniſtrantium vitia putaret omittendam.

Tum qvoqve diſcipulis ſplendorem ædificii Templi monſtrantibus, prædicit ejuſdem, totiúſqve inſuper urbis excidium. Matth. xxiv. 1. Marci. xiii. 1. Lucæ xxi. 5. &c. Diebus ita ſingulis docebat in Templo, noctu exiens ηὐλίζετο ad montem Oliveti Lucæ xxi. 37.

XXI. Biduô ante Paſcha repetit prædictionem paſſionum ſuarum, & præparantur hoſtes ad apprehenſionem, ſed adhuc metuunt, Matth. xxvi. 3. Marci xiv. 1. Lucæ xxii. 1.

In Bethania verò hoſpitante JEſu, effundit mulier alabaſtrum ungventi ſuper caput ejus. Matth. xxvi. 5. Marci xiv. 3. Atqve hinc intrat Satanas in cor Judæ amplius, Lucæ xxii. 3. ut paciſcatur cum principibus de tradendo JEſu, abſqve turba Matth. xxvi. 14. Marci xiv. 11. Lucæ xxii. 4.

Primô die azymorum paratur Paſcha. Matth. xxvi. 17. Marci xiv. 12. Lucæ xxii. 7.

XXII. Comedit Paſcha cum diſcipulis in urbe Jeroſolyma, lavat inde pedes eorum, & inſtituit corporis & ſangvinis ſui Teſtamentum. Matth. xxvi. 20. Marci xiv. 17. Lucæ xxii. 14. Joh. xiii. 2.

Poſteà præparat diſcipulorum animos ad paſſionem, prædicens proditorem ſuum, diſcipulos de præeminentia contendentes inſtruit, & periculum ipſis, præſertim Petro, lapſum ſuum prænuntiat. Lucæ xxii. 23. 31. Joh. xiii. 31. Matth. xxvi. 21. Marci xiv. 18.

Prolixam deinde habet concionem ad diſcipulos, de fructu paſſionis & mortis ſuæ, Joh. xiv. 1. &c. & varias ipſorum dubitationes ſolvit. Joh. xiv. 5. 8. 22. &c.

Surgens deinde cum diſcipulis, ut abeat, copiosè eos inſtruit, Joh. xiii. 31. Adhortans eos, 1. ad conſtantem fiduciam in ſe. Joh. xv. 1. 2. ad dilectionem mutuam & mundi contemptum. Joh. xv. 17. 18. 3. Promittens Spiritum Sanctum, doctorem & teſtem, & advocatum in omnibus ipſis adfuturum. Joh. xv. 26. 4. Prædicens luctus & gaudii ipſorum viciſſitudinem. Joh. xvi. 16. qvam cùm non caperent, explicat v. 17. &c. 5. Futuram eorum perfectionem, in precibus præſertim Joh. xvi. 23. Et cùm illi ſe jam qvoqve multò eruditiores putarent, ſecuturam mox defectionem, & cauſſam hujus inſtructionis commemorat. v. 29. &c.

Deniqve prece ad patrem ſuum diviniſſimâ totam orationem concludit. Joh. xvii. capite toto.

XXIII. Egreditur urbe ad montem Olivarum, & qvid ſibi eventurum & Apoſtolis breviter repetit. Matth. xxvi. 30. 31. Marci xiv. 26. 27. Lucæ xxii. 39. 40. Joh. xviii. 1. Hortatur Apoſtolos ad preces, & aſſumptis eorum tribus, in pavore & triſticia animæ

mæ ardentiſſimè precatur. Matth. xxvi. 36. Marci xiv. 32. Lucæ xxii. 40. Elapſâ horâ venit Judas cum comprehenſoribus, qvibus obviam procedens dominus verbô eos proſternit. Joh. xviii. 2. 3. Matth. xxvi. 46. Marci xiv. 42. & correptâ Petri temeritate, & Judæ perfidiâ, ſanatáqve Malchi aure, hoſtibus ſe permittit. Matth. xxvi. 48. Marci xiv. 44. Luc. xxii. 47. Joh. xviii. 8.

XXIV. Comprehenſus vinctúſqve JEſus reducitur in urbem, & ſiſtitur Hannæ, mox Cajaphæ. Joh. xviii. 12. Lucæ xxii. 54. Marci xiv. 53. Matth. xxvi. 57.

Dum examinatur, & teſtes audiuntur in ædibus Cajaphæ, Petrus eum negare incipit. Matth. xxvi. 58. Marci xiv. 54. Luc. xxii. 55. 56. Joh. xviii. 15. Deinde magis & tertiò negat circa gallicinium. Lucæ xxii. 59. 60. Matth. xxvi. 71. Joh. xviii. 27. Poſteà illuditur & conſpuitur Dominus Lucæ xxii. 63. Matth. xxvi. 67. Marci xiv. 65.

Manè iterum coram toto ſynedrio examinatus JEſus, aſſerit ſe eſſe Chriſtum DEi filium, ideóqve damnatur. Lucæ xxii. 66. Marci xv. 1. Matth. xxvii. 1. Et captivus vinctúſqve traditur Pontio Pilato. Joh. xviii. 28. Lucæ xxiii. 1. Tunc Judas ſcelus ſuum confeſſus deſperat. Matth. xxvii. 3. Apud Pilatum accuſatus audituſqve innocens pronunciatur. Lucæ. xxiii. 2. Joh. xviii. 29. Matth. xxvii. 11. Marci xv. 2.

Inſtantibus Judæis mittitur ad Herodem, illuſúſqve ab eo, pro non facinoroſo remittitur. Lucæ xxiii. 6.

Pilatus ergo excuſans ipſum caſtigatione hoſtibus vult ſatisfacere, Lucæ. xxiii. 13.

Inde populus pro more petit captivum dimitti aliqvem, Pilatus componit JEſum cum Barabba, Turbæ ſvaſu Pontificum Barabbam eligunt. Joh. xviii. 39. Lucæ iii. 17. Marci xv. 6. Matth. xxvii. 15.

Iterum Judex flagellatum JEſum vult dimittere, ſed fruſtra. Joh. xix. 1. &c.

Tunc milites omni genere contumeliarum ipſum afficiunt. Matth. xxvii. 27. Marci xv. 16. Joh. xix. 2. Abluit igitur manus Pilatus, & ſic tradit Dominum Matth. xxvii. 24. Marci xv. 15. Lucæ xxiii. 23. Joh. xix. 16.

XXV. Educitur extra urbem, & cùm priùs bajulâſſet crucem ſuam, poſteà eam imponunt Simoni Cyrenæo, Joh. xix. 16. 17. Lucæ xxiii. 26. Matth. xxvii. 32. Marci xv. 20. 21. Defletus deflere jubet ſeipſas filias Jeruſalem. Lucæ xxiii. 27.

Potatus acetô felleô crucifigitur cum latronibus, & ab omnibus irridetur. Matth. xxvii. 34. Marci xv. 23. Lucæ xxiii. 33. Joh. xix. 18.

Circa horam nonam cum magno clamore tradit Spiritum, obſcuratô ſole, ruptóqve velô Templi. Lucæ xxiii. 44. Matth. xxvii. 46. Marci xv. 34. Johan. xix. 30.

Inde fiunt miracula maxima, & circa veſperam, nondum occaſô ſole, ſepelitur honorificè. Matth. xxvii. 51. Marci xv. 39. Lucæ xxiii 47. Johan. xix. 31. Sacerdotes & primores adhibitis cuſtodibus, curant obſignari ſepulcrum. Matth. xxvii. 62.

Acta poſt Paſcha Qvartum, poſtqvàm reſurrexiſſet Dominus a mortuis.

I. CUm mulieres ſummô manè exîſſent ad ſepulcrum fit terræ motus, & reſurgit interim Dominus, & Angelus revolvit lapidem de monumento, fugatis cuſtodibus. Matthæi xxviii. 2. 3. Mulieres ergo adferentes ungventa præparata, ſollicitæ ſunt de magnitudine ſaxi, qvô obſtructum erat monumentum, ſed fruſtra; mox animadvertentes lapidem eſſe avolutum, Marci xvi. 1. &c.

Ingrediuntur ergo & vident linteamina poſita, corpus

corpus autem non inveniunt. Joh. xx. 1. Lucæ xxiv. 1. 2. 3.

Currit ergo Maria Magdalena, anteqvàm Angeli apparerent, & nunciat Petro ac Johanni, ablatum eſſe Dominum, & neſciri, ubi poſuerint eum. Joh. xx. 2. 3. Intereà mulieres reliqvæ dubitantes de negotio, vident Angelos duos veſtitu fulguranti, à qvibus docentur Chriſtum videre, & admonentur verborum ejus. Lucæ xxiv. 4. Abeunt ergo & nunciant Apoſtolis & reliqvis omnibus, verùm habentur delirantes. Luc. xxiv. 19.

Surgunt autem Petrus & Johannes, currúntqve ad ſepulcrum, & inveniunt illud vacuum, admirantes qvid factum fuerat. Lucæ xxiv. 12. Joh. xx. 3. 4. &c.

II. Reverſò domum Petrô, Maria Magdalena remanet in horto ſepulcri, ſtánſqve ibidem plorat, & proſpiciens in ſepulcrum, videt duos Angelos, & mox ipſum Dominum JEſum ſibi adſtantem. Joh. xx. 11. Renuncians mæſtis Apoſtolis, qvid viderit, fidem non invenit. Marci xvi. 10. Johán. xx. 18.

III. Redit igitur cum mulieribus ſociis ad ſepulcrum, (ſperantibus utiqve ſe ibidem viſuras Dominum) & invitatæ ab Angelo, ut videant monumentum, Matth. xxviii. 5. Ingrediuntur & vident juvenem à dextris ſedentem, confirmantem reſurrectionem CHriſti, & qvòd præcedat Apoſtolos in Galilæam, ſicut anteà prædixerit. Marci xvi. 5. Fugiunt erog à ſepulcro timore tantô, ut nihil auſint cuiqvam dicere in via. Marci xvi. 8. Volentibus autem nunciare hæc Apoſtolis, occurrit ipſis Dominus, & ab eis tangitur adoratúrqve Matth. xxxviii. 9. 10.

Euntibus porrò nunciatum, cuſtodes veniunt in urbem, & narrantes vera, pecuniis conducuntur ad

divulgandum mendacium, de ablato furtim corpore Matth. xxviii. 11.

IV. Poſtmodùm eâdem die apparet Dominus etiam Petro, fortè iterum reverſo ad ſepulcrum Lucæ xxiv. 34. 1. Cor xv. 5.

V. Cleophæ marito materteræ & comiti ejus, manifeſtatur in via: & in ipſo caſtello Emmaus agnoſcitur. Luc. xxiv. 13. Marc. xvi. 12.

VI. Veſpere clauſis januis ingreditur, & ſubitò ſtat in medio Apoſtolorum, & omnium reliqvorum, ſéqve verè reſuſcitatum demonſtrat argumentis variis. Lucæ xxiv. 36. Johan. xx. 19. Marci xvi. 14. edens & bibens cum illis, & loqvens de regno DEi, ibidem.

VII. Octavò poſt die denuo apparet clauſis januis, & Thomam incredulum convertit Joh. xx. 26.

VIII. Tertiò manifeſtatur pluribus ſimul diſcipulis, ſeptem videlicet numerô pariter, ad mare Tiberiados. Johan. xxi. 1. 14. Ubi ſingulare cum Petro colloqvium inſtituit. Joh. xxi. 15. &c.

IX. Qvarta manifeſtatio generalis, Octava inter eos; qvæ annotatæ ſunt, facta eſt in monte Galilææ, qvam Dominus ante paſſionem promiſerat, per Angelos repetierat, & reſuſcitatus ſingulariter conſtituerat. Eáqve fuit omnium glorioſiſſima, præſentibus (ut ait Paulus 1. Cor. xv. 6.) pluſqvàm qvingentis fratribus unâ vice. Matth. xxviii. 16. &c.

X. Poſteà viſus eſt Jacobo, de qva apparitione nihil ſingulatim narrant Euangeliſtæ, ſed meminit Paulus 1. Cor. xv. 7.

XI. Deniqve congregatis diſcipulis omnibus Jeroſolymæ, multáqve eis locutus de officio ſuo, & Spiritus Sancti adventu, exivit cum eis ad montem olivarum, uſqve ad Bethaniam, & poſtqvàm benedixiſſet ipſis, ſublatus eſt in cælum, videntibus illis, Nube eum ſubducente ab oculis eorum. Lucæ xxiv. 50. Marci xvi. 17. &c. Act. 1. 1. &c.

FINIS.

VIII.

VIII.

D. A. G.

DISSERTATIO PRIOR

eáqve ἀναλυτικὴ

DE

ANGELICA MYSTERII INCARNATIONIS FILII DEI ANNUNCIATIONE,

facta B. Mariæ,

Luc. 1. 35.

Qvam

PRÆSIDE

Virô Reverendô, Clariſſimô & Excellentiſſimô

COELESTINO MISLENTA

SS. Theologiæ Doctore, ejuſdem, & Lingvæ Hebr. P. P.

In Inclyta ad Breglam Academia Boruſſiacâ placido φιλοθεολογούντων *examini die* 14. *Februar. horâ à 7. matut. in Acroaterio Theologico ſubmittit*

GEORGIUS RöCHLIN

Prentzloâ-March.

Annô M. DC. XXIII.

PROOEMIUM.

THESIS I.

SOl omnium rerum ac viciſſitudinum, qvæ in hoc ſublunari mundo ſubinde oriuntur, & occidunt, ſecundum DEum catholicus moderator & auctor, anni id tempus, per DEI gratiam, ad nos iterum devolvit, qvò non tam ex conſvetudine, qvàm ex devota religione, opus illud omnem omnium hominum captum, imo admirationem longè ſuperans, myſterium puta incarnationis Filii DEI Domini & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, in Eccleſia ſolenniter deprædicatur ac celebratur.

II. Et meritò qvidem. Nam ſi ipſum incarnationis opus conſideramus, eſt illud omnium novorum maximè novum, qvod ſub Sole novum eſt; *Damaſcenus*, lib. III. de Orth. Fid. c. I. Myſterium eſt, & qvidem ὁμολογουμένως magnum myſterium 1. Tim. III. 16. mundo planè abſconditum 1 Cor. II. 7. in qvod & angeli geſtiunt παρακύψαι ſeu inſpicere 1. Pet. I. 12. Qvidnî ergo idem & noſtris animi mentíſqve oculis intueamur, contemplemur?

III. Deinde, ſi perſonam, cujus geneſin hôc celebramus tempore, ſpectemus, non Monarcha, vel Rex, vel Dynaſta qvidam ſecularis eſt; ſed puer mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis,

lis, Gigas geminæ ſubſtantiæ, in una ὑποστάσει DEUS & homo, Creator & Creatura, omnium rerum Dominus & Rex ter-Optimus-Maximus & immortalis. De hujus itáqve admirabilis pueri admirabili γενέσει qvem non delectaret colloqvium habere & verba facere?

IV. Verùm qvid jucunditatem commendo? utilitas major eſt. In cognitione enim JEſu Chriſti recens nati vita, & ſalus noſtra æterna poſita eſt Joh. XVII. 3. Eſ. LIII. 11. Noſtra igitur hæc ſit ſublimior philoſophia, ut cum D. *Bernhardo* loqvar, ſcire JEſum, & hunc crucifixum.

V. Idqve eò magis adhuc, qvòd hoſtes & perduelles Immanuelis noſtri JEſu Chriſti non deſint, qvibus omni ex parte fundamentum hoc ſalutis noſtræ impugnare, &, ſi poſſent, planè evertere, nulla eſt religio, nulla pietas. His jam vigilantibus nos dormitabimus? his obloqventibus, nos tacebimus? his pugnantibus, nos non reſiſtemus? imò verò vigilandum nobis, χριστομάχοις blaſphemis & impiis reſpondendum, adeóqve gloria Chriſti vindicanda, fundamentum ſalutis noſtræ muniendum eſt.

VI. Qvia verò Chriſtus ſalus noſtra fructuoſiùs inveniri, inventus meliùs cognoſci, cognitus conſtantiùs & firmiùs contra adverſarios defendi non poteſt, qvàm ex ſacris literis, qvippe qvæ, teſte ipſo Salvatore noſtrô, de eo præclarè teſtificantur Joh. V. 39. idcircò ex divite illo in Chriſti cognitionem nos ducentium teſtimoniorum divinorum, ſacris paginis comprehenſorum, penu, hoc unicum Angelicum Oraculum, qvod apud Lucam Euangeliſtam c. I. 35. legitur, tempori imprimis inſerviens, & myſterium incarnationis eximiè nobis aperiens, explanandum proponere, & Filium DEI incarnatum DEum & hominem in una perſona in eo contemplari placuit.

VII. Ad cujus Angelici dicti conſiderationem ſine ulteriore proloqvio ſtatim nos accingentes, ne ἀτάκτως & ἀμεθόδως in tam ardua & ſalutari materia videamur vagari, negotium totum certis aliqvot capitibus diſtributum expediemus.

PRIMUM, præmiſſô textu originali cum verſione Latina, monſtrabit ἀφορμὴν & occaſionem, tum etiam ſcopum Angelici Oraculi.

SECUNDUM ἀνάλυσιν textus Logico-Theologicam exhibebit.

TERTIUM de perſona JEſu Chriſti confeſſionem ſuccinctam juxta tenorem & ductum textus continebit.

QVARTUM & ULTIMUM moralia ex textu fluentia breviſſimè comprehendet.

Hâc diſputatione, ſtudiô brevitatis, duo priora τὼ δύω percurremus, reliqvâ duo ſeqventi reſervaturi diſputationi.

CHRISTE JESU, FILI DEI, qvi Virtus es Altiſſimi, obumbra, qvæſumus, nos tuâ gratiâ, & nos rere dignos, ſuper qvos effundas Spiritum tuum S. Spiritum veritatis, qvi ſolus nos ducat in omnem veritatem, ac in nos deſuper cum donis ſuis ſuperveniens, corda noſtra lumine tuæ cognitionis illuſtret: ut in verbo Euangelii te rectè qværere; quæſitum feliciter invenire; inventum fiducialiter apprehendere; apprehenſum ſalutariter retinere poſſimus, in nominis glorioſi tui laudem, & noſtrûm æternam ſalutem! Amen!

CAPUT I.

Monſtrans, præmiſſô textu Originali cum Latina verſione, occaſionem & ſcopum Angelici oraculi.

Textus Origin.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῇ· Πνεῦμα ἅγιον

ἐπε-

ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ.

Verſio Latina.

Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideò etiam, qvod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.

MEMBRUM I.

Agens de ἀφορμῇ ſeu occaſione aphoriſmi Angelici.

VIII. B. Maria audiens ſalutationis Angelicæ verba, & ex illis colligens, ſe eſſe virginem illam qvæ uti Eſaias Vates, c. VII. 14. prædixerat, deberet concipere & parere Filium, re & nomine Immanuelem, DEum nobiſcum; non qvidem dubitat de Angeli verbis effectum ſuum habituris; ſed modum, qvomodò hæc omnia, qvæ ex Angelo perceperat, fieri poſſint, vel debeant, ignorans; in majorem fidei confirmationem ex Angelo qværit, dicens: *qvomodo erit iſtud, qvandoqvidem virum non cognoſco?*

IX. Hæc qvæſtio Mariæ, qvæ Angelo dedit occaſionem brevi aphoriſmô comprehendendi inſtitutionem integram & perfectam de modo incarnationis Filii DEI, varias Interpretum ſortita eſt explicationes. *Pontificii* hîc divinare incipiunt, & dicunt: Mariam his verbis feciſſe votum perpetuæ continentiæ, & virginitatis, uti legere eſt apud *Bell. de Mon. lib.* II. *c.* XXII. Qvem errorem olim qvoqve *D. Auguſtinum* erràſſe teſtatur Gloſſa ordinaria ſuper hunc locum. Sed fallunt & falluntur, & doctè refutati legi poſſunt apud *B. Chemnitium in Harm. lib.* I. *c.* IV. *p. m.* 54. Et *in Exam: Conc: Trid: part:* III. *de Cœlib: & virgin. c.* IX. *p. m.* 35. & apud alios alibi.

alibi. Multæ aliæ qvoqve ſententiæ Doctorum de hac qvæſtione Mariæ adduci poſſent; verùm opus eſſe non judicamus: ſiqvidem fidem non evertunt, adeóqve arbitrariæ haberi poſſunt. Paucis tamen hoc noſtrum de illis judicium eſt, eas ſcopum & ſenſum genuinum qvæſtionis Mariæ non attingere.

X. Noſtra verò ſententia hæc eſt, qvando Maria ſancta Virgo ex Angelo qværit: *qvomodo erit iſtud, qvandoqvidem virum non cognoſco?* qvæſtionis propoſitæ hunc ſimplicem, & verum eſſe ſenſum: Qvandoqvidem mi Angele, virum non cognoſco, hoc eſt, vera, pura, illibata & immaculata Virgo ſum, (ſunt enim hæ phraſes ſenſu æqvipollentes, nimirùm: Virum non cognoſcere vel cognoviſſe, &, Virginem adhuc eſſe illibatam, uti videre eſt, Gen. XIX. 8.) & licèt deſponſata ſim Joſepho, nondum tamen in domum deducta, & conſvetudine conjugali cum ipſo uſa ſum; ideò etiam nulla dubito, qvin Dominus, qvod olim per os virorum Sanctorum, & ex his præcipuè Eſaiæ Prophetæ, prædixit & promiſit, jámqve per te mihi annunciavit, impleturus ſit, & me, virginitate meâ incorruptâ, fœtificare in utero, ut concipiam & pariam Filium promiſſum, Meſſiam exoptatiſſimum, Immanuelem ſeu DEum nobiſcum. Verumenimverò, qvomodò hoc futurum ſit, neſcio: hoc nempe, qvod & Virgo conceptura ſim, & qvòd Filius meus futurus ſit Immanuel DEus nobiſcum, vel, uti tu modò dixiſti, Filius DEI. Qvapropter, ut fides mea in me eò magis, ac magis creſcat, & confirmetur; peto à te, explica modum qvomodò id futurum ſit?

XI. Probamus hanc genuinam ſententiam eſſe *primò* ex antecedentibus. Ibi enim Angelus nunciaverat B. Mariæ hæc duo: 1. qvòd jam jam, Virgo adhuc

huc exiſtens, ſit conceptura, ſuóqve tempore paritura Filium. 2. qvòd Filius Ille non ſit futurus purus putus duntaxat Filius Mariæ; ſed & Filius DEI Altiſſimi, adeóqve Immanuel, DEus nobiſcum, DEus & homo in una perſona. Utrumqve hoc Maria ſimplici qvidem fide credens, ſed de modo nihil ſciens, eumdem utriuſqve effati explorat, & ſibi explicari ab Angelo contendit.

XII. *Deinde* evincit hoc particula τῦτο, Id vel hoc. Particula hæc poſita in genere neutro ſolùm abſqve ſubſtantivo, & reſpectum habens ad ſententiam præcedentem, ſenſu eſt complexa, comprehendens omne id, qvod anteceſſit, & ad qvod reſpectum habet. Jam de duobus Angelus inſtituerat Mariam Virginem (ſicuti modò dictum eſt) Ergo ad omne id, de qvo eam certiorem fecerat, vox τῦτο reſpectum habet; adeóqve Maria de modo interrogans Angelum, orat, ſibi explicetur omne id, qvod Mariæ jam annunciatum fuerat, qvomodo futurum eſſet?

XIII. *Tertiò* confirmamus hanc ſententiam ex conſeqventibus, nempe ex data, ad qvæſitum Mariæ ab Angelo reſponſione. Angelus enim acqvieſcens in petitione Mariæ, duo explicat: 1. qvomodo per ſuperventum Spiritus S. conceptura & paritura ſit Filium citra violatam virginitatis puritatem. 2. qvomodò ex obumbratione Virtutis Altiſſimi futurum ſit, ut Filius Mariæ ſimul vocitetur Filius DEI. Si ergo de duobus in data reſponſione Angelus Mariam inſtituit, de duobus Maria qvæſtionem ſuam formâſſe citra dubium ullum qvoqve creditur.

XIV. Illuſtrationis & corroborationis gratiâ placet hîc ſubjicere verba *D. Thomæ in Continuo ſuper Euang. S. Lucæ* qvæ in hunc textum, ita ſcripta leguntur: Temperatior, inqvit, eſt reſponſio Mariæ ad verba Angeli qvàm Sacerdotis. Hæc ait: qvo-

qvomodo fiet iſtud? ille reſpondit: unde hoc ſciam? Negat ille ſe credere, & adhuc fidei alium qværit auctorem; iſta ſe facere profitetur, nec faciendum eſſe dubitat, qvod qvomodo fiat, inqvirit. Legerat Maria: Ecce Virgo concipiet in utero & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel, h.e. DEus nobiſcum. Ideo credidit futurum; (futurum ſcilicet hoc omne, qvod propheta prædicit, nempe, & qvòd Virgo conceptura ſit Filium, & qvòd Filius ille vocandus ſit Immanuel) ſed qvomodò hoc omne fieret; antè non legerat. Non enim qvemadmodùm fieret, prophetæ tanto fuerat revelatum: Tantum enim myſterium non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum.

XV. Cum D. Thoma facit noſter *B. Chemnitius in harm. lib.* I. *c.* IV. *p.* 54. 55. ſic ſcribens: Duo hæc ait, non ſatis explicatè in Prophetarum ſcriptis ſunt propoſita; ſed qvaſi per umbram à longè tantùm oſtenſa erant. 1. qvòd virgo ſine congreſſu viri conceptura, & paritura eſſet Meſſiam, & qvare neceſſe eſſet ità fieri. 2. Qvid ſignificet Immanuël, hoc eſt, qvòd DEUS & homo una ſit perſona. Hæc igitur duo, qvæ in Scriptis Prophetarum obſcuriùs erant qvaſi in ænigmate propoſita Gabriël, miſſus à DEO, ſumit explicanda, qvantum qvidem fides noſtra in hac vita capere poteſt.

XVI. Hinc conſtare poteſt, qvid ſentiendum de ſenſu *Georgii Enjedini* Photiniani, qvem qvæſtioni Mariæ affricat, qvando dictum noſtrum Angelicum more ſuô explicans, hoc eſt, Diabolicè depravans, ità ſcribit: Maria non tam de eo erat ſollicita, qvare ipſius Filius dicendus eſſet Filius DEI, qvam qvomodò eſſet conceptura & paritura? Neqve tàm de effectu qvàm de cauſſa efficiente volebat certior reddi. Huic enim depra-

vatori ex jam dictis ita reſpondere poſſumus: Mariam qvidem ſollicitam fuiſſe, qvomodò conceptura & paritura eſſet, ſed non tantùm; verùm etiam, qvomodò hoc futurum eſſet, ut Filius Mariæ appellaretur Filius DEI, adeóqve evaderet DEUS & homo ſimul in una Perſona. Ad qvid enim Angelus in reſponſione opus habuiſſet utriúſqve rei explicatione, de qva in ἀναλύσει plura. Manet ergò noſtra de qvæſtione Mariæ expoſita aſſertio adhuc rata, firma, ac evicta.

MEMBRUM II.

Exponens Scopum Oraculi Angelici.

XVII. Hic per ſe jam patet ex iis, qvæ modò diximus. Qvia enim Maria duo ex Angelo qværebat (1. qvomodò illæſâ virginitate eſſet conceptura, & paritura Filium. 2. qvomodò hoc fieret, qvòd Filius Mariæ nomine Filii DEI realiſſimè ac veriſſimè veniret, adeóqve futurus eſſet DEUS & homo ſimul in una perſona) Utriqve voluit Angelus Gabriël Mariæ declarare modum: & qvomodò conceptura, & paritura ſit abſqve viro Filium; & qvâ ratione Filius ille vocandus ſit Filius DEI, hoc eſt, DEus & homo in una perſona futurus ſit.

CAPUT II.

Exhibens ἀνάλυσιν Logico-Theologicam.

XIIX. Aphoriſmus præſens Angelicus continet in ſe reſponſionem ad ea, qvæ Maria in qvæſtione propoſuerat. Conſtat autem Enthymemate, eóqve complexô, cujus partes antecedens & con-

ſe-

ſeqvens ſimiliter ſunt complexæ. Propoſitio ergò, qvæ deeſt, (deeſt autem major) ſi addatur, duo integri inde formari poſſunt Syllogiſmi.

SECTIO PRIOR
DE ANALYSI ANTECEDENTIS.

XIX. Antecedens conſtat his duabus ſimplicibus, iiſqve ſenſu & reipſâ diverſis propoſitionibus. 1. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε: Spiritus S. ſuperveniet in te. 2. δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι: virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. In illa Angelus explicat modum, qvomodò Maria, virgo manens, ſit conceptura & paritura Filium qvemdam. In altera oſtendit rationem, qvomodò, & qvare Filius Mariæ ſit vocandus Filius DEI Altiſſimi, adeóqve futurus ſit verus DEus & verus homo in una perſona.

MEMBRUM I.

Continens prioris Antecedentis propoſitionis ἀνάλυσιν.

XX. Prima antecedentis propoſitio ita habet: πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε: Spiritus S. ſuperveniet in te. In hac Propoſitione, qvid Angelus Gabriël ſibi Mariæ explicandum proponat, modò diximus. Statim igitur ordine expendemus. 1. Subjectum. 2. prædicatum.

ARTICULUS PRIOR.

De Subjecto prioris antecedentis propoſitionis.

XXI. *Subjectum* in hac propoſitione eſt Maria, ex Regia proſapia oriunda Virgo, deſponſata Viro, cui nomen erat Joſeph, Luc. I. 27. ac innuitur terminis ἐπί σε In te, ſcilicet Mariam Virginem, qvæ erit ſubjectum operationis, in qvod ſuam Spiritus S. operationem eſt exſerturus.

XXII. Un-

XXII. Unde conſtat, in hac propoſitione, partes eſſe inverſas & tranſpoſitas, nempe ſubjectum poni locô prædicati, & contrà prædicatum locô ſubjecti; id qvod in multis fieri enunciationibus teſtantur accuratiores Logici: ubi ſemper attendendum, præcipuè, ſi materiam & rem ipſam propoſitionibus contentam penſi habemus, qvid in ipſa natura ſubjiciatur, de qvo cetera enuncientur.

ARTICULUS POSTERIOR.

De prædicato prioris Antecedentis propoſitionis.

XXIII. *Prædicatum* exprimit ſuperventum Spiritus S. ipſiúſque δημιεργίαν & qvidem his verbis: πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται Spiritus S. ſuperveniet. Ubi duo diſcutienda veniunt. 1. Vox πνεῦμα ἅγιον. 2. verbum ἐπελεύσεται.

XXIV. Per πνεῦμα ἅγιον, intelligit Angelus, tertiam in Trinitate perſonam, ab æterno à Patre & Filio procedentem Joh. XV. 26. utríqve & Patri & Filio conſubſtantialem 1 Joh. V. 7. unde & Spiritus ex DEO dicitur, id eſt, ex DEI eſſentia, 1 Cor. II. 12.

XXV. Non autem, tertia hæc, in Trinitate perſona excludit duas reliqvas, DEum Patrem, & DEum Filium; ſed potiùs includit, qvippe qvæ in operibus ad extra, propter unitatem eſſentiæ, potentiæ, & voluntatis non poſſunt non concurrere, juxta tritum illum *Auguſtini* canonem: Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. Qvapropter Scriptura ſacra, opus incarnationis Filii DEI omnibus in Triunitate perſonis expreſsè adſcribit. *Patri* qvidem Filii miſſionem, & dationem Joh. III. 16. Gal. IV. 4. *Filio* carnis noſtræ in unitatem ſuæ perſonæ aſſumtionem Joh. I. 14. Hebr. II. 14. *Spiritui* S. unctionem Joh. III. 34. Act. X. 38. Hebr.

1. 9. Pſ. xlv. 8. omnibus & ſingulis humanæ in Chriſto naturæ formationem, & creationem, ut h. l.

XXVI. Fit autem in textu tantùm mentio Spiritus S. propter ſanctificationis opus, qvod in productione humanæ in Chriſto naturæ maximè neceſſarium fuit. Opus enim ſanctificationis Spiritui S. proprium eſt ratione termini, ſicuti eandem ob cauſſam Patri acceptum refertur opus creationis, Filio opus redemptionis. Hôc ſenſu, etiam apud S. Matthæum, Angelus in ſomnio nocturno Joſepho, cui deſponſata erat Maria Virgo, aperiens, unde Maria gravida facta ſit, dicit: Qvod in illa conceptum eſt, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, à Spiritu S. profectum eſt c. 1. 20. Et v. 18. commemorat idem Euangeliſta, qvòd anteqvàm Maria cum viro, cui deſponſata erat, congreſſa fuiſſet, deprehenſa ſit gravida ἐν γαστρὶ ἐκ πνεύματος ἁγίου in utero ex Spiritu S. non qvidem σπερματικῶς, ſed δημιουργικῶς, uti *Damaſcenus* loqvitur.

XXVII. Verbô ἐπελεύσεται ſuperveniet, indicatur δημιουργία actio vel operatio Spiritus S. deſcendit autem ἀπὸ τοῦ ἐπέρχεσθαι vel ἐπελθεῖν. Hôc locô non denotat actionem, vel operationem qvandam generalem & communem, qvâ concurrit DEus tanqvàm cauſſa Univerſalis, ad qvamlibet ordinariam πλαστουργίαν, formationem, vel generationem hominis, de qva loqvitur Job. x. 8. David Pſ. cxxxix. 5. qvalis generalis actio generalem etiam ſolummodò præſentiam includit Pſ. cxxxix. 7. ſed planè ſingularem & extraordinariam, cum ſingulari planè, & extraordinaria præſentia conjunctam: qvô ſenſu ſumitur Jud. xiv. 6. Act. 1. 8. Sic enim de Spiritu S. ipſe Lucas hoc dictum exponit c. xxiv. 29.

XXVIII. Et, hoc probamus 1. inde; qvia opus ad

qvod

qvod producendum Spiritus S. concurrere voluit, planè ſingulare, & extraordinarium fuit. Qvis enim fando audivit unqvam, Virginem illæſâ, & illibatâ virginitate concepiſſe & peperiſſe Filium? 2. qvia Spiritus S. præſentiâ univerſali & gratioſâ jam præſens adfuit, & habitavit in Maria, anteqvàm Angelus de hac ἐπελεύσει ſive ſuperventu Spiritus S. Mariæ qvidqvam annunciaret. Non ergo vel ob hanc cauſſam alia, niſi ſingularis, & qvæ miraculô non caret, per ſuperventum, de qvo Angelus hic agit, Spiritus ſancti, præſentia, actio, & operatio illius indigitatur.

XXIX. Præterea notandum & hoc, qvòd verbum ἐπέρχεσθαι vel ἐπελθεῖν in ſcriptura uſurpetur *duplici* ſignificatione, 1. pro forti invaſione Luc: XI. 22. 2. de celeri adventu Luc: XXI. 25. Utraqve ſignificatio hîc valorem habet. Fortis fuit hæc ἐπέλευσις Spiritus S. qvandoqvidem ex ſolo virgineo ſangvine, ſine ordinaria viri conſvetudine, integrum & perfectum hominem, utráqve parte συςατικῇ corpore & animâ perfectè conſtantem, effigiavit & efformavit, qvod qvia omnem naturæ curſum excedit, videtur Spiritus S. in hoc opere, reſpectu comminunis concurſus, & ratione noſtri fortiùs exeruiſſe vires, qvàm aliàs, in reliqvis hominum generationibus. Opus enim DEI, qvod in hoc mundo operatur, qvô magìs à natura recedit, eò magìs arguit DEI in illo oſtenſam & manifeſtatam omnipotentiam. *Deinde* & celer fuit hæc ἐπέλευσις ſeu ſuperventus Spiritus S. ſiqvidem in inſtanti conceptio Mariæ ex hoc ſuperventu facta eſt. Nam, uti habet regula Theologica: *neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.*

XXX. Hinc jam conſtat, duos actus hîc notare ἐπέλευσιν, ſeu ſuperventum Spiritus S. 1. Maſſæ virginalis, ex qva Chriſtus erat concipiendus, ſan-

ctificationem. Qvia enim Chriſtus in omnibus nobis ſimilis concipi & naſci debuit, verùm abſqve peccato; neceſſe fuit, ut maſſa illa σπερματικὴ, ex qva Chriſtus concipiendus erat, à peccatis purgaretur, & qvidem à Spiritu S., qvi ſolus hoc facere potuit, partim, qvia DEus eſt; partim, qvia hoc ei proprium eſt. 2. Uteri virginei fructificationem, & fœtificationem, ſimul etiam humanæ naturæ, ex Mariæ ſangvinibus formationem, & creationem in utero Mariæ, qvô ſecundùm illam Chriſtus integrè & abſolutè concipi potuerit. Et hi duo actus ita ſunt comparati ut 1. ſingulari & miraculoſô modô, 2. cum efficaci & forti virtute, & 3. velociter citra ullum temporis intervallum à Spiritu S. fuerint abſoluti.

Membrum II.

Continens poſterioris Antecedentis propoſitionis analyſin.

XXXI. In altera hac Antecedentis propoſitione tractatur de ἐπισκιασμῷ vel obumbratione Virtutis divinæ, qvæ his legitur verbis: καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοὶ. Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

XXXII. Hanc propoſitionem pleriqve Theologi & Patres cum præcedente, qvam modò reſolvimus, uno & eodem ſenſu accipiunt, & interpretantur: imprimis verò, qvantum ad verbum ἐπισκιάσει σοὶ obumbrabit tibi, qvod uno ſenſu explicant cum verbo præcedentis propoſitionis, qvod eſt ἐπελεύσεται ἐπί σε ſuperveniet in te, ut ita verbum obumbrare pari modô ac ſenſu ſignificet uterum Mariæ ſingulari efficaciâ, ac operatione fœcundum reddere, & ex ſangvinea illius maſſa à peccatis purgata humanam in Chriſto naturam producere, & creare, qvemadmodùm & verbum ſupervenire in hac ſignificatione ſuprà interpretati ſumus

Qvan-

Qvantum verò ad vocem τὸ Virtus Altiſſimi diſcrepant inter ſe Doctores. *Qvidam* intelligunt de Spiritu S. ut ſic hæc propoſitio nihil differat à præcedenti: *qvidam* exponunt de Filio DEI, qvaſi Angelus in hac & priori propoſitione expreſſè de tota Triunitate probet & demonſtret, qvod admirabile conceptionis & nativitatis opus Chriſti & Pater & Filius & Spiritus S. unâ ac communi operâ, virtute, & potentiâ ſint operaturi.

XXXIII. *Georgius Enjedinus* in explicatione, ſeu potiùs, depravatione hujus dicti Angelici, has duas, qvas continet Antecedens, propoſitiones, ſimiliter confundit, ſcribens, totius Antecedentis hanc eſſe ſimplicem verborum ſententiam: Concipies & paries, qvia Spiritus S. ſeu Virtus DEI obumbrabit te, atqve ob eandem cauſam tuus natus vocabitur etiam Filius DEI

XXXIV. Ad hanc depravationem plura reſpondebimus infrà, c. III. ubi qvæſtionem hanc controverſam: an propterea Chriſtus ſit dicendus DEI Filius, qvòd de Spiritu S. conceptus ſit, nec ne? in gratiám *Enjedini* & ſociorum ſuorum fuſiùs tractabimus. Hâc vice ejus verba, in eum tantùm finem huc appoſuimus, ut oſtenderemus, eum duas in antecedente propoſitiones confundere & pro iiſdem ſumere: qvô verò ſenſu? non addidit. Non enim mentem ſuam declarat, qvid per Spiritum S. & qvid per Virtutem DEI intelligat: qvid itidem per verbum ſupervenire & obumbrare. Sanè extra omnem dubitationis aleam ponimus, eum non eô ſenſu accipere has duas propoſitiones, qvô pars Theologorum noſtrorum capiunt. Hi enim per Spiritum S. & Virtutem Dei intelligunt tertiam Triunitatis perſonam, qvæ ineffabili modô à Patre & Filio, ab æterno procedit, & cum Patre & Filio unus DEus eſt. Communiter verò Photiniani Anti-Trinitarii, à qvibus nec *Enjedinus* ſeceſſum &

vortium faciet, per Spiritum S. non perſonam qvandam à Patre & Filio diſtinctam; ſed virtutem & efficaciam DEI adeòqve attributum qvoddam in DEO volunt intellectum, uti teſtatur inter alia eorum ſcripta Catech. min. Racov. p. 57. Sed hanc de Spiritu S. ſententiam, dicam, an blaſphemiam, hâc vice refutare, inſtituti ratione habitâ, ſuperſedebimus.

XXXV. At verò nos duas illas, hanc qvam ſub analyſi habemus, & priorem, qvam abſolvimus, propoſitiones, & re ipſâ, & ſenſu eſſe diverſas, nec poſſe coaleſcere, ſtatuimus, facientes hac in re cum compare illo γνησίῳ Lutheranorum Theologorum Clariſſimorum ſcil: Dn. *D. Balthaſare Mentzero*, & Dn. *D. Balthaſare Meiſnero.* Præceptoribus noſtris æviternô animi cultu ſuſpiciendis: qvorum ille in *Exegeſi Auguſt: Confeſſ: art.* III. *de Chriſto, p.* 157. hic in *Chriſtologiæ diſp.* IV. *th.* 15. *ſeq.* & expeditiùs *in Conſideratione Theolog: Photin. p.* 458. *uſqve* 472. nec non *Medit. Feſt. in feſt. annunciat. Mar. part.* II. hanc poſteriorem propoſitionem accipiunt de Filio DEI, & ejus aſſumptione humanæ naturæ à Spiritu S. ex Mariæ Virginis ſanctificata maſſa formatæ in ſuam hypoſtaſin, hoc eſt, de unione duarum naturarum in Chriſto hypoſtatica.

XXXVI. Et hanc interpretationem multi alii præclari Theologi approbant hôc tempore; imò etiam ex patribus non pauci hôc ſenſu dictum angelicum explicaverunt, qvos lege ſis apud Dn. D. *Meiſnerum in Conſid. Theol. Photin. p.* 470. & apud *D. Thomam in Cont. ſuper Euang. S. Lucæ.*

XXXVII. Qvod attinet Orthodoxorum Theologorum ſuprà allatam ſententiam, eam planè, qvia contra fidem non eſt, haud rejicimus; qvia verò proprium & genuinum ſenſum, in hac propoſitione præſertim, non attingit, ei, ſalvô tamen eo-

rum,

rum, qvem illis debemus, honore, non ſubſcribimus.

XXXVIII. Anteqvàm verò ad ipſam propoſitionis analyſin veniamus. In genere rationem unam atqve alteram præmittemus, qvibus probabimus, hanc & priorem propoſitionem ſenſu & re, qvam tractant, non convenire, ſed diſcrepare.

XXXIX. *Prima* ratio deſumitur àverborum ſignificationibus. Singula enim propoſitionis verba de Filio DEI optimè juxta Scripturæ ἀναλογίαν exponi poſſunt, uti mox ipſa analyſis docebit.

XL. *Secundò* probamus noſtram aſſertionem ab Angeli ſcopo, qvi erat, vaticinium Eſaiæ, c. VII. 14. de conceptione & nativitate Meſſiæ Mariæ Virgini planum facere, tùm qvomodò Virgo manens ſit conceptura & paritura, tum etiam qvomodò & qvâ ratione eventurum ſit, ut Filius Mariæ Immanuel, hoc eſt, DEus & homo in una perſona appelletur? Jam verò Angelus primum explanavit in præcedenti propoſitione, qvando dicebat: Spiritus S. ſuperveniet in te. Ergo illud in hac propoſitione non poteſt repetere, aliàs enim videretur Angelus ταυτολογεῖν, qvod tanto Legato DEI non poſſumus imputare. Qvare neceſſariò ſtatuendum erit, in hac altera propoſitione, Angelum docuiſſe, qvâ ratione futurum eſſet, ut Filius Mariæ, re, & nomine titulum Filii DEI ſit conſecuturus.

XLI. *D. Matthias Flacius Illyricus*, Theologus nunqvàm alioqvin ſatis laudatus, putat qvidem, hîc eſſe Hebraiſmum, qvô idem bis ſæpe dicatur diverſis verbis, uti videre eſt apud ipſum in *Clave Script. in voce Umbra, p.* 1293. Verùm Hebraiſmum hunc, res in utraqve propoſitione non admittunt, qvippe qvæ diverſæ ſunt, non eædem, uti modò probavimus.

XLII. Evictô, & obtentô, hanc propoſitionem

nem cum priori ſenſu non conſentire, ad analyſin propoſitionis propiùs accedimus.

XLIII. Subjectum in hac propoſitione coincidit cum priori: Ideóqve actum nolumus agere; Attamen particulam copulativam καὶ præterire non poſſumus. Copulat hæc & combinat duas in antecedente propoſitiones, qvâ ſignificatur, utrumqve actum divinum, & qvi in hac & in priore propoſitione deſcribitur, adeò arctè eſſe combinatum, ut uno momentô uterqve abſolutus ſit. Nam cum utroqve ita comparatum fuit, ut humana in Chriſto natura, eô actu, qvô in Maria de Spiritu S. concepta, ſimul à Filio DEI in unitatem perſonæ aſſumpta; & iterum, eò ipſo actu, qvô caro à λόγῳ aſſumpta, de Spiritu S. à Maria concepta ſit, ita tamen, ut hoc omne non confuſè ſed diſtinctè acciderit. Probat hoc *D. Auguſtinus* in lib. de fide ad Petrum, c. XVIII. dum dicit: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine divinitate conceptam in utero virginis, priuſqvàm ſuſciperetur à verbo: ſed ipſum Verbum DEUM ſuæ carnis aſſumptione conceptum, ipſámqve carnem verbi incarnatione conceptam. Magìs ſucciſè, ſed tamen nervoſè *Gregorius*, lib. XVIII. *Moral. c.* XX. ea de re ſic loqvitur: Angelô nunciante, & Spiritu adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. Conſentit *Damaſcenus*, lib. III. c. III. IV. XI. XXVII. ajens: ἅμα σὰρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ: ſimul Caro, ſimul Filii DEI caro, qvam Filius DEI aſſumendo creavit, & creando aſſumpſit.

XLIV. De prædicato poſterioris Antecedentis propoſitionis aliqvid ex profeſſo dicendum reſtat, qvod his concipit Evangeliſta verbis: δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει Virtus Altiſſimi obumbrabit. Ubi duo iterum benè ponderanda. 1. qvid per vocem δύναμις ὑψίστου, 2. qvid per verbum ἐπισκιάσει Angelus velit indicatum.

XLV.

XLV. Vox δύναμις de DEO uſurpata tripliciter occurrit in ſacro codice. *Primò* ἐνεργητικῶς & effectivè, ídqve iterum, dupliciter. vel 1. pro forti ac potenti liberatione, qvæ victoriam laudatiſſimam ab hoſtibus reportatam habet annexam, qvemadmodùm ita capitur Pſ. cx. 3. cxviii. 15. Videatur Clavis Script. Flacii, p. 1281. vel 2. pro vi qvadam, ac efficacia, rei alicui à DEO, pro ſapienti beneplacito ſuo, adnexâ ad ſingulares producendos effectus, atqve operationes. Sic de Euangelio dicitur, qvod ſit δύναμις Θεοῦ Virtus DEI ad ſalutem omni credenti Rom. 1. 16. Confer Act. 1. 8. c. iii. 12. 2. Cor. iv. 7. c. xii. 9. *Deinde* ὀυσιωδῶς vel Eſſentialiter pro ipſa divina potentia & virtute, qvæ cum eſſentia DEI ſimpliciſſimum qviddam ἀυτὸ & prorſus convertibilis eſt. Talem vim ſignificandi hæc vox δύναμις habet 1. Paral: xxix. 10. 11. 12. Matth. xvi. 13. Apoc: 1. 8. c. iv. 8. 11. *Tertiò* ὑποστατικῶς pro certa Trinitatis perſona, modò ſecunda, qvæ eſt Filius, modò tertia, qvæ eſt Spiritus S. Filius Virtus DEI appellatur 1. Cor: 1. 24. prædicamus Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν DEI Virtutem & DEI ſapientiam. Ratio appellationis hæc eſt: qvia Patris ſui primogenitus & unigenitus Filius eſt. Qvemadmodùm igitur in V. T. primogeniti propter primogenituram prima Virtus, & primum robur parentum ſunt vocati Gen. xli. 3. Deut. xxi. 17. Sic etiam Filius DEI, ratione eſſentialis generationis, qvæ ab æterno facta eſt, & in æternum non deſinet, unigenitus in ſacris, nec non, Virtus DEI Patris ſui nominatur. Spiritus S. ſimiliter in ſacra Scriptura vocatur Virtus DEI, ſicut videre eſt Luc. xxiv. 49. Ego mittam promiſſum Patris mei in vos; ſedete igitur in civitate, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δυνάμιν ἐξ ὕψους, donec induamini Virtute ex alto, hoc eſt Spiritu ſanctô, ſicut exponitur Act: 1. 4. 5.

XLVI. Ex his vocis δυνάμεως de DEO enunciatæ ſignificationibus, tertia hîc locum habet nempe ut vox δύναμις denotet ſecundam Trinitatis perſonam, nempe Filium Dei: in hoc enim ſolo opus incarnationis, ſeu unio duarum naturarum hypoſtatica, de qva propriè in hac propoſitione agitur, terminatur, licèt inchoativè tota Trinitas hùc pertineat.

XLVII. Hinc per ſe liqvet, qvomodo vox ὑψίστου Altiſſimi hîc ſit explicanda: num οὐσιωδῶς pro tota Triunitate, an verò ὑποστατικῶς pro certa aliqva in Triunitate perſona? Qvia enim vox Virtus, Filio DEI hôc locô attribui ac ὑποστατικῶς de eo accipi tantùm debet, ſicqve ſolius Patris Filius etiam dicitur in ſacris literis; ideò & vox ὑψίστου, ſeu Altiſſimi ſolum denotat Patrem, adeóqve de eo ſolùm qvoqve ὑποστατικῶς ſumi debet, qvippe cujus uti tantùm Filius, ita qvoqve tantùm Virtus eſt.

XLVIII. Porro ſeqvitur in textu verbum ἐπισκιάσει obumbrabit, deſcendit ἀπὸ τοῦ ἐπισκιάζειν; qvod in Scriptura duplicem ſortitur ſignificationem: propriam & impropriam.

XLIX. *Propriè*, qvando intelligitur, nihil aliud notat, qvàm externam umbræ aſperſionem, vel umbrabilem ſui corporis delineationem, & picturam, mediante lumine aëreô expreſſam, & effuſam in corpore ſibi oppoſito. Sic de Petro narrat Lucas, Act. V. 15. qvòd homines ante faciem ejus in plateis poſuerint infirmos, ut umbra ejus ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν obumbraret cuipiam illorum. Et hunc ſenſum proprium hujus verbi ſolis rebus corporeis adſcribere tenemur.

L. *Impropriè* cùm accipitur, tàm de creaturis præſertim rationalibus, qvàm de DEO varia ſignificat. Nos hâc vice ſoliciti ſumus duntaxat, qvot modis impropriè de DEO uſurpatum legatur in Scriptura.

LI. Hôc jam ſcopô ſaltem præfixô, reperimus verbum ἐπισκιάζειν de DEO pronunciatum. 1. indicare protectionem, defenſionem, & tutelam DEI, qvam piis ex favore, & ſingulari gratia præſtat, ſicut teſtantur hi duo loci Pſ. XCI. 4. ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ ἐπισκιάσει σοι ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, hoc eſt, proteget te ſub alis ſuis, ſicut avis pullos ſuos, & ſub pennis ejus ſperabis, &c. Pſal. CXL. 8. ἐπεσκίασας ἐπὶ τὴν κεφαλήν μου obumbrâſti ſuper caput meum in die belli, id eſt, defendiſti, & tuitus es me, in die belli. 2. ſignificare præſentiam DEI gratioſam, interdum, ut: Deut: XXXII. 12. DEus σκιάζει ἐπ' αὐτῷ inumbrabit vel operiet eum (ſcilicet Iſraëlem) Lutherus ita reddidit: Der HERR wird über jhn halten. Interdum cum Majeſtate conjunctam, ut Exod. XL. 35. Matth: XVII. 5. Marc. IX. 7. Luc. IX. 34.

LII. Præſenti in textu verbô hôc interna qvædam actio Filii DEI innuitur intra uterum B. Mariæ ſuſcepta, eáqve non multis vel omnibus hominibus communis, ſed planè ſingularis cum ſingulari præſentia conjuncta, perinde ac ipſa etiam Spiritus S. δημιουργία in præcedente propoſitione conſiderata fuit; à qva tamen hæc actio, qvæ hîc deſcribitur omninò differt.

LIII. Et *Primo* de actione Filii DEI interna hîc agi, oſtendit ipſa vocula ἐπισκιάζειν obumbrare, ſeu potiùs inumbrare, prout non pauci Interpretum vertunt. *Flacius* qvidem inclave Scripturæ in voce umbra commodè hoc verbum vult reddere per ſuperumbrare, qvod eſt, ut ipſe qvoqve exponit, alicui umbram veluti domicilium circumfundi. Id autem conatur probare ex verbo ἐπισκηνοῦν, qvod ſonô, re, ac ſignificatione convenire ait cum verbo ἐπισκιάζειν. Invenitur verò verbum illud 2. Cor: XII. 9. ubi Paulus in hæc verba erumpit: Libenter gloriabor

riabor in infirmitatibus meis, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ut inhabitet in me Virtus Chriſti. *Flacius*: ut ſuperhabitet vel habitet ſuper me Virtus DEI, ut ſic non internam inhabitationem, ſed externam ſuperhabitationem indicet. At ne urgeam ferè pleroſqve Interpretes non per ſuper; ſed in præpoſitionem ἐπὶ exponere, Flacio ex Flacio reſpondeo; in Gloſſa enim ſuper N. T. verba Pauli originalia ipſe ita in Latinum idioma tranſpoſuit: ut inhabitet in me. Nec aliter Paulus poteſt Latinè reddi. Loqvitur enim de tali præſentia Chriſti, qvæ eum maximè corroboret; id qvod non externè ſed internè fieri vel alia Scripturæ loca de gratioſa Chriſti præſentia agentia teſtimonium perhibent Joh. XIV. 23. Apoc. III. 20. Epheſ. III. 17.

LIV. *Deinde* per verbum inumbrare Angelum velle intellectam ſingularem cum ſingulari actione conjunctam præſentiam, corroboramus 1. inde, qvia Filius DEI univerſali præſentiâ jam præſens aderat. 2. Non minùs adfuit Virgini etiam gratioſâ. Non ergo niſi de ſingulari qvodam præſentiæ modo, qvi ſingularem operandi modum habeat incluſum verbum obumbrandi accipiendum erit. Et hic qvartus eſt ille præſentiæ modus, fundatus in hypoſtatica unione duarum naturarum in Chriſto, propriè pertinens ad articulum de Filio DEI incarnato.

LV. Ex his dictis ſenſus Angeli in hoc enunciato emergit talis: Virtus Altiſſimi obumbrabit, vel potiùs, inumbrabit tibi. Hoc eſt: Æternus DEI Filius, æterna & conſubſtantialis Virtus DEI Patris ſui, verbum illud vitæ 1. Joh: 1. 1. qvod in principio erat apud Patrem Joh. 1. 2. promiſſus mundi Meſſias coelitus in uterum tuum deſcendens in te, ô Maria hoc ſecretiſſimum pietatis myſterium, citra tamen virginitatis tuæ abolitionem,

ope-

operabitur, nimirum carnem tuam ex te de Spiritu ſancto conceptam induendo, eam in ὑποςάσεως ſuæ unitatem aſſumet, & cum ea inceſſabiliter qvidem, realiter tamen ac verè abſqve naturarum confuſione, exæqvatione, vel alterius annihilatione per penitiſſimam, ac mutuam περιχώρησιν, indiſſolubili vinculô, qvod nemo, nec mors ipſa, in æternum diſrumpere potis erit, ſe uniet, adeóqve in ea præſentiſſimè tanqvàm in proprio templo σωματικῶς ſemper habitabit, qvippe qvam toto Deitatis πλήρωμα replebit Col: 11.9. Hactenus de Antecedente oracul Angelici.

SECTIO POSTERIOR DE ANALYSI CONSEQVENTIS.

LVI. Conſeqvens in dicto noſtro Angelico ita habet: διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. Ideóqve etiam, qvod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.

LVII. In his verbis veluti per concluſionem iterum infert Angelus ex Antecedente, qvod ſtatim ab initio, præmiſſâ ſalutatione, Mariæ annunciâ-rat, cujúſqve modum, qvomodò omne, qvod ex Angelo audîerat, futurum eſſet, ſibi explicari ab eodem, Maria exoraverat.

LVIII. Summa rei hæc eſt. Qvandoqvidem, vult Angelus dicere, Spiritus S. in te: ô Maria, ſuperveniet; ideóqve illæſâ virginitate concipies & paries, vel, Sanctum qvoddam ex te naſcetur. Qvoniam autem ſimul Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideò etiam, qvod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius DEI, adeóqve DEus & homo erit in una perſona.

LIX. Hinc conſtat Angelum in hoc Conſeqvente duo inferre, atqve ſic & ipſum Conſeqvens, ſicut

Ante-

Antecedens, eſſe complexum, duas ſimplices propoſitiones, in qvas reſolvi poteſt ac debet, comprehendens, ſcilicet has: 1. Sanctum ex te naſcetur. 2. Sanctum vocabitur Filius DEI.

LX. Magìs verò implicitè has duas propoſitiones ſimplices occultat Angelus in hoc conſeqvente, idqve ideò, qvia utrumqve, qvod infert, ſimul contigit, & unum alterum arctiſſimè complexum fuit, ita, ut eò ipſô τῷ νῦν, qvô Sanctum ex Maria conceptum ac natum eſt, etiam illud Filius DEI vocaretur, propterea, qvòd τὸ Sanctum λόγον æternum à conceptione & nativitate non excluſerit, ſed reverà incluſerit.

LXI. Ob hanc cauſſam & nos in analyſi integrum dicti Angelici conſeqvens, ut unicam, qvæ tamen complexa eſt, & duas ſimplices in ſe continet, propoſitionem conſiderabimus: hæc verba: διὸ καὶ τὸ γενώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον loco ſubjecti, & mox ſeqventia κληθήσεται υἱὸς θεοῦ locô prædicati ἀναλυτικῶς tractaturi.

Membrum Prius

Reſolvens Subjectum Conſeqventis.

LXII. Hoc ad hunc ſonat modum: διὰ καὶ τὸ γενώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον. Ideóqve etiam qvod naſcetur ex te Sanctum. Ubi expendendæ priùs veniunt voces Syncategorematicæ: deinde voces eſſentiam ſubjecti ingredientes.

LXIII. Prior vox Syncategorematica eſt particula διὸ vim habens illativam & exiſtens nota concluſionis, qvæ infertur ex præcedentibus, ad qvæ reſpectum habet. Hæc qvia plana & perſpicua, non indiget multis, qvibus illuſtretur, verbis.

LXIV. Poſterior vox Syncategorematica eſt particula

ticula ϗ, de qva major lis & controverſia eſt apud Interpretes.

LXV. *Qvidam* eam non legunt, ut *Vulgata & Caſtellio*: *alii* verò eam tranſponunt ad verbum κληθήσεται, inter qvos eſt *Syrus* & *Arabs*, nec non alii etiam noſtrô ſeculô paraphraſtæ. *Qvidam* legunt, ſed eam non attendunt in textus reſolutione. *Epiphanius* verò, *Tertullianus* & ceteri veteres judicant hanc voculam minimè otioſam eſſe, eámqve non ad verbum κληθήσεται ſed ad τὸ γενώμενον pertinere. Verba Epiphanii hæc ſunt. Γαβριὴλ, inqvit, οὐκ εἶπε μόνον, διὸ τὸ γενώμενον, ἀλλὰ διὸ ϗ τὸ γενώμενον, ἵνα δείξῃ ἄνωθεν Θεὸν λόγον ϗ ἐν μήτρα γενώμενον κτ τὴν ἑαυτοῦ ἐνανθρώπησιν. Hoc eſt: Non dixit ſolùm *Gabriel*: propterea qvod gignetur, ſed propterea, etiam qvod gignetur, ut oſtenderet; DEum Verbum, qvi eſt ex alto, etiam in utero genitum, qvum homo fieret.

LXVI. Horum & aliorum Patrum de particula ϗ judicium improbare non poſſumus, nec, qvin legerint illam in vetuſtiſſimis exemplaribus, dubitamus.

LXVII. Hìc verò anxiè ſudat, & ſtomachabundus tumultuatur *Enjedinus*, enitens piam & Orthodoxam noſtram, qvam cum ſuprà nominatis patribus de particula ϗ fovemus & tenemus ſententiam, multis frivolè infringere. 1. Opponit nobis Syrum Paraphraſten, eúmqve non legiſſe hanc particulam ait. Reſp. Contrarium ex textu *Syro* evinci poſſe, ſuprà monuimus, licet συνδεσμὸς ille in prædicato apponatur demum, ut & in editione *Arabica*, in edit. Syr.

LXVIII. Teſtimonium *Bezæ* adducit adverſarius, & dicit, illum annotare Matth. XXVIII. 9. hanc voculam ſæpe apud Euangeliſtas abundare. Reſp: 1. Argumentari *Enjedinum* à particulari ad univerſale.

2. Be-

2. Beza locô allegatô particulam ϗ non ſimpliciter abundare affirmat; ſed cum conditione, niſi videlicet tota hæc ſententia, qvam apud veterem Interpretem, & in vetuſtiſſimo, qvod habuit, exemplari ſublatam eſſe ſcribit, eximatur, nempe: ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτȣ̃, ut hoc renunciaret diſcipulis ejus. Hâc exemptâ ac demptâ, particulam ϗ, qvæ mox ſubſeqvitur, non abundare; retentâ verò, abundare oſtendit. 3. Teſtatur qvidem Beza l. d. apud Lucam infinitis locis pleonaſmum hebraicum committi particulâ ϗ, qvâ mirificè illum putat delectari; verumtamen pleonaſmum illum in hoc præſenti aphoriſmo Angelico non invenire locum, demonſtrat ipſe *Beza*, dum in annotat. majoribus ſuper hoc dictum, Epiphanii & ceterorum Patrum de ϗ vocula ſententiæ ſubſcribit.

LXIX. 3. *Enjedinus* nobis objicit, nullam rationem eſſe, cur vox ϗ potiùs cum vocabulo γενώμενον, qvàm cum verbo κληθήσεται aut alio qvopiam connecti debeat. Reſp: 1. Neqve affert rationes *Enjedinus*, cur voculam illam ϗ potiùs cum verbo κληθήσεται aut alio qvopiam conjungi oporteat, qvàm cum vocabulo τὸ γενώμενον. 2. Rationem & cauſſam damus à ſcopo Angeli, de qvo ſuprà aliqvoties actum fuit. Is enim hoc vult, ut Maria intelligat, ſe non purum hominem; ſed DEum verum ſimul tum concepturam, tum parituram eſſe. Hoc verò graviter inter alia infert & importat ϗ particula mox ante vocabulum τὸ γενώμενον poſita, teſte Epiphaniô, th. LXV. Qvare etiam non alibi collocanda erit hæc particula, qvàm ante vocem τὸ γενώμενον.

LXX. 4. Nugatur *Enjedinus*, ſe non videre, qvid impediat, qvô minùs illa vocula ϗ cum dictione θεȣ̃ copuletur hôc modô: διὸ τὸ γενώμενον ἐκ σȣ̃ ἅγιον ϗ θεȣ̃ υἱὸς κληθήσεται, ideóqve qvod naſcetur ex

te

re Sanctum, DEI etiam Filius vocabitur. Ut ita ſenſus verborum ſit iſte: Tu qvidem paries hominem: ſed ille non tantùm tuus, id eſt, hominis, verùm etiam DEI Filius vocabitur, eò, qvòd illum concipies ex Spiritu ſancto, ſeu Virtute DEI. Reſp. 1. Nullum hujus expoſitionis fundamentum adducit Photinianus; ideóqve qvâ facilitate ea affertur; eádem à nobis rejicitur. 2. Poſitô, ſed non conceſſô, qvòd particula καὶ ibi collocanda ſit, ubi Enjedinus vult; non tamen noſtram ſententiam invertit, ſi modò rectus attendatur ſenſus, & fundamentum virtutis uniendi, qvam particula hôc locô habet, rectè ſtruatur, non qvidem hoc, uti blaterat *Enjedinus*, qvia Maria concepit ex Spiritu ſancto ſeu Virtute DEI; ſed qvia Virtus Altiſſimi obumbravit Mariam, hoc eſt, qvia Filius DEI ex Maria per ἐπέλευσιν Spiritus S. conceptam humanam naturam induit, & in ſuæ ὑποστάσεως unitatem aſſumpſit. Ex hoc enim fundamento ſi Filius Mariæ, ſeu, qvod natum eſt ex ea, ſimul vocari debet, uti reverà debet Filius DEI, ſententia noſtra adhuc militat, nempe καὶ particula, propter unionem perſonalem duarum naaturarum in Chriſto oſtendit, Mariam non ſimplicem hominem; ſed ipſum DEI Filium adeóqve DEum peperiſſe & concepiſſe, eámqve ob cauſſam non ſolum Mariæ Filium; ſed etiam Filium DEI appellitandum eſſe.

LXXI. 5. Contra nos ita infert. Voces hæ duæ διὸ καὶ tanqvàm unum provocabulum, uti ille vocat, ſunt accipiendæ. Ergo non ſunt diſtrahendæ, nec diverſæ ſignificationes eis ſunt attribuendæ. Antecedens probat 1. ab *auctoritate* Grammaticorum, & ex uſu lingvæ Græcæ, in qva διὸ, διὸ καὶ pro una illativa uſurpantur. 2. ab exemplis bibicis, iiſqve primò hujuſmodi, in qvibus ali-

qva exemplaria legunt διὸ ϗ; aliqva verò ſimpliciter διὸ, v. g. Act. xx. 26. qvi locus in plerisqve codicibus ita legitur: διὸ μαρτύρομαι ὑμῖν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ideóqve teſtor vobis hodiernô die, qvòd mundus ſum à ſangvine omnium. Sed in Plantini editione N. T. Græca, qvæ in forma exigua annô 1574. prodiit, legimus: διὸ ϗ μαρτύρομαι &c. *Deinde* ab iſtiuſmodi exemplis, in qvibus particula ϗ non conjungit res duas: & adducit Rom. IV. 22. 2. Cor. V. 9. Reſp. ad Primum 1. Nos auctoritatem auctoritate facilè retundere poſſe, ſi opus eſſet; 2. argumentationem fieri à particulari ad Univerſale. Ad alterum, ac in genere ad locum Act. xx. 26. dicimus, in illo non eſſe parem rationem. Non enim ſeqvitur: Ibi in actis apud aliqvos Interpretes legitur tantùm διὸ, apud aliqvos verò διὸ ϗ, nec multum intereſt, uti vel hôc vel illô modô legatur. Ergo & eadem conſeqventia hic valet. Contrà qvid nos moveat, ſuprà expoſuimus. Porro, qvòd duo hæc biblica exempla Rom. IV. 22. 2. Cor. V. 9. attinet, negamus particulam ϗ qvantum ad primum exemplum non eſſe copulativam. Qvando enim D. Apoſtolus ità concludit διὸ ϗ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, qvapropter etiam imputatum eſt ei ad juſtitiam: particula ϗ reſpicit præcedens objectum reputationis ad juſtitiam, videlicet πληροφορίαν v. 21. aliqvot diſtinctis actibus probatam: uti patet ex Gen. XII. 2. 3. 7. 8. XV. 1. 3. 4. 6. 8. 18. 19. 20. XVII. 5. 6. 16. ſeq. XVIII. 13. qvò pertinet caput Rom. IV. 19. 20. 21. Locum autem ad Corinthios qvod ſpectat, ut & alios ſimiles: ii noſtræ non officiunt ſententiæ: Ut enim ex abundanti ponamus ſententiam *Enjedini*; ipſa tamen particularis collectio adverſarium vanitatis redarguit.

LXXII. Nunc ſeqvitur ipſum Subjectum. Et primò qvidem vox τὸ γεννώμενον à verbo γίνεσθαι originem

nem trahens, in Scriptura duplicem ſignificationem ſortitur. *Primò* accipitur de editione partus in lucem, & idem eſt, qvod τίκτεσθαι Matth. II. 1. Heb. XI. 23. *Secundò* ſumitur pro fœtu, qvi per conceptionem in utero materno adhuc formatur, ut: Job. XI. 3. c. XIV. 1. c. XV. 7. Ibi enim vocatur homo γεννητὸς mulieris, non tam ideò, qvia à muliere in hanc lucem editus; qvàm qvia in utero mulieris conceptus, & ex ejus ſubſtantia formatus eſt. Vide etiam, ſi libet, Matth. I. 20. Gal. IV. 29. Joh. IX. 34.

LXXIII. Nos utramqve ſignificationem hîc commodè admitti poſſe ſtatuimus, ut τὸ γεννώμενον per enallagen temporis denotet idem, qvod concipietur; tum etiam naſcetur: de utroqve enim anteà loqvebatur Angelus. Si verò qvantum ad conceptionem, nullam enallagen qvis concedere velit; per nos licet, qvandoqvidem *juxta Gregorium* inter annunciationem Angeli & formationem ſecundum humanam naturam Chriſti, nullum intervenit temporis ſpatium; ſed annunciante Angelô, verbum DEI in utero, & Verbum DEI facta eſt caro.

LXXIV. ἐκ σοῦ; Hæ duæ particulæ in multis exemplaribus deſiderantur. Nos verò cum præclaris Theologis ob ſeqventes ſtatuimus eſſe legendas cauſas. 1. qvia *Syrus* Interpres ut & *Arabs* eas expreſſit. 2. qvia in nonnullis veteris editionis codicibus & editione *Complutenſi* leguntur. 3. qvia eas *Patres* retinuerunt qvamplurimi, utpote *Epiphanius* & alii. 4. qvia Scriptura alibi ad eundem modum loqvitur *Gal.* IV. 4. γενόμενον ἐξ γυναικὸς natum ex muliere. Rom. I. 3. γενομένου ἐξ σπέρματος natus ex ſemine David ſecundum carnem. Rom. IX. 5. ἐξ ὧν ὁ χριστὸς ex qvibus (patribus) eſt Chriſtus, qvantum attinet ad carnem. Qvod verò in multis exemplaribus hæ duæ particulæ non legantur, in

culpa exiſtimamus olim fuiſſe hoſtes humanæ in Chriſto naturæ, qvi videntes ex his ſe fortiter refutari, forſan maximè eas expunxerunt.

LXXV. Inferunt autem hæ duæ particulæ, Chriſtum ex Maria integrum hominem animâ & corpore conſtantem conceptum & natum eſſe, eúmqve, ſicut corpus, ita & animam ex Maria matre habere; qvamvìs hoc, qvantum ad animam, negent Calviniani. Lege ſis *Zanchium, lib.* II. *de Incarnat. Filii DEI, c.* III. *qvæſt.* V. *p.* 134. *ſeq.* in 8t. vel p. 70. in fol. ubi ſtatuit. 1. Animam Chriſti creatam eſſe à DEO ex nihilo. 2. Animam Chriſti creatam eſſe in utero Virginis. 3. Creatam eſſe non ſolùm in utero Virginis; ſed etiam in perſona τ͂ λόγυ, tanqvàm in perſona ſuſcipiente ac ſuſtentante. 4. Animam illam fuiſſe corpori ſine peccato unitam. Zanchio adſtipulatur *Matthias Martinius, lib.* II. *de Chriſto, tract.* I. *c.* XII *p.* 622. Idem etiam videtur velle *Beza in annot. majoribus in N. T.*

LXXVI. Nos breviter *Zanchio* reſpondemus. Ad 1. dicimus Zanchium de Chriſto aliqvid ſtatuere ex falſa hypotheſi, qvæ nondum evicta eſt ab adverſariis Calvinianis. Hypotheſis hæc eſt: qvòd omnium hominum animæ, juxta communem Calvinianorum ſententiam à DEO immediatè creentur, & corporibus humanis infundantur. Ex hac hypotheſi concludit etiam Chriſti animam à DEO immediatè creatam, & humano corpori illius infuſam eſſe. Sed committitur petitio principii: ſumitur pro confeſſo, de qvo maximè adhuc controvertitur, & cujus contraria fundamenta adeò firmiter & ſolidè à noſtratibus in negativam ſententiam producta, ut Calviniani ſuis ſophiſmatibus ea nondum valuerint elidere & eludere. Qvare ex hac hypotheſi Calvinianorum adverſarius nihil

certi & ſolidi, de immediata creatione & infuſione animæ Chriſti aſſerere & ſtatuere poteſt. *Deinde*, cadente hâc primâ aſſertione *Zanchii* cadunt & reliqvæ, qvas de immediatè creata anima Chriſti profert. Nos qvidem concedimus Chriſtum animari incepiſſe in utero Mariæ matris, neqve in hoc ſolùm; ſed etiam ſimul in perſona τ͂ λόγυ ſuſcipiente, eámqve cum corpore ſibi arctiſſimè ὑποςατικῶς uniente, non ſuſtentante, ut *Zanchius* falſò loqvitur. Verum-tamen non per immediatam creationem & infuſionem hoc factum eſſe ſtatuimus, ſed per productionem & propagationem ex puris & ſanctis ſangvinibus Mariæ, vi & efficaciâ Spiritus S. qvi vim multiplicandi & propagandi in Maria excitavit.

LXXVII. Hinc Chriſtus vocitatur Filius hominis Dan. VII. 13. Matt. VIII. 20. c. XVI. 13. &c. Semen mulieris Gen. III. 15. Mariæ Filius Eſ. VII. 14. Luc. I. 31. &c. Et Maria vocatur mater Domini Luc. I. 43. Jam ſi Chriſtus, uti corpus habet, animam verò non haberet à Maria, qvomodo ipſe Mariæ Filius, item Filius hominis, & Maria mater Domini dici poſſet? Homo enim hominem generat, non homo corpus ſaltem, ſicut apud ſaniores philoſophos in confeſſo eſt.

LXXVIII. Redargui exinde firmiter qvoqve poſſunt hæretici antiqvi dicti Manichæi & Valentiniani, qvi hîc erroneam, & impiam tenuerunt ſententiam, blaſphemantes, carnem Chriſti aliunde, putà è cœlo aſſumptam tantùm modò hoſpitem in utero Mariæ fuiſſe: per Mariam verò, ſeu per uterum illius tranſiiſſe ſicut aqva per canalem tranſit, de cujus ſubſtantia tamen nihil communicatur. Et hanc blaſphemiam recitâſſe eſt refutâſſe: qvippe qvæ non ſolùm hôc locô Angelum DEI; ſed etiam totam ſacram ſcripturam contra ſe habet clamantem, in primis Heb. II. 14.

LXXIX. Ultimum in ſubjecto vocabulum eſt vox ἅγιον ſanctum. Ea autem eſt determinatio ſubjecti, nec aliter, niſi de toto ὑφισαμένῳ, qvod utramqve naturam complectitur, intelligi poteſt. Chriſtus enim qvando conceptus, & natus eſt, jam non ampliùs ſimplicem habuit ὑπόςασιν, ſicut habuit ab æterno ante ἐνσάρκωσιν; ſed compoſitam, in qva divina & humana natura ſimul ſubſtitit, & ſubſiſtere incepit.

LXXX. Intelligitur ergò hôc locô per τὸ ἅγιον ſanctum Chriſtus ſecundum utramqve divinam & humanam, naturam.

LXXXI. Secundum divinam naturam eſt ille Eſſentialiter cum Patre & Spiritu S. Sanctus, de qvo Angeli τρισάγιον hoc canunt Eſ. VI. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus (Jehovah) exercituum. Atqve ità Chriſtus ſecundum hanc naturam ipſa ſanctitas eſt.

LXXXII. Secundum humanam naturam Chriſtus dicitur Sanctus, non qvòd à ſancta & peccatô carente Matre conceptus & prognatus fuerit, ſicùt abſqve omni ſcripturæ fundamento de Maria ſtatuunt Pontificii. Neqve etiam Chriſtus ſecundùm humanam naturam dicitur ſanctus, qvòd ex parte qvadam nobilioris illius maſſæ, ex qva factus eſt Adam, qvæqve intacta in eo ſervata, poſteà in Seth & ſic per generationes deſcendentes tandem in Joachim parentem Mariæ transfuſa ſit, ex qva D. Virgo concepta & generata, Chriſtum hominem ſanctum & ipſa Sancta conceperit & pepererit, qvemadmodùm qvondam *Rabini veteres* fabulati ſunt, qvos refutavit *Thomas, lib.* III. *ſent. diſt.* III. *art.* 2. Sed ideò dicitur Chriſtus ſecundùm humanam naturam ſanctus, qvia à ſpiritu S. ex ſanctificata & à peccatis defœcata maſſa virginea Mariæ conceptus eſt.

LXXXIII. Et hoc eſt unum ex illis, qvæ ſibi peculiaria & nobiſcum haud communia habet Chriſtus, & in qvo illius conceptio & nativitas diſcrepat à noſtra omnium, utpote qvæ non niſi in peccatis fit & perficitur. Pſ. LI. 7. Eph. II. 3. Job. XIV. 4. c. XV. 14. In carne nobis ſimilis, peccatô ſed diſſimilis Heb. IV. 15 Inde ſanctus ſanctorum appellatur Dan. IX. 24. in cujus ore non inventus eſt dolus Eſ. LIII. 9. Juſtus Zach. IX. 9. imò ipſa juſtitia Jer. XXIII. 6. c. XXXIII. 16. Neqve aliter cum Chriſto comparatum eſſe potuit: Talis enim decebat nos Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſeparatus à peccatoribus Heb. VII. 26.

MEMBRUM POSTERIUS,

Diſcutiens prædicatum conſeqventis.

LXXXIV. Prædicatum conſeqventis Dicti Angelici ità deſcribit Lucas: κληθήσεται ὑὸς θεῦ. Vocabitur Filius DEI.

LXXXV. Verbum κληθήσεται *Junius & Tremellius* exponunt in marginalibus biblicis, declarabitur; manifeſtabitur. *Piſcator* vertit, eſſe agnoſcetur. Gloſſa ordinaria ita commentatur: Fuit, inqvit, Chriſtus, ſemper & ab æterno DEI Filius, verùm non agnitus talis ab hominibus: propterea dicit Angelus futurum, ut homines talem agnoſcant & vocent. Non habuit nomen iſtud revelatum, qvum lateret ſub involucris ceremoniarum. Nam ſicuti Virtus ejus non fuit tam plenè revelata: ſic non fuit vocatus, anteqvàm exhiberetur mundo.

LXXXVI. Qvas interpretationes, ſi ſanô ſenſu accipiantur, non omnino rejicimus. Non enim tam clarè ſeſe manifeſtavit Filius DEI in V. T. ante-

teqvàm incarnaretur, qvàm in N. T. ubi incarnatus fuit. Neqve nomen Filii DEI tam clarè, & abundè notum fuit patribus V. T. ac nobis in N. T. Verùm ità interpretari nondum ſufficit; imò, ſi Calvinianô ſenſu interpretationes illas qvis velit accipere ita, ut, qvod Angelus dicit, vocabitur Filius DEI, de Chriſto tantùm ſecundùm divinam naturam, intelligi debeat, ut ſit ſenſus: Chriſtus qvà DEus ſeu æterni DEI æternus ac naturalis Filius eſt, vocabitur, hoc eſt, talis manifeſtabitur & eſſe agnoſcetur ex factis ſeu operibus, qvæ in carne aſſumpta operabitur; non verò qvà homo, propter unionem perſonalem, ipſe DEI Filius appellabitur; tunc modò adductas expoſitiones rejicimus. Non enim Angelus tàm ad majorem & clariorem manifeſtationem nominis Filii DEI, qvàm ad id primariò, qvod Chriſtus ſecundum humanam naturam propter unionem perſonalem revera & realiter fieri ſtatim in conceptione debebat, reſpicit. Hic enim ſcopus erat Angeli, & hoc Maria ſibi volebat declarari. Qvare qvando Angelus dicit: vocabitur Filius DEI, hæc ejus ſimplex & plana mens eſt. Re & nomine futurus erit Filius tuus, ô Maria, ipſe DEI Filius. Fundamentum hujus realiſſimæ appellationis ponit in antecedente, nempe unionem perſonalem. Nec obſtat, qvod Angelus, tantùm dicit: vocabitur. Non enim hoc Verbum nudam appellationem, vel titulum ſine re importat; ſed rem, & titulum ſimul: ſiqvidem ut *Lutherus* piè, ac præclarè dicere ſolitus eſt: DEI grammatica non verba ſed res continet, hoc eſt, realia verba, ſeu, verba & res ſimul.

LXXXVII. Seqvitur in prædicato hoc noſtro nomen υἱὸς Θεοῦ. Filius DEI. Vox Filius DEI qvintupliciter accipitur in ſacris bibliis. 1. Pro eo, cui

cui exactè definitio Filii (Filius id eſt, vel dicitur propriè, qvod de eſſentia alicujus Intelligentis productum, ſimile eſt ei in natura, *Damaſcenus*, lib. I. de O. F. c. VIII.) competit. 2. qvi propter ſui creationem Filius eſt & dicitur DEI. 3. qvi à DEO in gratiam aſſumptus, atqve ita in Filium adoptatus eſt. 4. qvi ex officio, qvô vice DEI fungitur, Filius DEI dicitur. 5. qvi DEUM Patrem noſtrum, ſanctis tum verbis tum operibus imitatur.

LXXXVIII. *Primò* modô non niſi unicus DEI Filius eſt, videlicet Dominus noſter JEſus Chriſtus, deqvo in præſenti textu ſermo eſt. Et hic Filius DEI eſt ſecundum divinam naturam qvidem eſſentialiter, Pſal. II. 7. qvippe juxta qvam ex Patris ſui eſſentia ab æterno genitus eſt. Qvapropter etiam in Scriptura vocatur: I. μονογενὴς τοῦ πατρὸς Unigenitus Patris ſui, qvi ſuæ geniture nullos habet ſocios: Joh. I. 14. 18. c. III. 16. I. Johan. IV. 9. 2. ἴδιος proprius, qvi ſolus ἰδίως propriè, prout vera ac nativa alicujus Filii genitura reqvirit, genitus eſt. Rom. VIII. 31. 32. & qvi propter hanc ſui generationem DEum Patrem tantummodo ſuum ἴδιον πατέρα appellare audet & jure poteſt. Joh. V. 18. *Athanaſius*, Epiſt. ad *Serapianem*. Pater propriè eſt Pater, & Filius propriè eſt Filius. Ratio hæc eſt: qvia generatio Filii maximè propriè dicitur, noſtra verò generatio modificatè, & per qvandam analogiam & ſimilitudinem. 3. ab æterno à Patre ſuo genitus Pſal. II. 7. Prov. VIII. 22. ſeq. ad 23. Mich. V. 2. Etſi enim DEus Pater Filium ſuum à ſe genitum in tempore manifeſtavit; tamen generatio illa ab æterno facta eſt: actus námqve generationis, inter DEum Patrem, & Filium non eſt tranſiens, ſed permanens, qvi uti ab æterno cœpit, ita in æternum durabit. 4. Imago Patris æterni 2. Cor. IV. 4. Col. I. 15. Item: ſplendor gloriæ, & character Perſonæ Patris Heb. I. 3.

De hac imagine Scholaſtici ita loqvuntur, qvòd dicat relationem producti ad producentem, & fundetur in divina eſſentia, non abſolutè; ſed qvatenus eam Filius ab æterno per æternam generationem accepit. Vel, uti breviùs eximius ille Theologus Dn. D. *Mentzerus* in Exeg. Auguſt. Conf. loqvitur. Imago ſpectatur in communicatione Eſſentiæ per æternam generationem. 5. ὁμοούσιος Patri Johan. x. 30. 1. Joh. v. 7. adeóqve verus, vivus, æternus DEus. Act. xx. 28. Roman. ix. 5. 1. Tim. iii. 16. Tit. ii. 13. 1. Joh. v. 20. Epiſt. Judæ v. ult. Extremè ergò blaſphemos oportet eſſe *Photinianos*, qvi Chriſto nullam aliam attribuunt filiationem, qvam qvæ tribuitur à Scriptura reliqvis qvoqve Sanctis. Non de ſolo Chriſto, ſcribit *Chriſtophorus Oſtorodus* in Inſtit. Germ. p. 52. ſed de omnibus Chriſtianis dici poteſt, qvòd ſint Filii DEI, & qvòd DEus eos genuerit: Et in divina generatione veri Chriſtiani cum Chriſto multa habent communia. Eadem emblemata legi poſſunt *Catech. Racov. p.* 104. & in reliqvorum horum Chriſti perduellium ſcriptis aliis. At verò qvanta interſit diſcrepantia inter noſtram, & Filii DEI generationem, & filiationem, qvæ modò ex Scriptura de hujus filiatione & generatione recitavimus, ſat manifeſtant; nimirum qvòd ne in minimo, de Filii DEI Salvatoris noſtri JEſu Chriſti filiatione & generatione participare qveat, clarè teſtantur, ſicut omnibus hanc rem accuratiùs perpendentibus inclareſcit. Porrò uti Chriſtus Filius DEI ſecundum divinam naturam eſt eſſentialiter; ita is ipſe ſimiliter eſt ſecundum humanam naturam, Filius DEI, ſed perſonaliter, propter unionem hypoſtaticam, ob qvam humana natura Deificata, & in ipſius DEI Filii hypoſtaſin aſſumta, cum eo unum ὑφιστάμενον conſtituit.

LXXXIX.

LXXXIX Et hæc qvidem acceptio eſt hujus loci propria: reliqvas qvod attinet ſignificationes; eæ de creaturis efferuntur. Nam ſecundô modô Filii dicuntur, tùm Angeli Job. I. 6. c. XXXVIII. 7. tum homines. Eſa. XLV. 11. *Tertiô* credentes & regenerati per Verbum & Sacramenta vocantur Filii DEI Joh. I. 12. Rom. VIII. 15. 16. Gal. IV. 4. 5. 6. 7. hinc etiam ex DEO generati perhibentur Joh. I. 13. Jacob. I. 18 I. Joh. III. 9. *Qvartô* Magiſtratus appellantur DEI Filii Pſal. LXXXII. 7. *Qvintô* per imitationem Filii DEI deſcribuntur Luc. VI. 35.

XC. Atqve hæc de analyſi Logico-Theologica hujus Oraculi Angelici etiam ſufficiant. Poſſemus jam, qvia Angelus ſuam reſponſionem ἐνθυμηματικῶς formavit, in duplicem redigere Syllogiſmum totum negotium; verùm, qvia hoc minimè operoſum eſt cuivis, à labore hoc otiabimur, & heîc diſſertationem noſtram præſentem, gratias agentes Chriſto, Immanueli noſtro debitas, maximas, terminabimus.

IX.

PROGRAMMA SOLEMNIBUS PENTECOSTES,

in honorem
Spiritus S. ceu tertiæ S. S. Deitatis Perſonæ, à Patre, & Filio æternum procedentis, ſacrum, & P. P.
à
RECTORE & SENATU ACADEMIÆ Regiomontanæ. †
15. *Maij*, *Anni* 1633.

רוחך טובה תנחנו

EMinentiam, & prærogativam inſignem Temporis *Novi Teſtamenti* præ reliqvis vetuſti fœderis temporibus, majeſtaticè deſcripturus, ac omnibus fidelibus egregiè commendaturus; apud Prophetam *Jeremiam* ſic orditur, & loqvitur *Dominus* Zebaoth, c. XXXI. 33. *Ecce dies venient!* & *Teſtamentum erigam ſuper domum Judæ*, *Teſtamentum Novum*; non *ſicuti Teſtamentum, qvod ſtatui cum Patribus eorum, qvando eduxi eos, ex terra Ægypti, dans legem meam in mentem eorum, & in corda eorum inſcribam eam.* Qvam magnificam Spiritus S. de *Novi Teſtamenti* temporibus, Prophetiam, B. *Chryſoſtomus*,

† Auctor eſt B. Dn. D. Cœleſtinus Miſlenta.

ſtomus, *in Feſto Pentecoſtes* adimpletam eſſe teſtatur, *Tom.* III. *homil. de. Spiritu S. f.* 879. inter cetera ſic ſcribens: *Qvomodo, igitur, dic mihi, & qvando vetus lex Iſraëli data eſt?* ac reſpondet, *Poſt liberationem ex ſervitute Ægyptiaca in monte* Sinai: *propterea etiam nunc* Novum Teſtamentum redemptis *de ſervitute inimici, in monte* Sion *datur.* Illic, *cùm* Moſes *in montem aſcendiſſet: heic, ubi* Chriſtus *in cælum adſcendit, Spiritus S. lex nobis advenit:* Illic *ignis montem implevit: hodie itáqve igneis lingvis Spiritus S. apparuit.* Illic *agnitionis divinæ primitiæ Iſraëli declarabantur: heic nunc agnitiones divinæ gentibus ſignificantur;* Illic *lingvam, qvam non novit, audivit populus: & hodie lingvam, qvam non novit, locutus eſt Apoſtolorum chorus.* Illic *cùm lex daretur, voces tubæ ſonabant; hodie etiam factus eſt repentè de cælo ſonus, tanqvàm impetu venientis Spiritus vehementis. Et* Illic *poſt triduanam populi purgationem lex data eſt: nunc autem poſt triduanam Chriſti Reſurrectionem Spiritus S. nobis datus eſt.* Porro fructus multivarios, miſſionem Spiritus S. viſibilem miraculoſè conſeqventes idem *Chryſoſt.* aureô ore paſſim recenſet, & ediſſerit. Effuſionem Spiritus S. in ſpecie lingvarum ignitarum conſpicuam, ſic piè & egregiè interpretatur: *In ſpecie ignearum lingvarum Spiritus deſcendit hodie, ut infantilitatem Gentium in Theologiam converteret. Olim qvidem ſub* Eber *lingvæ multæ confuſæ ſunt propter ſceleſtam impiorum temeritatem: lingvis autem hodie admirabilis ſapientia conceditur propter flammam supernè in diſcipulos venientem: Tunc obtenebravit impios ædificatio Turris ſceleſta: heic ſapientes reddidit rara Dei noticia; Illic lapſus condemnavit: heic nunc Spiritus S. liberos fecit. Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas:* & qvæ ſeqvuntur; qvibus probat diem Pentecoſtes eſſe libertatis, ac remiſſionis peccatorum ſuppeditatricem. Fructum ad *Apoſtolos* ceu ſingula,

gularem ex viſibili Spiritus S. effuſione redundantem myſticè deſcribit idem, *homil. de Pentecoſt. f.* 874. ſtatim ab initio his verbis, Spiritus S. plenis: *Hodie nobis terra facta eſt cælum; non ſtellis de cælo in terram cadentibus; ſed Apoſtolis ad cælos aſcendentibus, qvia effuſa eſt copioſa gratia Spiritus S. & univerſum orbem operata eſt cælum, non immutans naturam, ſed voluntatem emendans: invenit námqve Publicanum & Euangeliſtam effecit; invenit perſecutorem, & Apoſtolum reddidit. Ideo cælum factum eſt terra, & hæc ſæpius dicens, non ceſſabo. Qvæ enim tales ſtellæ, ſicut Apoſtoli? Stellæ de igne inſenſibili; Apoſtoli de igne intelligibili; Stellæ noctu lucent, interdiu obſcurantur: Apoſtoli die & noctu ſunt radii, hoc eſt, virtutibus effulgent. Stellæ ortô Sole obſcurantur: Apoſtoli Sole juſticiæ reſplendente ſuâ charitate luceſcunt: Stellæ in Reſurrectione cadent, ſicut folia: Apoſtoli in reſurrectione rapientur in aëra nubibus: Et in illis qvidem ſideribus alius* Antifer; *alius* Lucifer *appellatur: in Apoſtolis autem nullus* Antifer *eſt, omnes* Luciferi, *& ideo ſtellis majores Apoſtoli.* Fructus inſuper ad totum genus humanum & in ſpecie ad credentes ex Spiritus S. viſibili *die Pentecoſtes* factâ effuſione redundantes, eóſqve varios, proficuos, ſalutares, ac ineffabiles verbis egregiis deprædicat: *Domini noſtri*, inqviens, *divinitas, cùm ſit unius ſubſtantiæ, & immutabilis, pro noſtra ſalute omnibus omnia fit, (Sp. S. gratiâ) Tu palmes factus es, & ipſe tibi vitis Joh.* XV. 1. *promovere greſſum voluiſti? factus eſt tibi via, dicens* Joh. x. 9. *Ego ſum via per me ſi qvis intraverit, exiet, & paſcua inveniet. Ovis factus es? ille tibi Paſtor, qvi ponit animam ſuam pro ovibus,* v. 11. *Peccator effectus es? factus eſt tibi Agnus: Ecce Agnus Dei, qvi tollit peccata mundi!* Joh. I. 29. *Manducare voluiſti? factus eſt tibi menſa! bibere voluiſti factus eſt tibi poculum Joh.* VI. 55. ſ. *Veſtiri voluiſti? factus eſt tibi indumentum:*

Qvot-

Qvotqvot enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis Gal. III. 27. *Sponſa fieri voluiſti? factus eſt tibi Sponſus Joh.* III. 29. *Matth.* xxv. 5. 6. Nubere voluiſti? factus eſt tibi Vir. II. Cor. XI. 2. O nova, & admiranda rerum commutatio? Adhæc, beneficium ingens hôc feſtô toti mundo illuxit? Ex hoc námqve univerſa caro vidit ſalutare Domini Dei noſtri. Univerſa terra eſt repleta gloriâ Jehovæ. *Peragrârunt Piſcatores orbem terrarum & infirmum eum invenientes ad ſanitatem reduxerunt; & in ruina poſitum, ad ſtabilitatem revocârunt, non ſcuta moventes; non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloqventiâ confidentes; pauci homines totum ceperunt mundum; & nunc terra, & mare, & orbis terrarum, & inhabitabiles regiones, & omnes fines terræ, pietate repleti ſunt: Qvocunqve iveris ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hiſpanos, uſqve ad ultimum finem terrarum, invenies: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & DEus erat Verbum.* Et univerſa religione plena: ante hoc enim univerſa repleta erant impietate; nunc autem non ſolùm civitates religione florent, & fide Chriſti; ſed etiam Eremus in nomine Chriſti gloriatur.

Hæc & id genus alia Spiritus S. *Magnalia*, ſolemnibus hiſce cœtus Chriſtianorum meritò pectore gratô ſecum expendit, ac memoriam eorundem piè ac devotè, inſtitutis in loco S. S. conventibus & concionibus, recolit, & celebrat, ſuôqve laudabili exemplô pietatem noſtram ad ſimile, Chriſtianis dignum, officii genus, exſtimulat. Qvod ipſum in honorem Spiritus S. peracturi, paucis nobilem illam, de Spiritus S. non ſolùm à Patre, ſed etiam â Filio proceſſione, qvæſtionem Eccleſiis Latinis, & Græcis intervenientem, in gratiam Civium Academiæ delibabimus, & pertractabimus,

in

in qvantum ratio inſtituti patietur. Ubi *initiò* Hiſtoriam certaminis præmittemus, *occaſionèmqve* indicabimus, *qvænam* illa, & à qvo *ſuppeditata*: A qvibus inſuper *propugnatoribus divortium* inter *Græcas* & *Latinas Eccleſias* ad ἀκμὴν deductum ſit, reconciliatione, & compoſitione litigii in plurimis Conciliis fruſtra tentatâ? *Deinde* fundamentis certis ſententiam orthodoxam de Spiritus S. proceſſione non ſolùm à Patre, ſed etiam à Dei Filio, ſtatùminabimus, & adſtruemus.

Qvod itaqve primum attinet, teſtatur *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Græcam* Eccleſiam poſt Apoſtolorum tempora idem de Spiritu S. credidiſſe, qvemadmodùm Eccleſiæ Latinæ confitebantur, proceſſionem ejuſdem non ſolùm à Patre, verùm etiam à Filio: Qvæ fidei ὁμόνοια, & ὁμοψηφία *integra* perſtitit uſqve ad tempora *Baſil.* M. *circa* A.C. 370. Circa hoc námqve tempus cœptum eſt moveri certamen ex parte plerorumqve Græcorum de divinitate Spiritus S. licet non apertô Marte, ſed adhuc occultis conatibus, donec ex latibulis prodiens impius *Macedonius* apertum bellum Spiritui S. indiceret, ejúſqve divinitatem veram negare auderet. Fuit autem *Macedonius* ſucceſſor *Alexandri Epiſcopi Alexandriæ*, *Arii* oppugnatoris ſtrenui; errorem verò ſuum vi, & crudelitate propugnabat, & obtrudebat, diſſentientes à ſe non diſputando vincebat; ſed impetratis ab Imperatore militum copiis, non ex Dialecticorum locis; ſed ex carnificum officinis ſolvebat argumenta, teſte *Hieronymô*, *Macedonii* inſtinctu in *Paphlagonia* ingentem cædem factam eſſe, commemorat *Suidas*; de eo addit *Hiſtor. Tripartit. lib.* v. *c.* XXXI. Cùm homines ab ejus communione ſe ſubtraherent, éxqve manibus ipſius Euchariſtiam accipere nollent; *Macedonius* lignô ora eorum aperiens per violentiam intruſit illis Euchariſtiam. Hæc facta eſſe commemo-

morantur paucis annis poſt *Synodum Nicenam*, cùm poſt fata *Conſtantini*, Arianorum hæreſis recrudeſceret, & Eccleſias unà cum Imperio turbis involveret; qvas ſuô errore *Macedonius* magis magiſqve perplexas & afflictas reddere ſategit, in dubium vocatâ Spiritus S. divinitate.

Eccleſiæ itáqve ſat divexatæ, & adflictæ ſuppetias laturi inter Græcos *Patres* Spiritus S. divinitatem maſculè propugnârunt *Athanaſ.* duabus *Epiſtol. ad Serap. Epiſc.* qvibus probat Spiritum S. non eſſe creaturam, ſed verum Deum. Vide *Tom* II. *f.* 10. *ſeq ut & Baſil. Magn.* qvi aliqvot libros πνευματομάχοις oppoſuit, *Eunomio* nimirum, & *Macedonio*: uſus verò eſt qvibuſdam loqvendi formulis in ſenſum ambiguum flexibilibus, unde multis erroribus occaſio ſubminiſtrata. Scribit námqve inter reliqva: Πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστιν ἐκ θεοῦ πατρὸς, δι᾽ υἱοῦ, hoc eſt, *Spiritus S. ex Deo Patre per Filium*: Non ſolùm verò *Baſilium* M. verùm etiam reliqvos Orientis & Occidentis Patres, talibus loqvendi formulis uſos eſſe, videlicet Spiritum S. eſſe à Patre *per Filium*, teſtantur exempla à *Lombardo citata, lib.* I. *ſent. diſt.* XI. *&* XII. de qvibus etiam videatur *Dn. Chemnitius* in L. C. *de Spiritu S. errore* v. *f.* 102. qvi ſimul rationes adducit, cur ita Patres locuti fuerint? nimirum ad ſervandam & exprimendam unius, & inconfuſæ eſſentiæ proprietatem. Dixerunt ergo: *à Patre per Filium*, ut cujuſqve Perſonæ proprietas ſervaretur: qvâ loqvendi formulâ nec *Latini* offenſi ſunt; ſed eâdem uſi, licèt paulò aliter: ſiqvidem *Auguſtinus ait, lib.* XV. *de Trin.* Spiritum *propriè*, *principaliter* à Patre procedere, hôc ſenſu, qvia Filius naſcendo à Patre accepit, qvod de ipſo procedit Spiritus S. Pater verò à nullo accepit; ſed à ſeipſo habet. *Hilar. verò lib.* XI. Græcorum formulam retinens ſic ſcribit: *Spiritus S. eſt ex DEO Patre per Filium.* vide

plura apud *Lombard. d. l. diſt.* XII. Hæc etſi piô ſenſu, ſanôqve dicta ſint: occaſionem tamen dederunt aliis in Græca Eccleſia docentibus, proceſſionem Spiritus S. à Filio æqvè, ut à Patre in dubium vocandi: Talis inter reliqvos *primus* perhibetur exſtitiſſe *Theodoretus Cyri Epiſcopus*, qvi *Baſilium* inſecutus, negabat Spiritum S. procedere etiam à Filio: exſtant ſiqvidem *Refutationes Anathematiſmorum B. Cyrilli, auctore Theodoretô editæ*, ubi is, c. IX. diſertis verbis ait: Spiritum S. nec eſſe à Filio, nec *per Filium, ſed à ſolo Patre*: qvi error planè cum *Neſtoriano* coincidit, ſic námqve in *Symbolo Neſtorii* habetur, Spiritum S. non habere per Filium ſuam ſubſiſtentiam, *ſed à ſolo Patre eſſe:* vide *Concil. Epheſin. Tom.* II. *c.* XXXVII. Ceterùm ſententia hæc nondum ab omnibus tempeſtate illâ approbata, receptáve fuit Theologis Græcis, multò minus ab omnibus mordicus defenſa, proinde non videtur error ille tum temporis altas egiſſe radices, cùm nulli deprehendantur ejuſdem Patroni, vel qvi hac de re ex profeſſo tractent tradántve. Progreſſu verò temporis, diſputari de hoc religionis capite publicitus cœptum eſt circa A. C. 767. Refert námqve *Ado Vienenſis in Chronic.* celebratum eſſe *Magnum Concil. Gentiliaci*, & diſputatum coram *Pipino Rege, Caroli* M. Patre, inter Latinos & Græcos de Trinitate: unde conjecturâ arguit *Bellar.* nullam potuiſſe tractari aliam Qvæſtionem inter Græcos & Latinos de Trinitate, qvàm de proceſſione Spiritus S. Non enim alia controverſia eſt vel fuit inter Græcos, & Latinos de Trinitate, *lib.* II. *de Chriſto, c.* XXI. Vide *Rhegin. Sigebert. & Abbatem Urſpergenſ. in Chronic.* Ab eo tempore majores diſtractiones animorum factæ ſunt inter Græcos & Latinos. Hinc A. 809. *Menſ. Novembr. Carolus Magn. Aqvisgrani* Epiſcopos & Sacerdotes, ſive Clericos convocat,

inter qvos erat *Bernhard. Wormacienſis* & *Adelhardus Corbeienſis Abbas*, eísqve qvæſtionem proponit *de proceſſione Spiritus Sancti*, qvam *Johannes Monachus Hieroſolymitanus* moverat. Re diu ultrò citróqve diſceptatâ, concludunt tandem: ſine Pontificis Romani conſenſu, nihil eſſe definiendum: ideóqve duo illi commemorati ablegantur ad *Papam*, *Leonem* III. ad cauſſæ diremtionem, & ſententiæ Pontificiæ reportationem, qvæ talis fuiſſe fertur, qvòd Papa ſvaſerit προσθήκην illam in *Symbolo Niceno Spiritum S. procedere* (à Patre) FILIOQVE, aliqvô temporis ſpaciô in Eccleſia intermittendam, & obliterandam eſſe, & poſteà abſqve additione qvatuor illarum ſyllabarum (FILIOQVE) canendum: commemoratur inſuper & hoc in *Tom. Concil.* Papam etiam *Romæ* id Symbolum Græcè, & Latinè abſqve additione (Filióqve) in argenteis Tabulis deſcribi juſſiſſe. Vide *P. Lomb. lib.* I. *ſent. diſt.* XI. *Annô poſteà* 860. imperante *Ludovicô German. Cæſ. Romæ* præſidente *Nicolaô.* I. *Papâ*, publicum oritur litigium inter Patriarchas *Conſtantinopolit. Ignatium*, & *Photium*, tempore Imperatoris Græciæ *Michaëlis Ebrioſi* dicti, non ſatis verò conſtat ex Annalibus, an etiam certamen de proceſſione Spiritus S. hôc tempore inter illos Patriarchas motum fuerit? & num *Græci* apertè *Latinis* hoc in Articulo contradixerint; uti vult *Bellarmin. lib.* II. *de Chr. c.* XXI. *f.* 414. cùm alii ſolummodò controverſiæ de imaginibus mentionem faciant, *Baron.* & *Calviſ.* ad *Ann. Chr.* 870. Hoc autem certum eſt, poſt obitum *Ignatii*, (qvi accidit XXIII. *Octobr.* A. 878. imperante *Carolô Calvô*: Romæ verò præſidente *Johanne* VIII. *Papâ* Græcum autem Imperium moderante *Baſiliô Macedone*) *Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum* librum peculiarem ſcripſiſſe de *proceſſione Spiritus S.* in qvo diſertè negabat,

Spiritum S. ex Filio procedere poſſe. Id qvod tantoperè offendit Latinas Eccleſias, ut Papa Rom. *Marinus Gallaſianus Faliſcus*, additionem de proceſſione Spiritus S. (à Patre) Filióqve antehàc ſolummodò in *Galliis*, *Hiſpaniis*, & *Germania* uſitatam, in *ſymbolo Niceno* exprimi curârit, qvod hactenus Romæ nondum factum fuerat, uti ſupra dictum. Contigit hoc ipſum ſub *Carolo Craſſo Imper. Rom.* A. *Chr.* 883. teſte *Baroniô*. Atqve hanc in ſententiam conceſſère alii Græciæ Doctores, ac inter eos *Theophylactus* circa illa tempora maximè florens. Is námqve in Commentario ſuper Johan. c. III. nominatim perſtringit, & reprehendit Latinos, qvòd proceſſionem Spiritus S. à Filio credant, doceántqve: teſtis etiam eſt *Johannes Diaconus Theophylacti* σύγχρονος & coætaneus, qvi *lib.* IV. *de Vita B. Gregor. c.* LXXV. commemorat: Græcos vertiſſe in ſuam lingvam *Dialogos S. Gregorii*, & abraſiſſe illam προσθήκην vel additionem *à Filióqve procedit*. inde diſſidium apertum inter Eccleſias Orientis & Occidentis ad ἀκμὴν pervenit, ínqve perfectum ſchisma degeneravit, cumprimis circa *Ann. Chriſti* 1054. imperante *Conſtantinô* X *in Oriente*, aliàs *Monomachô* dictô, Romanorum verò imperium obtinente *Henricô* III. tempore *Leonis* IX. *Papæ Rom.* Tunc enim *Patriarcha Conſtantinopolitanus Michaël* cognomine affectabat Oecumenicum Patriarchatum, cœpítqve Romanum Pontificem diris devovere, & anathematis reum proclamare, ut& omnes Latinas Eccleſias, qvòd contra decretum *Concilii Epheſini*, Symbolo aliqvid addidiſſent: ad hæc Græci omnes Eccleſias Latinas, qvæ tum temporis in illorum erant ditione, exercitiô publicô religionis privârunt, ædéſqve ſacras claudi juſſerunt non invitô vel inſciô, ſed conſentiente & approbante *Imperatore Conſtantinopolitanô*, qvi inſuper præ-

mia decrevit calamum contra *Latinos* ſtringentibus, & aliqvid ſcribentibus; fruſtra Legatos partim, partim epiſtolas expediente *Leone* IX. *Papâ. Rom.* & unionem cum Eccleſiis Latinis tentante. Qva de re *Sigebertus in Chronic.* A. 1054. *S. Antonin. Hiſtor. part.* III. *tom.* XXII. *c.* XIII. *Calviſius* & alii. Tentavit ſubſeqventibus annis tale qvid *Papa Urbanus* II. multúmqve pro obtinenda Unione Eccleſiarum Græcarum cum Latinis laboravit, indictô *Conciliô Bari in Apulia*, vel *Slaviâ*, ad qvod evocat Græcos, & *Anshelmum Anglum Cantuarienſem Archiepiſcopum*, qvi tunc *Angliâ* ejectus apud *Romanum Pontificem latitabat*: diſputabatur ibi de *proceſſione Spiritus S. à Patre, Filióqve*, & qvidem *Pontifex* ſe ſatis expedire non potuiſſet, niſi *Anshelmus* adfuiſſet, qvi reſponſionis partes dextrè, & laudabiliter ſuſtinuit, contradicentéſqve Græcos graviter convicit, teſte *Edinerô in vita Anshelmi*, *Baroniô* & *Calviſiô*, *Annal. ad* A.C. 1097. qvô etiam hæc geſta ſunt *imperante Henricô* IV. *Rom. Cæſare*, Orientis verò *Alexiô Imperatore*. Convicti tunc in Concilio *Græci*, noluerunt tamen errori valedicere, ſed in eo pertinaciter perſeverârunt: proinde *Latini* iterum conantur *Græcos* ab errore inveterato liberare, & in viam veritatis revocare. Id qvod *duobus Conciliis* periclitati ſunt, *Annô Chriſti* 1438. indictô *Conciliô Ferrariæ ab Eugenio* IV. *Papa*, imperante *Albertô Auſtriæ Duce*; Eò autem devenit *Johannes Palæologus Imperator Conſtantinopolit.* ſtipatus ingenti Comitatu *Demetrii Peloponneſii Principis*: & aliorum ex ordine Eccleſiaſtico, exceptô *Patriarchâ Conſtantinopolitanô*, adversâ valetudine impeditô: Ubi de *proceſſione Spiritus S. à Patre Filióqve* diſputatum eſt *Seſſ.* III. *& ſeq.* diſputandi partes ſuſtinentibus *Marcô Epheſiô* Græcorum, & *Andreâ Coloſſenſi* Latinorum primiceriis, & Antesignanis:

Seſſ. V. Latini productô Codice vetuſtiſſimô; *Concilii* VII. *Generalis*, demonſtrârunt additionem de proceſſione Spiritus S. *à Filio* fuiſſe authenticam, & auctoritate Concilii illius Oecumenici approbatam, qvam tamen *Græci* in ſuis codicibus deprehendere non poterant. Ceterùm ſolutô propter peſtem *Ferrariæ Conciliô*, ejuſdem continuatio inſtituta eſt *Florentiæ* Annô *ſeqventi* 1439. XXVI. *Febr.* ubi *Græci* in ſententiam Latinorum penitus conceſſiſſe perhibentur in litteris *Unionis*, nomine *Eugenii Papæ* promulgatis; ſícqve initô die XXII. *Novemb.* cum Eccleſiis *Latinis* Syncretiſmô, qvà hunc articulum, *Græci* ad ſuas Eccleſias reverſi; ſed ab iis malè excepti ſunt, actis in *Concilio* evanidis, & nauci redditis, ac pronunciatis. Unde cuivis ad oculum patet, *Græcos* datâ operâ & ex proæreſi, vel, qvod res & veritas ipſa fateri jubet, ex affectu magìs, qvàm veritatis ſtudiô errori ſuo patrocinatos fuiſſe olim, eíqve pertinaciter adhæſiſſe, ut videlicet vel hôc pactô oſtenderent, ſe auctoritatem, & poteſtatem illam, qvam Romana Eccleſia jam tùm in *Græcas* ſibi arrogabat, minimè approbare, nedum in rebus, & qvæſtionibus dubiis illius ſtare calculô, & judiciô, uti loqvitur *Dn. D. Hütter. p. m. L. C. f.* 119. Qvid? qvòd hodiéqve adhuc modernæ Eccleſiæ *Græcæ*, priſcum illum errorem exemplô Majorum ſuorum pertinaciter tueantur, nec ab eo ſeſe ullis modis divelli, avocaríve patiantur: Teſtatur námqve Hiſtoria, qvæ ſuperioribus annis memoriâ Majorum noſtrorum contigit, commemorando, & recenſendo, qvæ inter *Jeremiam Patriarcham Græcorum, Conſtantinopolit.* & *Dn. Theologos Tübingenſes* ultro citróqve agitata ſint: ex qvibus indubitatò colligere promtum eſt, Græcos potiùs in errore pertinaciter perſeverare, qvàm veritatem amplecti malle. Prodiit etiam publicam in lucem *liber*

ἀνώνυμος lingvâ *Græca* adornatus ſub titulo: θρῆνος τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς, ἀποστολικῆς, ἀνατολικῆς ἐκκλησίας: hoc eſt, *Lamentatio ſanctæ, Oecumenicæ, Apoſtolicæ, Orientalis Eccleſiæ:* continens articulos ferè omnes in qvibus Græcorum Eccleſia à Romana diſſentit, ac in ſpecie de *proceſſione Spiritus S. à Filio, c.* V. qvi poſteà *liber* transfuſus eſt in *lingvam Sclavonicam*: ex hac verò in *Polonicam, Vilnæ* A. 1610. auctore, & interprete *Theophilô Orthologô*, qvi in perſona Eccleſiæ Græcæ lectorem blandô filii titulô alloqvens perpetuò, in ſuam ſententiam pertrahere ſatagit. Atqve hactenus de Schiſmatis *Græcorum hiſtoria*, ubi paucis delibata *occaſio, progreſſus*, & ἀκμὴ hujus certaminis: Qvæ diligenter obſervanda eſſe cordatè monet *Dn. Chemnitius*, ne, ut qvidam faciunt, putemus *eſſe tantùm inanem* λογομαχίαν: *An Spiritus S. procedat etiam à Filio?* Imò ipſa neceſſitas hocce ſtudium ab Eccleſiæ orthodoxæ Alumnis exigere videtur, tùm ad evitandum periculum, cui facilè ſeſe obnoxios reddunt, qvi qvôcunqve modô erroneè de Spiritu S. ſentiunt: *Qvi enim minùs rectè ſentit, credítqve de Spiritu S. is fidem de Filio Dei ſartam tectam ſervare neqvit*, exemplô *Arii, Macedonii*, ut & *Neſtorianorum*, tùm ad præcavendum, & præmonendum, ne qvis facilè Errori huic adhæreat, ſéqve in eum pertrahi patiatur, uti qvidem experientia teſtatur, Errorem hunc *Græcorum* longè latéqve eſſe diffuſum: ſiqvidem is non modò *Græcos*, verùm etiam *Armenos, Ruthenos, Moſchos* &c. habet aſſeclas, & propugnatores. Nec de nihilo eſt, qvod *Bellarm. lib.* II. *c.* XXX. *colligit*: ob huncce errorem Græcorum, Deum juſtum ſuum judicium exercuiſſe adverſus *Metropolin* ipſorum unà cum imperio; traditis utriſqve *Tur-*

cico Tyranno, *die* XXVIII.* *Maji Annô* 1452. *ipſo Pentecoſtes feſtô.*

Ut verò conſtet qvibúſnam fundamentis fides noſtra orthodoxa nitatur, nonnulla jam producenda erunt pro confirmatione ejuſdem argumenta: Et inprimis utile eſt, firma qvædam Scripturæ S. teſtimonia habere in promtu hujus ſententiæ, qvæ in *Symbolo Athanaſii* ita exponitur: *Spiritus S à Patre & Filio* (non factus, non creatus, nec genitus ſed) *procedens.* Ubi *primò Sp. S.* dicitur *Spiritus labiorum* Chriſti Eſa. XI. 4. *Spiritus oris Chriſti* II. Theſſal. II. 8. Uti ergo Spiritus S. dicitur Spiraculum omnipotentis *Jobi* XXXI. 4. Spiritus oris Jehovæ *Pſal.* XXXIII. 6. propter æternam à Patre ſpirationem ſeu proceſſionem: Ita ob eamdem rationem illas appellationes ſortitur Spiritus S. ac dicitur Spiritus labiorum *Meſſiæ*, & *Spiritus oris Chriſti*, qvòd à Filio Dei ab æterno procedat, & ſpiretur, æqvè, ut à Patre. *Deinde* Spiritus S. dicitur Spiritus Chriſti *Rom.* VIII. 9. Spiritus Filii *Gal.* IV. 6. *Phil.* I. 19. I. *Petr.* I. 11. non aliam ob cauſſam, qvàm ob proceſſionem à Filio; æqvè ac ob eamdem cauſſam vocatur Spiritus S. Spiritus *Dei* vel *Domini* Gen. c. I. 3. I. Cor. II. II. 2. Cor. III. ult. qvòd à Deo Patre procedat. *Tertiò* evincit proceſſionem Spiritus S. à Filio, *miſſio ejuſdem* in tempore, de qva *Luc.* XXIV. 49. *Job.* XV. 26. *c.* XVI. 7. Atqvi miſſio in tempore præſupponit productionem ab æterno in divinis. Hinc Filius Dei à Patre mittitur, qvia à Patre genitus: Ita etiam Spiritus mittitur à Filio, qvia ab ipſo procedit ab æterno. Qvòd autem & Filius Dei dicatur miſſus à (Patre &) Spiritu S. Eſ. XLVIII. 6. rectè hoc

* Alii ajunt contigiſſe d. XXIX. Maji, qui tum in III. etiam Pentecoſtes incidebat, annô M. CCCC. LIII.

hoc explicant Theologi de Chriſto *ſecundum humanam naturam*, juxta qvam Spiritus S. eſt Chriſti productor, vel creator, juxta eamdem etiam Chriſtum unxit plenitudine donorum, ac ad officium redemptionis miſit. Eſ. LXI. 1. Luc. IV. 17. *Qvartò* proceſſionem Spiritus S. à Filio evincit *acceptio ab eodem ſapientiæ*, qvæ eadem eſt cum eſſentia divina Joh. XVI. 14. 15. Spiritus S. me glorificabit, qvia de meo accipiet. Accepit àutem Spiritus S. à Filio ſapientiam interprete *Chryſoſtomô*, *Cyrillô Theophyl. Euthymiô*, &c. non in tempore, qvia verus Deus, adeóqve nullius indigus perfectionis. Ergo ab æterno, & ſic per proceſſionem. Exceptiones Græcorum ad hoc argumentum rectè diſcuſſas vide apud *Bellarm. lib.* II. *de. Chr. c.* XXII. *Gerhard. L. C. Tom.* 1. *c.* IV. *Theſ.* LXXIX. *&* LXXX. LXXXI. *Qvintò* idem evincit Chriſti *inſufflatio* ſeu ſymbolum collati Spiritus S. Apoſtolis facta Joh. c. XX. 22. Hâc enim ceremoniâ innuere voluit Chriſtus à ſe procedere Spiritum S. ita explicante *Cyrillô, lib.* XII. *in Johann. c.* LVI. *Auguſt. Tract.* XCIX. *item* CXXI. *in Johann. & lib.* III. *in Maximin. c.* XIV. Qvicqvid contradicat *Theophylactus* ſuper Joh. III. cui tamen ab aliis ſatisfactum. Hæc ex Scripturis deſumpta & in medium allata fundamenta impræſentiarùm ſufficiant: Poſſemus prætereà addere alia per bonam conſeqventiam deducta, qvalia plura occurrunt apud *Scholaſticos*, & allegare Teſtimonia *Doctorum Græcorum* contra Græcos, ſed inſtituti ratione habitâ contenti erimus argumentis ſuprà ex verbo Dei allatis, ſtudioſos pietatis intereà remittentes ad auctores orthodoxos, qvi ex profeſſo hac de re agunt. Colophonis locô operæ pretium videtur palmarem objectionem *Græcorum* in medium afferre, & diluere, qvam deſumere ſolent ex Joh. c. XV. 26. Cùm venerit Paracletus,

 qvem

qvem ego mittam *Vobis*, *Spiritum veritatis*, *qvi à Patre procedit.* Ex his verbis Chriſti colligunt *Græci*, Spiritum S. ſolùm à Pratre procedere, non verò à Filio, cùm expreſſa fiat mentio proceſſionis *à Patre*, non item *à Filio*. Reſpondemus verò cum *Dn. Chemnitio*, *Loc. de Spiritu S. f.* 103. A. Qvando Chriſtus dicit, qvòd Spiritus S. à Patre procedat, eô ipſo non negat à *ſe qvoqve* procedere. Sed ſicut de ſeipſo dicit *Joh.* v. 19. Non poſſum à me facere qvidqvam, & *Joh.* VII. 16. Doctrina mea non eſt mea, non ut neget, ſe eſſe ὁμοούσιον Patri, cùm manifeſtè affirmet: Filium honorandum ſicut Patrem, *Joh.* v. 23. Sed ſolet nomen ſuum poſtponere Patris Nomini, & omnia ſua ad Patrem referre; à qvo habet, qvod coæqvalis ſit Patri, uti obſervavit *B. Luther.* ſic etiam h. l. dicit Salvator: *à Patre procedit*, qvia enim Filius à Patre habet, & ut ſit Deus, & ut ab ipſo procedat Spiritus S. facit *Patrem autorem* proceſſionis; ſed tamen mox addit: *Omnia qvæcunqve habet Pater mea ſunt*; ideo de meo etiam accipit, qvando à Patre procedit. Hactenus *Dn. Chemnitii* verba, qvæ ſunt conformia canæ & orthodoxæ antiqvitati: Eamdem qvippe in ſententiam reſpondet ad hanc objectionem Auguſtinus, *lib.* III. *contr. Maximin. c.* XIV. Heic nominari ſolum Patrem, non ad excludendum Filium; ſed qvia Pater eſt principalis *auctor* Spiritus S. Filius enim à Patre habet, ut ſpiret. Similis reſponſio occurrit apud *Auguſtinum*, *tractat.* XCVI. *in Joh.* Si & de Patre & Filio procedit Spiritus S. cur Filius dixit: *de Patre procedit?* Cur putas, niſi qvemadmodùm ad eum ſolet referre, & qvod ipſius eſt, de qvo & ipſe eſt? Unde illud eſt, qvod ait: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qvi miſit me.* Si igitur intelligatur heic ejus doctrina, qvam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; qvantò magis il-
lic

lic intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus S. ubi ſic ait: *de Patre procedit*, ut non diceret: de me non procedit? à qvo autem habet Filius ut ſit Deus, eſt enim *de Deo Deus*, ab *illo habet utiqve ut de illo etiam procedat Spiritus S.* ac per hoc Spiritus S. ut etiàm de Filio procedat à Patre, ab ipſo habet Patre. Aliam adhæc reſponſionem ſuppeditat *Anſhelmus*, *lib.* II. *de proceſſione Spiritus S.* ubi ſic ratiocinatur: Si dictum eſſet, Nemo producit Spiritum S. niſi ſolus Pater; adhuc non excluderetur Filius, ut ex ſimili ſententia perſpicuum eſt: Nam dicitur Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater*, & tamen non excluduntur à cognitione Filii ipſe Filius, & Spiritus S. qvi ſunt ejuſdem naturæ, & pòſt addit Chriſtus, *Neqve Patrem qvis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* nec tamen excluditur Pater & Spiritus S. à cognitione Patris, etiamſi Filius nihil eis revelet. Eodem igitur modô, ſi dictum eſſet: Nemo producit Spiritum S. niſi Pater, non excluderetur Filius ab ea productione: Qvantô igitur minus excluditur per eam ſententiam, *Spiritus S. à Patre procedit?* Heîc enim nulla eſt excluſio, nulla negatio. Hæc mediocriter explicata inpræſentiarùm ſufficiant, & reverenter cogitentur, monente *Dn. Chemnitiô, d. l.*† Non enim poſſunt illa myſteria ſatis à nobis perſpici. Teneamus ergo fundamentum, ne tollatur Conſubſtantialitas Patris & Filii,

† Digna B. Joh. Meiſneri Diſputatio de proceſſione Spiritus ſancti, Witteb. annô M. DC. LIII. habita & edita in 4to, novâ editione & curâ noſtrâ eſt; qvare per occaſionem, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, eam à nobis exſpecta, uti & B. D. Abrah. Calovii elegantem Diſſertationem Panegyricam de Græcorum fide ac religione moderna, Witteb. habitam annô M. DC. LVIII. editam verò CIↃ IↃC LXIII. ibid. in 4to.

Filii, uti vitemus incommodas & periculoſas locutiones, ne dedignemur propter concordiam loqvi cum Eccleſia, præſertim ubi cauſſas eruditas, & graves ſubeſſe cognoſcimus: ſicut in hac controverſa qvæſtione demonſtratum eſt.

Veſtrarum autem partium eſt, Cives Academici, *veritatem cæleſtem divinitus patefactam de Spiritus S. proceſſione gratô pectore agnoſcere, amplecti, & venerari; Myſterium hocce magis adorare humiliter, qvàm ſcrutari ſuperciliosè, vel in dubium vocare; ſimul etiam operam navare, ne in vanum Gratiam Spiritus S. accipiatis, qvi hodiè effuſus eſt viſibili formâ ſuper Apoſtolos: eundem Spiritum Filii ſui promiſit cæleſtis* Pater *mittere in corda filiorum ſuorum clamantem Abba Pater! Fiunt ergo corda noſtra Templa* DEI, *Templa Spiritus S. verum tabernaculum* Teſtimonii; *domus S. Sp.* Et *qvoniam hôc die Spiritus advenit cælitus, & novæ legis nova, & admirabilis latio facta eſt; bonam in Spiritu fiduciam habentes, Spiritualia cum lege comparemus, ut illuſtreris, in qvo tu fidelis à* Judæo *&* Pagano *differas. Nullus enim infidelis hunc theſaurum Sp. S. in ſeipſo poſſidet: nullus* Judæus, Paganus *nullus donum hoc novit, ſentit: percipit: ignorat has divitias, non habet hunc theſaurum Spiritus; Non habet in ſeipſo DEum habitantem, non habet regnum DEI intra ſe: ſi autem qvis Spiritum DEI non habet, hic non eſt Dei. Rom.* VIII. 9. *Qvæ verò* lex, *qvam hodie è cælo datam diſcis?* Spiritus gratia! *Qvæ rationales tuæ* tabulæ, *qvibus lex hæc inſculpitur?* Anima *&* corpus. *Qvæ tua ſpiritualis* circumciſio? *Omnis pravæ concupiſcentiæ* exciſio, *& ab ea* averſio. *Qvod tuum* altare? Mens tua ſpiritualis: *Qvod ſpirituale* ſacrificium? Omne bonum opus. *Qvis altaris tui* ignis? Compunctionis *calor. Qvod* templum *tuo à* DEO *conditum?* Cor mundum; *in qvo Deo*

ha-

habitare volupe. Has te doctrinas hujus diei ſolemnia paucis docent: Hanc tibi legem ſtatuit Feſtum Pentecoſtes; *Hæc te Myſteria docet Spiritus: Cuſtodi, obſcero, hoc bonum depoſitum perpetuâ memoriâ dignum. Cuſtodi obſcero Spiritus S. lampada & facem inexſtingvibilem; cuſtodi theſaurum, qvi in te eſt, abſconditum, ne à prædonibus infernalibus rapiatur. Serva, obſecro, & pretioſam margaritam immaculatam; Retine conceptionem Spiritus, qvam te ſermo docuit illæſam; Serva, obſcero, hunc fructum immarceſſibilem.* Ecce! *manifeſtè didiciſti, qvæ per dona Spiritus es aſſecutus! & qvid prius eras, & qvid nunc factus ſis? nempe amicus Dei, Filius, Unctus, frater, heres, domus, templum, regni cælorum theſaurus! Qvod ut nos omnes conſeqvamur, Gratiâ, & miſericordiâ ſuâ dignetur concedere Dominus noſter J. Chriſtus, cui ſoli gloria, & imperium cum Patre & ſancto vivificantéqve Spiritu, in omnia ſecula ſeculorum,* Amen.

X.

נג״ה :

בית לחם:

S E U

PATRIA MESSIÆ,

DISSERTATIONE HISTORICO-GEOGRAPHICA DESCRIPTA,

Qvam

Sub PRÆSIDIO

ÆGIDII STRAUCHII, S. S.
Theol. Licent. Mathem Infer. Prof.
Publ. nec non Hiſtoriar. Subſtituti,

PLACIDÆ Συμφιλολογούντων COLLATIONI

EXHIBET WITTEB.

JOACHIMUS BUSSE,
Brandenburgicus,

Menſe Decemb. Annô M DC LIX.

Q. D. B. V.

§. I.

SAnctiſſimi partus Mariani locum, ſanctô hôc tempore, Diſſertatione Geographico-Hiſtoricâ, deſcripturi, titulum commentationis fecimus בית לחם Hæc enim illa civitas fuit, qvæ ſola DEO placuit, ut in eadem Verbum Caro fieret; unde PRUDENTIUS:

O ſola

O Sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem ſalutis cælitus
Incorporatum gignere.

Qvamvìs enim Salvator noſter tum paſſim alibi, tum in Crucis inſcriptione, *Nazareni* cognomen acceperit, *Joh.* XIX. 19. & Chriſtianorum cœtum Sectam Nazarenorum vocârint Judæi ἀντίπαλοι *Actor.* XXIV. 5. neqvaqvàm tamen ad Nativitatis, ſed domicilii Paterni locum, eôdem titulô reſpicitur. Habitavit enim Joſephus cum deſponſata Maria ſua, Nazarethæ, non tantùm ante feliciſſimum Jeſuli partum, ſed poſt eumdem qvoqve, & finitum in Ægypto exilium. Erat eqvidem civitas illa Parentibus Chriſti aliena, qvippe qvi è Davide genus trahebant, nihilominus tamen domicilium ibi tunc habebant, qvòd Judææ regio proximis continuis bellis, nunc in hujus, nunc in illius poteſtatem tranſiiſſet, uti NICEPH. CALLISTUS *Hiſtor. Eccl. lib.* I. *c.* X. eam cauſſam annotat. Qvæ verò de domo Nazarethana, qvâ Maria Angelicum de conceptione Meſſiæ acceperit Nuncium, referuntur, ſuo relinqvimus locô. De fide qvidem HIERONYMI, loca Hebraica recenſentis, minus dubitamus; *Eſt Nazareth*, inqvit ille, *ubi Chriſtus egit, viculus in Galilea, juxta montem Thabor, unde & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt, habètqve Eccleſiam in loco, qvô Angelus ad B. Virginem Euangelizaturus intravit: ſed & aliam, ubi Dominus eſt nutritus*; Ea autem, qvæ de Miraculoſa tranſlatione domus Nazarethanæ, Angelorum facta miniſteriô, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam, referuntur, ſubleſtæ fidei eſſe non dubitamus. Scilicet in Agro Loretano templum viſitur, cujus portæ ſeqventia inſcripta eſſe;

eſſe; teſtatur NATHAN CHYTRÆUS in Deliciis Itinerum &c. p. 198.

Hæc eſt ſancta domus, tenuit qvam Virgo Maria
Cum puero Jeſu pauper in orbe manens,
Hæc eſt ſancta domus, luſtrat qvam Virgo Maria,
In cælo reſidens gloria magna DEO.
Felices illi, qveis tantum viſere templum
Contigit, & gratias obtinuêre DEI.
Vos ergo pueri Chriſtum, Vos læta juventus
Ducite, cantantes carmina læta, choros.

ITEM:

Hoc eſt Sacellum, qvod Mariæ, Matris DEI cubiculum fuit, ex Aſia per immenſum mare Angelorum operâ in Europam tralatum: in qvo & nata Maria, & educata, ad annum XII. cæleſte in eo accepit nuntium, atqve ex DEO concepit.

Non tantùm incerta hæc ſunt, † ſed ad ſuperſtitiones fovendas excogitata, qvæ parum aptè confirmantur à BARONIO *ad Annum Chr.* IX. n. I. Angelicô iſtô effatô: *Non eſt impoſſibile apud DEUM omne verbum*, itemqve Gregorii magni, cognomentô Thaumaturgi, ejuſdem generis miraculis. Rectè enim de hujuſmodi argumentandi Jeſuitico artificio, vel veriùs vitio, PETRUS HURTADUS DE MENDOZA, Summ. part. II. Diſp. XII. judicat: *O DEus bone, qvàm multa feciſſes, ſi qvæ potuiſti, feciſſes!*

§. 2. Vindicatô titulô Commentationis noſtræ, & qvomodò eidem Cognomen Chriſti, qvô Nazarenus vocatus eſt non contrarietur, oſtensô, de nomine primùm celeberrimi oppiduli diſpiciendum erit.

† Idolum hoc Lauretanum everſis Baronii, Caniſii, Turriani ac Turſellini fulcimentis eruditè dejecit in Hypobolimæa Divæ Mariæ Deiparæ Camera optimus noſter Matthias Berneggerus, edita Argentor. 1619. in 4to.

erit. Vocatur id בית לחם qvod nomen decies & qvater in Scriptura S. occurrere notat BEN. ARIAS MONTANUS, in ſcripto, cui titulum fecit *Chaleb*, exſtante Tomô VIII. Bibl. Regiorum, plura verò loca ſuppeditant Concordantiæ. Derivari item nomen illud à בית & לחם ut indicetur DOMUS PANIS, palam eſt; Ita Bethaven, Beth Aaſtaroth, Beth Baal &c in ſimili vocum combinatione dixerunt Hebræi. Cùm itaqve regio Bethlehemitica fertiliſſima fuerit, à loci fertilitate civitas ipſa nomen accepit. Patres verò ſimplici vocis Etymologiâ non contenti, myſterium in eadem qværunt, qvod omnes eôdem modô non explicant. Communis eorundem annotatio eſt, Bethlehem dici, qvòd *vivus panis*, qvi de cælo deſcendit Joh. VI. 51. in hac civitate naſci debuerit. Alii myſticam participationem de corpore Chriſti, qvæ fit mediante panis Symbolô, huc referunt, uti CAROLUS IV. Imp. in Comment. de Vita ſua, qvem Ipſe conſcripſit & SECUNDIS SUIS, id eſt, WENCESLAO & SIGISMUNDO dicavit, animadvertit: *Confirmavit*, inqvit, *nobis ipſe CHRISTUS novum & æternum Teſtamentum, per illum*, (uſum panis benedicti Sacramentalem,) *de qva confirmatione David canit in Pſalmo* CIV. 15. Et panis cor hominis confirmat. *David autem non immeritò figurativè de eodem pane loqvitur, Nam domus ejus Bethlehem vocatur, qvod interpretatur domus panis. De hac domo voluit DEus Chriſtum ſuum naſci, qvi eſt verus panis &c.*

§. 3. Hebræum vocabulum, qvoad id fieri potuit, Græcis literis expreſſerunt LXX & N. T. Scriptores, qvando Βηθλεέμ dixerunt. Latinis dicendum eſt Bethlehem, inſertô H. erudita enim B. SCHMIDII Noſtri obſervatio eſt, *ad Matth.* II. I. τὸ ה *in* לחם non planè abolendum eſſe, ſed per Se-

mi-vocalem πνευματώδη H, utcúnqve repræſentandum: id qvod Græcæ Scripturæ ratio in medio dictionis vulgò non admittit. Eâdem ratione, etſi Græci Ιωάννης ſcribunt, Latinus tamen *Johannes* ſcribere debet, non *Joannes*, ut τὸ ח in יוחנן repræſentet, qvod Græcus ex more ſuo negligit: præſertim qvum Joannes ſine ח origine Hebraicâ longè aliud, ab ejus lingvæ Doctoribus tradatur ſignificare, qvàm Joannes cum ח. Sic ex Græco Αβραάμ Latinus faciet *Abraham*, inſertô H, qvia in Hebræo eſt אברהם, non *Abraam*, præſertim cùm ipſe DEUS eum non *Abram* ſine aſpiratione, ſed *Abraham* voluerit appellari *Gen.* XVII. 5. Sic ex Ναάσσων, *Nahaſſon*, qvia eſt נחשון Num. I. 7.

§. 4. Præter hoc nomen alia qvoqve tum in Scriptura, tum in Patrum codicibus inveniuntur, qvibus Patria Salvatoris noſtri inſignitur: *Luc.* II. 4. vocatur πόλις Δαβὶδ Civitas David, ideò, qvòd in ea urbe David cum Anteceſſoribus ſuis natus & educatus ſit, unde civitas ipſa totius regiæ & Davidicæ ſtirpis ſeminarium & communis Patria, à DAN. ADRICHOMIO dicitur. Patres utplurimùm ad Etymologiam vocis Hebrææ reſpicientes, vocant οἶκον τῆς ἄρτου, qvô nomine ab ATHANASIO, Tom. II. Qvæſt. ad Antioch. citatur; Latini *Panis domum* appellare conſveverunt.

§. 5. Nec abs re forſitan erit, ſi inter reliqva Bethlehemiticæ regionis nomina, vox RACHEL qvoqve referatur. Ita enim *Jerem.* XXXI. 15. legimus: רחל מבכה על־בניה מאנה להנחם על־בניה כי איננו: TREMELLIUS vertit: *Rachel deflet filios ſuos: renuit conſolationem admittere de filiis ſuis, qvia nullus ſupereſt.* Qvæ verba Judæi qvidem de abductione duarum tribuum Judæ & Benjamin in captivitatem, interpretantur, ut per Rachel intelligantur omnes mulieres duarum tribuum; Apud Chriſtia-

ſtianos verò minùs controverſum eſſe debet, vaticinium hoc ad Novi Teſtam. tempora referendum eſſe, cùm præſto ſit Interpres, omni exceptione major *Matth.* II. 18. Qvamvìs autem qvampluri-mi Commentatores, & forſitan maxima eorum pars, per Proſopopœiam qvamdam, Racheli mortuæ deplorationem filiorum ſuorum, ab Herode occiſorum, eo in loco tribui autument, & alii addant inſuper, ob id Rachelem introduci, qvod ſingulari liberorum deſiderio flagrârit qvondam *Gen.* XXXI. I. unde qvàm maximè eam liberos adamâſſe appareat, qvemadmodùm CORNEL. à LAPIDE *ad Jerem.* XXXI. GOMARUS *ad Matth.* II. *Oper. Tom.* I. FRIDER. SPANHEMIUS, *Dub. Euang. part.* II. *Dub.* LXXXII. & alii annotant; æqvè tamen commoda, ſi non convenientior adhuc, eorum explicatio eſt, qvi Bethlehem & ejus agrum, Rachelis nomine olim veniſſe, obſervant, cujus tituli ea eſt ratio, qvoniam in via, ducente in oppidum Bethlehem, Rachel Jacobi conjux, mortua, ſepultáqve fuit, uti legimus *Gen.* XXXV. 19 *c.* XLVIII. 7. I. Sam. X. 2. Si enim mater filiorum occiſorum per proſopopœiam introducenda fuiſſet, non RACHEL, ſed LEA dixiſſet Propheta eò, qvòd ex hac tribus Judæ, qvam infortunium illud imprimis concernebat, oriunda fuerit, *Gen.* XXIX. 35. Conf. Celeb. DN. D. DORSCHEI *Pentadec. Diſp.* III. §. 22. PETRI RAVANELLI *Biblioth Sacr.* HEIDMANNI *Palæſtinam, p.* 55. BUNTINGI *Itinerar.* &c.

§. 6. Oportet autem nos cautè diſtingvere inter duas ejuſdem nominis civitates; Neqve enim Patria Meſſiæ tantùm, ſed & aliud oppidum, ab illa multum diſtans, Bethlehem vocatur. Ad evitandam confuſionem, in Scriptura, civitas, de qva in præſenti agimus, *Bethlehem Judæ*, item בית לחם

 אפרתה

אפרתה geminatâ ſignificatione fertilitatis agri Bethlehemitici vocatur: EPHRATA *enim*, inqvit HIERONYMUS ad Mich. V. 2. *in lingva noſtra ſonat* καρποφόρον; *uberem atqve frugiferam terram, & id ipſum oſtendit in myſterio, qvod & domus panis.* Reſpexit dubio procul Hebraicè doctiſſimus Patrum ad Radicem פרה, qvæ fructum ferre ſignificat, & in benedictione Creatoris, פרו ורבו ingeminantis, ſæpius uſurpatur. Ita enim nonnunqvàm ſolent Hebræi per additionem א voces à radicibus ſuis deducere, uti id qvàm plurima probant exempla. Non eqvidem nos fugit, interpretes qvoſdam planè perſvaſos eſſe, regionem Bethlehem vocari Ephrata ab uxore *Caleb* altera, qvam poſt mortem *Aſubæ* duxit, uti legimus 1. *Par.* 11. 19. Sed antiqvior nobis, cum B. GLASSIO, *Philol. Sacr. lib.* IV. *p.* 812. videtur illa denominatio, qvàm qvæ à Caleb deduci qveat, ſi conſulamus *Gen.* XXXV 19. *c.* XLVIII. 7.

§. 7. Altera ejuſdem nominis civitas ſita fuit in ſorte tribus Sebulon, non procul à Bethulia & mari Galilææ, cujus mentio fit *Joſ.* XIX. 15. atqve ex eadem civitate oriundum fuiſſe *Ibhtſan* Judicem Iſraëlitarum, numeroſâ prole celeberrimum cum MALDONATO *in Matth.* 11. 1. putant nonnulli; Qvamvis alii, cum ADRICHOMIO, Patriam ejuſdem Bethlehem Judæ fuiſſe, perſvaſi ſint. Utra ſententia vera ſit, parum intereſt nôſſe. In Scriptura certè indefinitè dicitur אבצן מבית לחם *Jud.* XII. 8. unde pro neutra opinione indubitatò decidi poteſt; niſi qvis Bethlehem Galilææ inferioris intelligi, ex eo conjectare vellet, qvòd Succeſſor Ibhtſan, nempe Elon, Sebulonita fuerit, & probabiliter Ibhtſan tribulis. Judæorum verò traditio, qvâ Ibhtſan fuiſſe Boos, maritum Ruth, abavum Regis David, commentantur, minus probabilis

bilis eſt, qvamvìs enim eoſdem ferè coætaneos fuiſſe, uſqve adeò impugnare non velim, reliqvæ tamen circumſtantiæ id neqvaqvàm admittere videntur. Confer DRUSIUM *ad Jud.* XII.

§. 8. Explicatis iis, qvæ Nomen Patriæ Salvatoris noſtri concernunt, videamus porrò ejuſdem ſitum, de qvo conſtat, qvòd in Judæa fuerit, & meditullio qvaſi totius Palæſtinæ. Qvòd ſi Hieroſolyma in medio totius univerſi ſita eſt, uti opinantur qvidam, & in Itinerario Illuſtrium BARONUM JOHAN. WERLI à ZIMBER & HEINR. à STOEFFEL refertur, (oſtendi nempe in templo montis Golgatha foramen rotundum, qvod Chriſtus digitô Indice monſtrârit diſcipulis ſuis & medium totius mundi deſignârit,) ſeqvitur exinde, Bethlehemiticam qvoqve regionem in meditullio totius orbìs ſitam eſſe, diſtat enim eadem ab Hieroſolymis non niſi unô milliari Germanicô, vel ad maximum ſeſqvimilliari, uti uno ore referunt, qvi haſce regiones viderunt ipſi. At mittamus fabulam de centro mundi in Palæſtina conſpicuo; Abſurdè enim centrum corporis rotundi in ſuperficie convexa ejuſdem corporis qværitur, abſurdè item & contra Mathematicas rationes fingitur, ibi locorum diebus æqvinoctialibus umbram meridianam corporis opaci, perpendiculariter erecti, nullam eſſe, qvam rationem, probationis locò, allegat Autor Itinerarii citati. Fiunt enim Aſcii in meridie dierum æqvinoctialium non niſi earum regionum incolæ, qvæ directè Æqvatori ſubjacent, ſeu latitudine omninò carent, idémqve contingit in tractu 6400. milliarium Germanicorum. E qvibus omnibus apparet, qvæſtionem, de medio terræ puncto, ridiculè ab antiqvis motam, veſanè autem, pro tractu Hieroſolymitano, ex umbræ habitudine, à qvibuſdam Autoribus deciſam eſſe.

§. 9. In latitudine urbis Bethlehem, cùm eadem à terminis certis, & qvos omnes Geographi eoſdem faciunt, dependeat, conſentiunt ferè harum rerum ſcrutatores numerantes, 31. in minutis ſaltem differentia qvædam eſt, qvorum HEIDMANNUS 30. circiter numerat, BUNTINGUS & DN. BERNHARDUS VARENIUS 50. alii pauciores. Nos BUNTINGI & Clariſſ. DN. VARENII numeris potiſſimùm fidimus, imprimis ob id, qvòd hâc ratione diſtantia Bethlehemi ab Hieroſolymis, qvam tot Scriptores αὐτόπται comprobârunt, ſibi conſtet. Vix enim eſt, qvi diſtantiam majorem faciat ſeſqvimilliaris, ſeu ſex milliarium Italicorum (qvot in Itinerario Illuſtriſſimi Principis ALEXANDRI COMITIS PALATINI RHENANI &c. ponuntur.) Qvòd ſi itaqve Hieroſolymorum latitudo aſſumatur 31 54. vel 55. qvanta eadem in gradibus BUNTINGO & VARENIO non tantùm, ſed aliis qvoqve Scriptoribus æſtimatur, erit differentia latitudinis, qvâ potiſſimùm Bethlehem à Metropoli diſſidet, 4. vel 5. qvæ unius milliaris cum $\frac{1}{4}$ ſ. 5. Milliarium Italicorum differentiam producunt, qvot milliaria ponit qvoqve BERNH. à BREIDENDACH Autor Itinerarii & ſocius Itineris Illuſtriſſimi Comitis JOHANN. à SOLMS. At ſecundum HEIDMANNI Tabulas excedit differentia tria milliaria Germanica, errore certè, niſi inſigniter fallor, ſatis notabili.

§. 10. E cognita urbis Bethlehem latitudine, colligimus porrò, mediocre ibidem eſſe diei maximi incrementum & minimi decrementum: ille enim non multum excedit 14. Horas, hic non multum deficit à 10. Horis. Unde patet, ſitam eſſe civitatem hanc in qvinto Climate, ſeu inter Octavum & Nonum Parallelum, Octavus enim pa-

parallelus habet diem maximum Horarum 14. latitudinem 30. 26. & tranſit ferè per Alexandriam, per Ægyptum, per Africana litora. Nonus autem habet diem maximum Horarum 14. 15. Latitudinem ultra 33. & tranſit per Damaſcum, per Cretam, per Lopaduſam &c. uti hanc doctrinam è PTOLEMÆO proponunt FRANC. MAUROLYCUS & Geographi reliqvi. Vices qvoqve tempeſtatum amœniſſimas Stellarum poſitus agro Bethlehemitico promittit, nil æſtate ibidem torret, nec hyeme horret qvidqvam. Stellarum fixarum numerus, ipſis nunqvàm apparentium, non uſqve adeò magnus eſt. Navem totam ferè vident, qvæ nos latet, Semiviri qvoqve monſtrum parum abeſt, qvin integrum conſpiciant, nec non Thuribulum, Coronam Auſtralem, Gruem, Phœnicem &c. nobis ignota ſidera. Ex adverſo Junonis vota ibi irrita fiunt, cùm de plauſtro Stellæ qværdam ipſis occidant, ut fruſtra petiêrit Dea:

Gurgite cæruleô ſeptem prohibete triones,
Sideráqve in cælum ſtupri mercede recepta
Pellite, ne puro tingatur in æqvore pellex.

§. 11. De longitudine celeberrimi oppidi determinare qvidqvam multô difficilius videtur. Ubi enim latitudo certos habet in cælo terminos, hic loci verticem, illic Æqvatorem, ita è contrario, naturâ ipſâ longitudinis terminos non monſtrante, infinitæ ferè inter Geographos hæreſes obortæ ſunt, de termino à qvo longitudinis loci cujuſvis, qvem Primum Meridianum vulgò vocant. Qvamvis enim in Occidente eum omnes qværant, detectis tamen ſubinde novis terræ partibus, qvæ priùs inhabitabiles credebantur, mutatæ ſunt Longitudinis Geographicæ hypotheſes, qvarum potiſſimas, in gratiam eorum, qvi unô intuitu multarum nôſſe ſententias cupiunt, annotare placet.

Primus Meridianus tranſit ex mente.

ERATHOSTEN. apud Strab.	per Fretum Herculeum.
PTOLEM. TYRII & antiqvor.	per Inſulas Fortunatas indeterm.
GERH. MERCAT. RICCIOLI, &c	per Inſul. Palmam Fortunatar. Occidentaliſſimá.
GVIL. JANSONII BLAEU &c.	per Inſ. Teneriffam Fort mediam.
Ejuſdem JANS. ORTEL. MAGINI, BERTII, &c.	per Inſul. Ignis & Thule.
WENDELINI in Tab. Atl.	per Hola & Schaltola oppida Iſland.
JOD. HONDII.	per Inſul. S. Vinc. vel Jac.
GALLORUM ob edict. Lud. XIII. R. ab anno 1634.	per Inſul. Ferri
JANSON. MERCAT.	per Inſul. Corvi.
BELGARUM multorum.	per littus Braſiliæ &c.

§. 12. Ex his & aliis varietatibus, in primo Meridiano, tanqvàm termino à qvò longitudinis loci cujuſvis, conſtituendo, non poteſt non varietas qvædam in Numeris ipſis, ſeu Tabulis Longitudinis locorum, à diverſis Autoribus editis, oboriri; qvi diſſenſus cùm multis confuſionibus & difficultatibus Geographicorum Scriptorum lectionem gravet, rectiſſimè cenſet VARENIUS, eos, qvi primi Ptolemaicum initium locô moverunt, culpandos eſſe, Perinde enim eſt, qvodcunqve hujus numerationis initium aſſumatur in tellure, ſive locus ſit inſignis, ſive ultimus ad Occidentem, ſive ad Orientem, modo reliqvorum locorum ſitus & diſtan-

ſtantia ad eum accuratè cgonoſcatur.

§. 13. Atqve ex hoc ipſo diſcurſu liqvet, unde varietas illa ſit, qvæ in Longitudine urbis Bethlehem determinanda apud Geographos occurrit, qvam difficultatem ut ſublevemus, noſtra qvidem hæc eſt ſententia, diſtantiam Meridiani Hieroſolymitani & Bethlehemitici eſſe exiguam, tum qvòd omnes teſtentur, Bethlehem verſus meridiem potiſſimum ab Hieroſolymis diſtare, non multum verſus occaſum, tum qvòd diſtantiam milliaris Germanici vel ſola latitudinis differentia exhibeat. Aſſumemus itaqve eamdem tantiſper 66. graduum circiter, ſeu 65. 55. qvanta æſtimatur ferè à BUNTINGO, HEIDMANNO & ipſo DN. VARENIO, in cujus Tabulis tamen manifeſtus error eſt, Hieroſolymis enim Longitudo aſſignatur 70. 30. Bethlehem autem 65. 45. qvâ ratione, ſi ſolâ longitudine differrent hæc duo loca, qvàm plurima milliaria diſtare deberent. Enimverò confitetur ipſemet Clariſſimus Autor, tabulam, qvam exhibet, è variis Autoribus collectam & pleróſqve ejuſdem numeros incertos eſſe.

§. 14. Qvòd ſi itáqve Longitudo urbis Bethlehem eſt; 65. 55. ferè, Latitudo 30. 52. vel 51. Wittebergæ autem longitudo 36. 15. & latitudo 51. 52. colligitur exinde diſtantiam breviſſimam horum locorum eſſe circiter 450. milliarium Germanicorum, non habitâ montium & vallium ratione, Differentia verò Meridianorum, ſi in tempus reſolvatur, importat, 1. Hor. 55. qvô temporis intervallô Stellæ citiùs per meridianum Bethlehemiticum, qvàm Wittebergenſem tranſeunt. Erit itáqve Bethlehemitarum XII. Hora, noſtra decima, & noſtra XII. Bethlehemitarum ſecunda pomeridiana.

§. 15. Explicatis iis, qvæ ad longitudinem & latitudinem Patriæ Salvatoris noſtri ſpectant, pertexamus reliqva, qvæ urbis originem, agri circumjacentis qvalitatem & amplitudinem civitatis cum dignitate ejuſdem, concernunt. Qvomodò eqvidem ædificata ſit civitas, & à qvibus, indubitatò non liqvet. Sunt, qvi Caleb & poſteros ejuſdem urbem ædificâſſe autumant, perſvaſi Bethlehem & Ephrata nominibus, qvorum in Hiſtoria Caleb qvoqve fit mentio 1. *Par.* 11. 19. horum autem ſententiam minùs probabilem eſſe, anteà, §. 6. monuimus. Magìs veriſimilia ſunt, qvæ ISIDORUS Hiſpalenſis qvondam Epiſcopus annotat: *Bethlehem Juda*, inqvit, lib. XV. c. 1. *civitas David, qvæ mundi genuit Salvatorem, à Jebuſæis condita fertur & vocata primùm Ephrata, qvando autem ibi Jacob pecora ſua pavit, eidem loco Bethleem nomen, qvôdam vaticiniô futuri, impoſuit, qvod domus panis interpretatur, propter eum panem, qvi ibi de cælo deſcendit.*

§ 16. Occaſionem ibi locorum urbem ædificandi dubio procul loci ſuppeditavit commoditas, fertilitas & amœnitas. Scilicet veteres imprimis delectabantur excelſis locis, eadémqve ad tentoria ſua figenda eligebant, tum qvòd aër illic eſſet ſalubrior, cùm qvòd loca multùm diſſita inde videri qveant, tum deniqve qvòd naturæ beneficiô hujuſmodi civitas adverſus hoſtium injurias munita videatur. Qvare in excelſis hanc ipſam qvoqve civitatem ædificârunt accolæ, & in monte qvidem petroſo, qvalis erat regio Hieroſolymitana, de qva STRABO, lib XVI. *Geograph.* Ἐςὶ γὰρ πετρῶδες, αὐτὸ μὲν ἔνυδρον, τὴν δὲ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δ' ἐντὸς ἑξήκοντα ςαδίων καὶ ὑπόπετρον. *Eſt enim* (ubi condita ſunt Hieroſolyma) *locus ſaxoſus, aqvis ipſe qvidem abundans, cùm regio circum ſterilis ac ſicca ſit, & intra ſexaginta Stadia etiam ſolum habeat la-*

lapidoſum infernè. Accedebat ad eminentiam loci annonæ copia; in qva veræ divitiæ cujuſvis urbis potiſſimùm conſiſtunt. Teſtantur de fertilitate & amœnitate agri Bethlemitici Viatores omnes & Geographi Palæſtinæ, imprimis ADRICHOMIUS in Theatro Terræ S. p. 41. *Terra ſubjecta*, inqvit, *rerum omnium copiâ multum pæſtat, vini potiſſimum, ut comparandum non ſit, qvod ex aliis Palæſtinæ locis affertur. Iter verò, qvod Jeroſolyma euntibus Bethlehem eſt, uſqve adeò ſui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis, tranſeuntes delectat, ut ſi ad tam præclaram naturæ faciem cæleſtis aliqva & digna Chriſtianô meditatio accedat, non jam in terris eſſe ſibi videantur, ſed in Paradyſo Chriſti nativitatem & incunabula præſentibus oculis contueri. Neqve verò Auctor humanæ ſalutis ullis hujus mundi delitiis opus habebat, ut qvi cum carne noſtra etiam miſerias humanæ vitæ ipſo Ætatis primordiô pauper & inops ſuſcepiſſet, ſed profectò non poterat non venerari creatorem ſuum creatura, ut qvem bos & bruta animantia cognoviſſent, læta etiam ridens & geſtiens terra, qvôqvo modò veneraretur.*

§. 17. Qvamvìs autem commodiſſimo in loco ædificata fuerit civitas, ſplendorem tamen Metropolis aſſeqvi non potuit, qvin potiùs, cum aliis Palæſtinæ civitatibus collata, parva & exigua perpetuò viſa eſt. Indicat exilitatem hanc Propheta, qvando civitatem ita alloqvitur *Mich.* v. 2. ואתה בית־לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה: qvæ verba Vulgatus reddidit: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Judæ.* In codicibus LXX. Interpretum verſionis hodiè legitur: Καὶ σὺ Βηθλεέμ οἶκος Ἐφραθὰ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα &c. At *Matth.* II. 6. verba Prophetæ hôc modô allegata legimus: Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλα-

χίστη

χίςη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰέδα, Unde Interpretes ſoliciti ſunt, qvâ ratione Micheæ verba rectè explicent & cum iiſdem Matthæi allegationem concilient. Ut perfidos Judæos, contradictionem Sancto Euangeliſtæ objicientes, taceam, fuerunt tempore Hieronymi, qvi errorem ſive à Judæis Paraphraſtis, ſive ab ipſo Euangeliſta commiſſum eſſe putârunt. Audiamus ipſum HIERONYMUM, in Michæ v. ſeqventia commentantem, *Arbitror Matthæum*, ſcribit, (*volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga divinam Scripturam negligentiam*) *ſic etiam poſuiſſe, ut ab iis dictum eſt. Sunt autem, qvi aſſerunt in omnibus penè teſtimoniis, qvæ de Vet. Teſtam. ſumuntur, iſtiuſmodi eſſe errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum qvóqve ſenſus ipſe diverſus ſit: vel Apoſtolis, vel Euangeliſtis, non ex libro carpentibus teſtimonia; ſed memoriæ credentibus, qvæ nonnunqvàm fallitur.* Enimverò violenta hæc explicatio eſt, qvà nodus non ſolvitur, ſed ſecatur peſſimô conatu, qvod poſteriora attinet verba, cùm iiſdem infallibitas Scriptoribus Sacris, ex immediata θεοπνευςία promanans, denegetur.

§ 18. Miſſâ ergô hâc verborum Micheæ & Matthæi conciliatione, videamus alias. ERASMUS *in Annot.* hyperbolicè verba Matthæi explicanda & ita cum verbis Matthæi concilianda eſſe vult, hôc ſenſu: *adeò qvidem exigua es & parva civitas, ut ne minima qvidem vocari propemodum poſſis inter principes Judæ*, perinde ac ſi extremæ notæ hominem negemus eſſe in hominum numero, & qvemadmodum Paulus ſupra modum contempta vocat ea, qvæ non ſunt. Conjecturam Eraſmi putat FRANC. GOMARUS juvari ac corrigi nonnihil poſſe, ut expreſſior ſit convenientia, ſi etiam ſine hyperbole exponatur. *Non minima es*, id eſt, *nulla reverâ*, ut Michas ita exponatur, *parva es*, *ſeu minor*

ner es, qvùm ut ſis inter Duces Judæ. Præterqvàm verò qvòd facilè qvivis animadvertat, ingenioſè contortam eſſe explicationem hanc, obſtant adhuc verba Prophetæ affirmantis: MINIMA ES. Obſtat Scopus Euangeliſtæ, qvi non contemnere, ſed commendare voluit civitatem. Obſtat particula αἰτιολογικὴ γάρ, qvæ uti explicari qveat, hôc ſenſu obtinente, qvem adduximus, certè non video.

§. 19: Alii itáqve putant Matthæum ſecutum eſſe LXX. Interpretum verſionem, prout eadem ſuô exſtabat tempore, olim enim eamdem negativè habuiſſe οὐκ ὀλιγοστὸς εἶ, cujuſmodi codices adhuc tempore Hieronymi exſtiterint. At ne ſic qvidem dubium ſolvitur, manet enim qvæſtio, qvare Matthæus non textum Ebræum originalem potiùs, qvàm verſionem, à fontibus diſcrepantem, ſecutus ſit? ut taceam codices, in qvibus negativa inveniri dicitur, νοθεύσεως ſuſpectos eſſe.

§. 20. Qvare ut ſciamus tandem, qvô ſenſu Civitas Bethlehem צָעִיר à Michea, ab Euangeliſta Matthæo autem οὐδαμῶς ἐλαχίστη vocari videatur, adducenda nobis eſt ingenioſa perqvàm eorum explicatio, qvi τὸ צָעִיר non cum Vulgato nominaliter, ſed adverbialiter explicant: ita ANDREAS OSIANDER vertit: *parum eſt, ut ſis in millibus Juda.* In Bibliis verò Majoribus LUCAS OSIANDER dictum Prophetæ παραφράζει hôc modô: *Ego Te longè celebriorem faciam, (inqvit Dominus) qvàm ut inter alia oppida tribus Juda (qvæ ſanè admodùm ſunt populoſa) qvaſi deliteſcas. Nobilitabo Te Nativitate filii mei unigeniti.* Es were zu gering, daſſ du ſolteſt unter den Städten in Juda, als eine gemeine geringe ſchlechte Stadt gezehlet werden: *Te enim nominis celebritate magnum & illuſtrem admodùm efficiam. Si enim magnorum virorum Nativitas patriæ ipſorum ſplendorem conciliat: qvantò*

tò ſplendidior & celebrior fiet Bethlehem: qvæ Nativitate Filii DEI fiet illuſtris? In eamdem ſententiam B. SCHMIDIUS noſter inclinat qvoqve; *Licèt D. Hieronymus*, inqvit ad Matth. II. 6. *Ebræam vocem* צעיר *reddidit*, parvulus es: *verba tamen Prophetæ*, צעיר להיות *commodè reddi poſſunt*, parum eſt, qvòd ſis, vel numerus inter mille, vel principes Juda; *qvaſi dicat*, minus eſt, qvàm ut axiomati tuo reſpondeat, qvòd in millibus Juda computeris. Longè majus eſt tuum axioma, propter prodirurum ex te Meſſiam &c. Similem verborum Prophetæ paraphraſin videre eſt penes B. FORSTERUM, itemqve SIMONEM EPISCOPIUM, *Inſtit. Theol. lib.* III. *Sect.* IV. *c.* XII. alióſqve & qvamvìs explicationem hanc improbent è Pontificiis CORNELIUS à LAPIDE, RIBERA & alii, è Calvinianis FREDER. SPANHEMIUS, *Dub. Euang. part.* II. *Dub.* XLV. nos tamen eamdem ſuô locô relinqvere malumus, qvam temerè qvidqvam contra eam definire,

§. 21. Ut finiamus deniqve de בית־לחם צעיר ſed οὐδαμῶς ἐλαχίστη diſcurſum noſtrum, noſtra qvidem hæc eſt ſententia, vel verba Hebræa interrogativè accipienda eſſe; *Adeóne igitur parva es, ut non poſſit ex Te, ô Bethlehem, prodire Meſſias? &c.* ut ה Interrogativum deſit hôc locô, qvod ſæpius deſiderari DRUSIUS *in Libello de Litteris Moſche Ve Caleb*, annotat, vel in textu Euangeliſtæ exprimi ſenſum verborum Propheticorum, non verba ſingula. *Exigua qvidem civitas es, Bethlehem, ſi ædificiorum ſpectemus molem, invalidus cenſetur* Χιλιαρχῶν *tuus, ſeu* ἡγεμὼν, *qvales Hebræi* אלפים *vocant.* (Ita enim ſæpius princeps intelligitur, nominatâ regiâ ſeu ſede, & idem hôc locô fieri maſculinum צעיר inferre videtur.) *Magna tamen civitas es, imò maxima, cùm è te egredi debeat Rex Regum, Dominus*

minus Dominantium. Video eumdem ſenſum ferè expreſſiſſe TREMELLIUM: *At tu Bethlehem Ephrata*, vertit ille, *minima ut ſis in Ducibus Jehudæ, ex te mihi prodibit futurus Dominator in Iſraële.* Addit in margine: *Occupatio, qvâ oſtendit Propheta, non deterreri Eccleſiam tenuitate loci, ubi Chriſtus erat naſciturus, qvin certâ fide amplectatur promiſſiones DEI: qvam occupationem Phariſæi; Herodem compellantes, ex veritate & pro temporum ratione non imprudenter commutârunt Matth.* II. 6. Confer DN. D. TARNOVIUM, in Mich. c. II. GOMARUM, Oper. T. I. LUDOV. VIVEM ad Aug. lib. XVIII. de Civitat. D. c. XXXIII.

§. 22. Ceterùm qvamvìs ratione ſplendoris cum aliis Palæſtinæ locis vix comparari potuerit Bethlehem, veri nominis tamen civitas & urbs nihilominus fuit. Civitas qvidem, nam eadem definitur vulgò à Politicis, qvòd ſit civium, vitæ generibus ac muneribus diſtinctorum, ad unam Reipublicæ ſocietatem conjunctio, qvalis certè in loco, qvô natus eſt Chriſtus, obtinuit. Urbs qvoqve rectè vocatur Bethlehem; qvòd ædes civium communibus munimentis publicis exornatæ fuerint, qvæ reqviſita ſunt civitatis urbicæ, civitati paganæ contradiſtinctæ, atqve ad civitatem Bethlehem omnia qvadrant; eamdem enim mœnia cum propugnaculis & munimentis portarum habuiſſe, tum ex eo apparet, qvòd inter עָרֵי מְצֻרוֹת civitates munitas Juda & Benjamin Bethlehem referatur 2. *Par.* II. 6. tum ex eo, qvòd in Portam Bethlehemiticam irrumpere pro heroico facto habeatur 2. Par. XXIII. 16. tum deniqve, qvòd adhuc hodie murorum, pro ſeculi antiqvi indole exſtructorum reliqviæ viſendæ proſtent. Tandem & alia ædificia publica, qvæ ad publicum & communem uſum civium in civitatibus ædificari ſolent,

in

in Bethlehem præſto fuiſſe, minùs dubium eſt, ut enim templi & curiæ taceam; qvibus caruiſſe civitatem qvis crederet? Diverſorii certè diſerta mentio fit *Luc.* II. 7. ut adeò omni jure Bethlehem πόλις, idem πόλις τοῦ Δαβὶδ paſſim vocetur.

§ 23. Nec obſtant, qvô minùs Bethlehem pro civitate urbica haberi qveat, illa Johannis Euangel. verba c. VII, 42. *Nonne Scriptura dicit, qvia ex ſemine David* καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς κώμης, ὅπου ἦν Δαβὶδ *& de vicu Bethlehem, in qvo erat David, venit Chriſtus.* Κώμη eqvidem vicum ruſticum ſignificare qvandoqve, non imus inficias, præter hanc ſpecialem verò, etiam aliam generalem ſignificationem præſto eſſe, omninò certum putamus. Ita HESYCHIUS *in Lexic.* Κώμην ἄμφοδον χωρίον dicit, qvod STEPHANUS de Urbibus ita explicat, Κώμη, ἐν ταῖς μακραῖς ὁδοῖς μέσα χωρία ἔκτισαν, πρὸς τὸ κοιμᾶσθαι νυκτὸς ἐπιγιγνομένης. Clariùs adhuc SUIDAS: Κωμηδὸν, πᾶσα πόλις. Unde nec Vulgatus κώμην ſemper per vicum reddidit, ſed nonnunqvàm per caſtellum, uti etiam h. l. & Matth. XXI. 2. Marc. VIII. 27. & alibi. Nolumus verò noſtra facere, qvæ de uſu vocis Κώμης DANIEL HEINSIUS *in Ariſtarcho, p.* 435. adnotat. Qvando Helleſtinarum lingvâ maximas urbes dictas fuiſſe κώμας, probare contendit exemplô Damaſci, de qva *Jerem.* XLIX. 24. 25. Ἐξελύθη Δαμασκὸς, ἀπεστράφη. πῶς οὐχὶ ἐγκατέλιπε πόλιν αὐτὴν, κώμην ἠγάπη μένειν, & hujus ipſius urbis Bethlehem, qvæ qvanqvàm parva, tamen omnium, qvas Sol vidit, tum Davidis cauſâ, tum illius, qvi Davide major erat, illuſtriſſima, κώμη ab Euangeliſta dicatur. Cauſſam hujus rei confert in uſum lingvæ Helleniſticæ, (uti jam dictum) qvæ voce κώμης Hebræorum nomen קִרְיָה & Syriacum קריתא, qvò ipſi propriè & uſitatè urbem denotant, exprimat. Enimverò nulla nos cogit neceſſitas, ut Helleni-

ſtas, (ſive hiſtoria ſive fabula ſit, qvæ de illis circumfertur) hîc optemus Interpretes, qvando & alios Scriptores, qvibus nihil cum Judæis fuit commercii, urbem dixiſſe κώμην conſtat. Sed nolumus in re clara prolixiores eſſe. Reſtaret nunc ut de rebus in Bethlehem geſtis ageremus; At cùm pagellæ hæ jam anteà ad juſtum numerum excreverint, Annales Bethlehemiticos in alia qvadam Diſſertatione אי״ה exhibebimus.

COROLLARIA à Reſpondente addita.

I. CHRISTUS intra urbem Bethlehemiticam non extra eam natus eſt. Contra *Baron.* annal. T. I. *Scultet.* in delic. Euangelicis. *Cornel. à Lapide in Mich.* v. 2.

II. Plus terræ, qvàm aqvæ eſt in globo terreno. Contra *Peripateticos* nonnullos, qvi univerſam aqvam decies totâ terrâ majorem eſſe aſſeverârunt.

III. An Terra ſit mari depreſſior? abſurdè & incongruè qvæſtio à nonnullis Scholaſticis eſt mota. Vide *Catharin.* ad *Gen.* 1. & *Thomam. Aqvin.* part. 1. q. 69. art. 1. †

IV. Inſulæ etiam ante diluvium exſtitêre.

V. Qvod qvidam autores referunt de lacu Scotiæ *Loumond*, 24. milliaribus in longitudinem, in latitudinem 8. extenſo, eum nimirum xxx. Inſulas comprehendere, & has inter, qvamdam gregibus, armentíſqve paſcendis uberem, qvò venti impellunt, hûc illuc ferri, uſqve adeò abſurdum non eſt, cùm nihil vetet, corpus levius & pumi-

Dd co-

† Lege omnino Barthol. Keckermann. in Problemat. Nauticis, part. II. Q. 1. Tom. 1. Oper. col. m. 1996. edit. Genev. M. DC. XIV. in fol.

coſum aqvæ innatare. Confer *Camden.* in deſcript. *Scotiæ*, p. 383.

VI: Montes etiam ante diluvium exſtitêre: Confer *Keckerm.* lib. 1. *Syſtem. Geogr.* c. III. p. 428..

VII. Magnitudo globi terreni homini eſt menſurabilis.

VIII. Certus & adæqvatus meridianorum numerus tradi non poteſt.

IX. Omnes Zonæ ſunt habitabiles.

X. Non dantur in omnibus globi terreni locis Periœci, Antœci, & Antipodes, & ne poſſunt qvidem ubiqve diſtincti dari.

XI. Cauſſa marini æſtus motrix lunæ eſt adſcribenda, ita tamen, ut non negetur, reliqvarum ſtellarum efficaciam concurrere.

XII. Modus erigendi themata Genethliaca, qvem vulgò rationalem vocant, non ſine cauſsâ qvibuſdam videtur irrationalis.

SOLI DEO GLORIA.

בג"ה:

בית לחם: SEU ANNALES BETHLEHEMITICI, DISSERTATIONE HISTORICO-CHRONOLOGICA DESCRIPTI,

Qvam

Sub PRÆSIDIO

ÆGIDII STRAUCHII, S.S.
Theol. Licent. Mathem Infer. Prof. Publ.
nec non Hiſtoriar. Subſtituti,

PLACIDÆ Συμφιλολογήτων COLLATIONI
EXHIBET WITTEB.

PETRUS RöDINGIUS,
Hamburgenſis,

D. XIV. *Januarii Anno* M DC LX.

Q. D. B. V.

§. I.

POſteaqvàm nuper de nomine, ſitu, & aliis, Patriam Meſſiæ concernentibus, actum à nobis eſt, reſtat ut in præſenti res, in civitate & regione Bethlehemitica geſtas, qvarum nempe apud ſcriptores aſſervata eſt memoria, breviter recenſea-

 mus,

mus, ſeu ut Annales Bethlehemiticos delineemus. Qvamvis autem eoſdem à prima urbis Origine exordiri fas eſſet, attamen cùm deſtituamur hîc monumentis Veterum, non aliunde, qvàm à diviſione terræ per ſortem eoſdem deducere poſſumus, reſervatis iis, qvæ de Sepulchro Rachel, in via Bethlehemitica, diu ante exſtructo, dicenda videntur, occaſioni proximæ.

§. 2. Qvando terræ Sanctæ inter tribus Iſraëliticas partitio facta & ager Bethlehemiticus tribui Judæ aſſignatus ſit, primò omnium diſpiciendum erit. In Sacro codice duos maximè inſignes characteres, annum κληρουχίας determinantes, invenimus: Primum ſuppeditat Calebi ſermo ipſô tempore partitionis habitus, & Joſuæ c. XIV. 10. ſeqq. adnotatus: *Nunc autem*, inqvit, *vivum me conſervavit DEus. Ecce jam qvadrageſimus qvintus eſt annus, ex qvo edixit Jehova edictum hoc Moſi* (Num. XXVII. 17.) *qvum rediret Iſraël in deſertum. Nunc ergo, ecce ego hodie natus ſum octoginta qvinqve annos &c.* E verbis hiſce annum κληρουχίας & diſtributionis terræ Sanctæ inter ſingulas tribus, colligimus hôc modô: Exiêrunt Iſaëlitæ ex Ægypto annô Per. Jul. 3217. Mundi 2452. menſe ſeptimô, uti id alibi demonſtravimus; Exploratores, qvorum tempora in oratione ſua nominat Caleb, emiſſi ſunt annô ſecundô poſt Exodum, inde computandi veniunt qvadraginta qvinqve anni, qvos Caleb innuit; Summa exhibet annum P. Jul. 3262. Mundi 2499. qvô diviſio terræ per ſortem contigit & regio Bethlehemitica tribus Judæ peculium eſſe cœpit.

§. 3. Alterum characterem, qvô annum hujus accidentis, à multis antè & retro numeratis annis, diſtingvimus, præbet cycli Sabbatici numerus, qvi PETAVII ſcepticiſmum inſimul refutat. Scilicet adverſus prius argumentum, qvô annum κληρουχίας deter-

determinari poſſe diximus, excipit ille, lib. IX de Doctr. Temp. c. XXV. *Ex verbis Caleb*, inqvit, *non tam præciſa anni primi τῆς γεωργίας, adeóqve Sabbathici ratio poteſt iniri, qvin unius aut alterius anni diſcrimen interponi qveat. Nam inchoati anni plerumqve, Scripturæ conſvetudine, pro completis & exactis in numerum veniunt, & neſcimus, utrum ineunte qvadrageſimô ſextô annô ab Exodo, utrum deſinente, κληρουχία cœpta ſit.* Enimverò unius aut alterius anni diſcrimen interponi non poteſt, ſi perpendamus probè, annum κληρουχίας fuiſſe Sabbaticum, annum verò γεωργίας primum in Cyclo Sabbatico & initium totius cyclicæ hypotheſeos. Audiamus DEI verba: *Alloqvere filios Iſraëlis*, inqvit Lev. XXV. 2. ſeqq. *edicens eis, cùm ingreſſi fueritis in eam terram, qvam ego do vobis; tum qvieſcet terra Sabbato Jehovæ. Sex annis ſeminabis agrum tuum & ſex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum illius. Annô verô ſeptimô Sabbatum ceſſationis eſto ipſi terræ, Sabbatum Jehovæ: agrum tuum ne ſeminato & vineam tuam ne putato.* Confer Deut XV. I. c. XXXI. 9. Exod. XXIII. 10. 11. Ex his DEI ipſius verbis firmiter colligi non dubitamus, annum κληρουχίας fuiſſe prolepticè Sabbaticum, & ſubſeqventem in cyclo Sabbatico hiſtoricè primum. *Cùm ingreſſi fueritis in eam terram, &c.* inqvit Dominus, non ingreſſum inchoatum, ſed completum intelligens. Etſi enim Judæi, vivente Moſe, terram cis Jordanem occupârint, attamen de eodem ingreſſu verba citata intelligenda eſſe, nemo nobis perſvadebit. Non decernam in præſenti, an terra cis Jordanem Cananæa ullibi vocetur, illud potiùs, urgebo, dici haud poſſe, filios Iſraëlis ingreſſos eſſe in terram benedictam, eô tempore, qvô ne qvarta qvidem pars Exercitus Judaici in Palæſtina ſua fixit tentoria. Imò ne Rubenitæ qvidem & Ga-

ditæ putandi ſunt terram promiſſam ingreſſi, qvô tempore promiſerunt: *Septa gregum ſtruemus tantùm pro pecore noſtro, & civitates pro parvulis noſtris, nos autem expediti erimus ad procedendum ante filios Iſraëlis, uſqve dum introduxerimus eos in locum ſuum: Intereà manebunt parvuli noſtri in civitatibus iſtis munitis. Non redibimus in domos noſtras, donec adierint filii Iſraëlis qviſqve poſſeſſionem ſuam &c.* Num. XXXII. 16. Accedit ad hæc, qvòd in anno Sabbatico terra, per ſex annos culta, qvieſcere debuerit. At Palæſtinam, non potuerunt Judæi colere priùs, qvàm univerſam terram occupâſſent, & inter ſe partiti eſſent. Qvæ argumenta tantæ firmitatis & certitudinis viſa ſunt SCALIGERO, ut graviter invehatur in eos, qvi annorum Sabbaticorum inſtitutum aliunde deducere auſi ſunt: *Cerebroſi qvidam* (verba ſunt Scaligeri, lib. III. Can. Iſag. p. 282.) *ajunt, annum primum γεωργίας id eſt, qvô populus Hebræus cæpit terram colere, miſſus in ejus poſſeſſionem, eſſe qvadrageſimum* Exodi *& primum ducatus Joſuæ. Qvorum pervicaciæ & ſtultitiæ confutandæ ſatis erit opponere c.* XIV. *Libri Joſuæ, ubi annô* XLV. *Exodi abſolutô &* XLVI. *currente, nondum terra tota diviſa erat. Qvomodò ergo colebant, qvam nondum poſſidebant. Sanè κληρουχία antecedere debet γεωργίαν. Ideò ſapientiſſimi Veteres Judæi* VII. *annos τῇ κληρουχίᾳ aſſignandorum agrorum & ſubigendis hoſtibus dedicant. Sex ſeqventes τῇ γεωργίᾳ. Qvartum decimum primum Sabbato terræ, qvod tam verum, qvàm ſemidoctorum Theologaſtrorum fanaticorum falſa aſſeveratio. Primus annus κληρουχίας eſt, qvô primum in terræ Cananææ poſſeſſionem pedem poſuerunt, duce Joſuâ, & terram colere cæperunt. Ideò ἔτος πρῶτον γεωργίας Philoni dicitur, qvi & ingreſſûs in terram & obitûs Moſis erat octavus. Primus enim annus κληρουχίας eſt primus primæ hebdomadis annalis.* Hactenus Scaliger.

§. 4.

§. 4. Qvòd ſi itaqve anni Per. Jul. 3262. Mundi 2499. Characterem in cyclo Sabbatico, qværamus, Annorum mundi numerus ſimpliciter dividatur per ſeptenarium; ea enim hujus Epochæ eſt commoditas, ut per diviſionem ſeptenarii annum Sabbaticum indicet. De annis autem Per. Jul. notes, eorum qvemvis duplici charactere Sabbaticô inſigniri poſſe; Anni enim cycli Sabbatici ineunt cum Autumno, anni autem P. Jul. cum Kal. Januar. Qvare ſi reſpectu poſteriorum menſium anni cujuſdam P. J. character Sabbaticus qværatur, dividatur ſumma annorum per ſeptenarium, ſin idem character reſpectu priorum menſium ad Septembrem uſqve inveſtigandus ſit, numero annorum P. Jul. ſenarius priùs addatur & tunc agatur ut anteà dictum eſt. Poſitô calculô apparebit annum, qvem nominavimus, Sabbaticum fuiſſe, & congruere characteribus Biblicis.

§. 5. Uti autem *κληρȣχίαν* annô Period. Jul. 3262. & ſeqventi factam eſſe probavimus ſatis, ita mirum profectò eſt, qvòd Bethlehemi in diſtributione terræ, & catalogo civitatum tribus Judæ nulla facta ſit mentio. Nominatur eqvidem Bethlehem *Joſ.* XIX. 15. At diverſa hæc civitas videtur à Meſſiæ patria, cùm inter poſſeſſiones tribus Sabulon recenſeatur, tribus autem Judæ poſſeſſio qvando Joſ. XV. deſcribitur, altum eſt de Bethlehem ſilentium, qvod textum Hebræum concernit. Nam ſeptuaginta Interpretes Bethlehem poſſeſſioni tribus Judæ addiderunt. Meminit hujus dubii S. HIERONYMUS in Micheæ c. v. *Legimus*, ait, *juxta* LXX. *duntaxat Interpretes in JESU NAVE* † *ubi tribus Judæ urbes & oppida deſcribuntur: inter cetera etiam hoc ſcriptum: Thæca & Ephrata, hæc eſt Bethlehem, & Phagor, & Aetham, & Culon, & Tami, & Soris, & Caraim, & Gallim, & Bæther, & Manocho civitates* XI.

† c. XV. 60.

& viculi earum. Qvod nec in Hebraico, nèc apud alium invenitur interpretem: & ſive de Veteribus Libris eraſum ſit malitiâ Judæorum, ne Chriſtus de tribu Juda ortus videretur, ſive à LXX. *additum, neqvaqvàm liqvidò cognoſcentes certum qvid novimus.* Forſitan à veritate non multum qvis aberraret, ſi diceret, in bellis, qvæ Iſraëlitæ cum infidelibus geſſerunt, civitatem Bethlehem prorſus exciſam fuiſſe, & ideò tunc temporis pro nulla habitam, ſive Jebuſæos, Hieroſolyma incolentes, qvi eô tempore expelli non potuerunt, *Joſ.* xv. 53. regionem Bethlehemi vicinam adeò infeſtâſſe, ut penes Judæos in cenſum venire commodè non potuerit.

§. 6. Qvid in primis, ab occupatione Palæſtinæ, annis Bethlehemi geſtum ſit, ferè nos latet, uſqve ad ea tempora, qvibus familia Davidis innoteſcere cœpit; unde earumdem rerum tantùm mentionem faciemus, qvarum in libris Hiſtoricis V. Teſt. conſervata eſt memoria, & primò qvidem *Judicum* XVII. 7. ſeqq. recenſetur Hiſtoria de Levita, qvi in cap. ſeqvente verſ. 30. vocatur *Jonathan*; Eum è Bethlehem Juda oriundum fuiſſe, facilè verba perſvadent ויהי נער מבית לחם יהודה ממשפחת יהודה *Fuit autem puer è Bethlehemo Jehudæ &c.* Qvamvìs enim Interpretes nonnulli & inter hos NICOL. SERARIUS qvoqve, Levitam non inſtar incolæ & civis, ſed peregrini & advenæ ibi habitâſſe, ex eo colligant, qvòd in textu Hebræo addatur: והוא גר שם *& fuerat peregrinatus illic*; non incommodè tamen dici poſſet, eum omnino è Bethlehem ORIUNDUM, fuiſſe, qvam vocem JUNIUS & TREMELLIUS verſioni ſuæ inſeruerunt. Videtur autem peregrinus vocari ideò, qvòd Bethlehemi Levitis nulla fuerit aſſignata habitatio, unde ibidem pro advenis habiti ſunt. Ceterùm qvando acciderit hiſtoria hæc, obſcurum videtur.

Ve-

Veritati qvàm maximè videtur conſentaneum, non multum poſt mortem Joſuæ eam accidiſſe, tum qvòd Levita adhuc juvenis fuerit & tamen filius Menaſſe, nepos Gerſom, tum qvòd ſeqventium capitum de bello Bethlehemitico hiſtoria, hâc noſtrâ videatur prior, tum deniqve qvòd minùs videatur probabile, tribum Daniticam propriâ poſſeſſione diu carere potuiſſe, qvod tamen dicitur de tempore Levitæ hujus *Jud.* XVIII. 1.

§. 7. Hiſtoriam de Levita à Micha conducto, à Danitica verò ſtirpe per fraudem & violentiam abducto, excipit hiſtoria alterius cujuſdam Levitæ, *Jud.* XIX. & XX. deſcripta. Dicitur, v. 1. ibidem, Levitam qvemdam peregrinantem accepiſſe אשה פילגש מבית לחם יהודה mulierem concubinam de Bethlehem Judæ. Nolumus hôc locô prolixi eſſe, in vocis פילגש explicatione, poſſemus aliàs diverſorum Autorum ſententias adducere, ut TREMELII & JUNII, qvi concubinam vocatam putant, qvòd parentum conſenſu matrimonium confirmatum haud fuerit, NICOLAI SERARII, qvi Tremellii ſententiam improbat, & legitimum matrimonium fuiſſe putat, addens, uxores veras qvidem, ſed ſecundarias, minúſqve honoratas, vocaſſe Judæos פילגשים: Judæorum ſententiam tantùm, qvam מגמרא סנהדרין qvondam excerpſimus, & cui qvàm proximè accedit GVIL. ESTIUS *in lib.* IV. *Sent D.* XXXIII *& Jud c.* XIX. (per פילגש intelligens uxorem, qvæ abſqve conſvetis & ſolennibus ceremoniis in matrimonium aſſumitur,) in præſenti adduxiſſe ſufficiat: Legitur ibidem מאי נשים ומאי פילגשים אמר רבי יהודה נשים בכתובה ובקדושין פילגשים בלא כתובה ובלא קדושין: *Qvid uxores, qvid concubinæ? Ait Rabbi Jehuda: Uxores dotali inſtrumentô & ſponſalibus, concubinæ ſine his.* Qvidqvid vero de Bethlehemitica uxore

 ſit,

ſit, ſive legitima, ſive illegitima fuerit, horrendum certè Benjamitæ commiſerunt facinus; qvando contra hoſpitale gentium jus, dementati forſitan mulieris formâ, (qvam JOSEPHUS, *lib. Antiqv. c.* 11. mirificè commendat) & poſt multas rixas, hoſpitâ feminâ per totam noctem ad ſatietatem abuſi, mortis repentinæ ejuſdem exſtiterunt cauſſa, ſive qvòd tam miſerè affecta, præ verecundia, non audens in mariti conſpectum venire, qvòd hunc indigniſſimè rem laturum putaret, humi collapſa exſpirârit, ſive qvòd labore, vexationéqve corporis nimiâ defatigata, & qvaſi confracta, exanimatáqve fuerit. Uti verò hujuſmodi flagitia Deus rariſſimè impunita dimittit; ita non tantùm Gibeonitæ, ſed Benjamitæ omnes, qvi ſcelus armis conabantur defendere, ſeveriſſimam DEI ultionem experti ſunt, dum tertiùm reſtauratô prælîô; Iſraëlitæ eoſdem vicerunt & ad internecionem cæciderunt.

§. 8. Qvando Bellum Benjamiticum, ortum occaſione crudelitatis, in Bethlehemiticam uxorem, ab incolis Gabaæ adhibitæ, acciderit, indubitatò non liqvet, qvamvìs enim ab Autore Libri Judicum poſt Samſonis hiſtoriam idem recenſeatur & SULPITIUS SEVERUS, lib. 1. Hiſtor. Sacræ ordinem Scripturæ ſecutus ſit; Vix tamen ac ne vix qvidem niſi ὕστερον πρότερον hîc agnoſcatur, hæc explicari poſſunt: Primò enim clarè dicitur, hiſtoriam cum Levita utroqve accidiſſe, qvô tempore non erat Rex, vel alius Magiſtratus in populo Iſraëlitico, nempe poſt mortem Joſuæ, interregni cujuſdam tempore; Secundò Jebuſum, qvod poſteà Hieroſolyma vocârunt, nondum erat ab Iſraëlitis occupatum, qvod patet è *Jud.* XIX. 11. dicente enim puerô: *propera qvæſo, ut divertamus in ipſam civitatem Jebuſæi*, reſpondit Herus, v. 12. *Non diver-*

divertemus in civitatem gentis alienigenæ, ex eis, qvæ non ſunt filiorum Iſraelis. Tertiò, Sacerdotiô tunc fungebatur Pinehas, filius Eleazar, filii Aaronis *Jud.* xx. 28. qvem poſt Samſonis tempora vixiſſe, qvis crederet? cùm Eleazar eôdem ferè annô, qvô Joſua obiit, & ipſe videatur mortuus, ob ea, qvæ dicuntur *Joſ.* xxiv. 33. à morte autem Joſuæ uſqve ad mortem Samſonis, multô plures qvàm ducenti & trecenti ferè anni effluxerunt, inter Judices diſtribuendi. Hæ & ſimiles rationes nos movent, ut putemus, diu ante Samſonem hiſtoriam Bethlehemiticæ feminæ accidiſſe & bellum Benjamiticum abſolutum fuiſſe. Neqve nos primi in ea ſumus opinione, ſed ante nos JOSEPHUS idem tradidit, qvando *lib.* v. *Antiqv. c.* 11. immediatè poſt Hiſtoriam mortis Joſuæ & diviſionis terræ per ſortem, acta Levitæ à Micha conducti, & alterius Levitæ, cujus uxorem tam indignè Benjamitæ tractârunt, recenſuit. Neqve diſſimili ratione χρονοτάξιν ſuam inſtituit Autor סדר עולם רבא, qvi putatur R. MOSE BEN CHILPHETA, *præceptor R. Judæ Sancti & circa annum* 130. *Chriſti vixiſſe dicitur*; Paragraphum integram adſcribam, qvò de mente antiqvi Chronologi plenius conſtet; ואחריו אהוד בן גרא שמנים שנה צא מהם שני שעבור עגלון מלך מואב שמנה עשר שנה/ מבימיו היה שמגר בן ענת בסוף ימיו/ אותו הפרק בימי עגלון היה/ ויהי בימי שפוט השפטים וגו/ ושם האיש אלימלך וגו/ וימת אלימלך וגו/ ואומר אל בנותי וגו/ ואומר בכל אשר יצאו יד ה/ היתה בם/ נחשון בן אמינדב מת בשנת השנית לצאת בני ישראל מארץ מצרים/ שלמון היה מבאי הארץ ומת אחר יהושע וגם כל הדור/ ההוא/ ואלימלך אחיו של שלמון: Neqve multum ab hac ſententia recedunt LYRA, TOSTATUS, VINCENTIUS, DION. PETAVIUS, HELVICUS, CALVISIUS, SERARIUS, SIMSONIUS, SANCTIUS, aliiqve.

§. 9.

§. 9. Ceterùm præ reliqvis familiis, qvæ in civitate Bethlehem celebritatem nominis nactæ ſunt, excelluit Davidica, utpote è qva Chriſtus ſecundum carnem, in plenitudine temporis, naſci debuit. Eqvidem à primis ſtatim poſt ſιωϱϛίαν annis Satores Regii ſtemmatis Bethlehemi habitâſſe, inter alia ex eo colligitur, qvòd Elimelech, (qvem Judæi tradunt Salmonis fratrem fuiſſe,) & Booz, Salmonis filius, in eadem celebres fuerint & poſſeſſiones hæreditarias ibidem habuerint, uti in Libro RUTH deſcripta, & Bethlehemi geſta, hiſtoria edocet; de cujus tempore cùm nihil definiverit Spiritus Sanctus, qvi, uti Interpretes vulgo tradunt, per Samuelem eamdem deſcribi voluit, neqve nos certi qvid & indubitati de anno hujus memorabilis rei geſtæ proponere audemus. Ita qvidem ab initio libelli citati legimus: *Fuit à qvo tempore judicabant judices &c.* Qvis judicum in his verbis intelligatur, diſſentiunt Autores, JOSEPHUS enim, *lib.* V. *c.* XI. intelligit Sacerdotem Heli, qvando infit: *Poſt Samſonis obitum præfuit Iſraëlitis Elis Pontifex, in cujus principatu fames valida eam regionem invaſit, qvam non ferens Abimelechus, Bethlemorum civis, qvod oppidum eſt tribus Judæ, aſſumptâ uxore Naami & filiis communibus Chellione, & Mallone, in Moabiticam terram migravit &c.* Enimverò non poſſumus in hac re adſtipulari Judæorum Hiſtorico, qvòd inter tempora Eli & filii Salmon comitis Joſuæ plures anni intercepti ſint, qvàm duorum hominum ætas facilè admittat. Iis potiùs adſtipulabimur, qvi vel Deboræ & Barac temporibus nuptias Boozi & Ruth Bethlehemi celebratas eſſe autumant, qvam hypotheſin tuentur ALPHONSUS, TORNIELLUS, FUNCCIUS, JUNIUS & TREMELLIUS, &c. Vel ad tempora EGLON, Moabitarum Regis, eaſdem referunt. Auto-

Autoris Chronici Hebræorum ſententiam paullò antè adduximus.

§. 10. In eadem civitate non tantùm Booz, ſed Obed, Iſai & David qvoqve natos eſſe & habitâſſe, tum è Sacra liqvet hiſtoria, tum ex antiqviſſimis monumentis. Nam cenotaphium Davidis Bethlehemi oſtendi, qvemadmodùm & patris Jeſſe, teſtis ADRICHOMIUS *in Theatr. Terr. S.* Et de tempore qvidem Nativitatis David in Bethlehem, è ſupputatione annorum biblica, certi eſſe poſſumus. Scilicet 1. *Reg.* v. 1. legimus: *Factum eſt ergo annô qvadringenteſimô octuageſimô ab egreſſu Iſraëlitarum è terra Ægypti, annô qvartô menſe Ziv, regni Salomonis ſupra Iſraëlem, ut ædificare inciperet domum Jehova &c.* E qvibus verbis colligimus, collatâ nempe Epochâ Exodi Iſraëlitarum, annum qvartum regni Salomonici fuiſſe annum P. Jul. 3697. à qvo ſubtractis annis 73. eò, qvòd dicatur, 1. *Sam.* v. 4. *Natus triginta annos David cùm regnare cæpit; qvadraginta annis regnavit*, reſiduum monſtrat annum P. Jul. 3624. antè Chriſtum 1029. qvô ipſo, vel certè proximô, David Bethlehemi natus eſt. Conſentiunt nobiſcum in hoc calculo probatiſſimi Chronologi. UBBO EMMIUS in Canone Chronico, EDUARDUS SIMSONIUS in Baſilicis, ſeu Chronici Catholici parte tertia, qvi eumdem annum Nativitati Regis Davidis aſſignant, CALVISIUS & HELVICUS, qvi ab anno præcedente Regis ætatem computant, aliíqve. Ut nihil hic moremur HEINRICI BUNTINGI calculum, qvi in *Chronic. Cathol. p.* 52. nativitatem Davidis refert ad annum ante Chriſtum 1108. (qvem ipſe cum anno M. 2860. connectit.) committens adeò μεταχρονισμὸν 20 annorum fere, de qvibus numeris, Buntingianis nempe, alibi dicemus.

§. 11. Uti autem de Anno Nativitatis Davidis ſatis

ſatis conſtat, ita deficiunt nos libelli Veteres Genealogici, qvô minus Natales Patris ejuſdem, Avi, abavi & atavi, qvos omnes Bethlehemi habitâſſe certum eſt, determinare qveamus, imò non exiguum dubium hîc oboritur, an Genealogia Parentum Davidis eô ordine, qvi recenſetur *Ruth.* IV. 20. *ſeqq.* poſſibilis fuerit nec ne? Verba Hiſtorici Sacri ſunt ſeqventia: *Nahaſſon genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed. Obed genuit Iſai; Iſai genuit David.* Enimverò de Nahaſſon conſtat, qvòd introiêrit is cum Joſua terram promiſſam, & vixerit jam Moſis tempore, uti legitur *Num.* I. 7. *c.* II. 3. *c.* VII. 12. imò filius ejuſdem Salmon è Rahab genuiſſe dicitur *Math.* I. 5. qvam temporibus Joſuæ vixiſſe, qvis ignorat? *Vide Joſ.* VI. 22. Porro autem certum & hoc eſt, occupâſſe Judæos Palæſtinam circa annum P. Jul. 3260. à qvo uſqve ad annum P. Jul. 3624 qvô putamus Davidem natum eſſe, intercepti ſunt, plures qvàm trecenti ſexaginta anni, diſtribuendi inter generationes Salmon & Rahab, Booz & Ruth, Obed & Iſai, unde ſeqvitur, qvemvis horum centenarium ferè genuiſſe, qvod nonnullis incredibile videtur, qvare duas referam hujus dubii ſolutiones celebriorum Interpretum.

§. 12. Primò itaqve exiſtimant nonnulli, generationes qvaſdam in Codice Sacro eſſe omiſſas, & imprimis duos Boozos ſubintelligendos eſſe; hôc ſensû. *Salmon genuit Boozum, Boozus genuit Boozum, Boozus genuit Boozum, Boozus genuit Obed &c.* Omiſiſſe autem Libri Ruth autorem Boozos priores, qvòd tædioſum putârit, toties unum idémqve nomen diſtinctarum perſonarum ingeminare; Matthæum verò cauſſam omiſſionis habuiſſe numerationem ſuam, qvam ſibi præfixerat, teſſeradecadicam. Imò mirum non eſſe, à Matthæo imprimis

ſal-

ſaltum hìc fieri, cùm & tres Reges in eadem ſerie genealogica ab ipſo prætermiſſi legantur. Atqve hâc ratione dubium illud ſolvere conantur, NICOLAUS de LYRA, SALIANUS, GENEBRARDUS, CATHARINUS, non repugnantibus CORNELIO JANSENIO, ESTIO, aliiſqve. Enimverò circa hanc reſponſionem nobis videtur, notari poſſe ſeqventia: Primò, qvòd in qvatuor locis diſtinctis eadem prorſus habeatur Genealogica recenſio, nempe *Ruth.* IV. 20. 21. I. *Paral.* II. II. 12. *Matth.* I. 4. *Luc.* III. 32. at ſi duæ generationes omiſſæ eſſent, vel in uno horum locorum defectus completus fuiſſet. Secundò, qvòd ita diſertè Matthæo contradici videatur, qvi verſ. 17. inqvit: πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαβὶδ, γενεαὶ δεκατέσσαρες: *OMNES itaqve generationes ab Abraham uſqve ad David generationes qvatuordecim &c.* Tertiò, qvòd in recenſione Hiſtorico-Genealogica nullius nominis repetitio tædioſa & moleſta videri debeat, præſtat enim idem nomen ſæpius repetere, qvàm lancinatam genealogiam, tantô hiatû patentem, exhibere. Qvartò, Matthæum qvidem teſſeradecadicum generationum ordinem obſervâſſe, at neqvaqvàm cum detrimento Hiſtoricæ veritatis. Non intulit in Scripturam, ut animi ſui præconceptam opinionem, δεκατέσσαρας γενεὰς, ſed eaſdem, cùm maximam partem in Scriptura Veteris Teſtam. ita deſcriptas eſſe videret, impulſu Spiritus S. hôc convenientiſſimô ordine diſpoſuit. Qvintò, Regum, *c.* I. *Matth.* v. 8. omiſſorum, alia ratio eſt, qvàm ſuppoſititiorum Booz, de iiſdem enim è 2. *Reg.* VIII. 24. *c.* XI. 2. I. *Chron.* III. II. 12. 2. *Par.* XXVI. I. ſatis conſtat; At de utroqve Booz, qvi hôc locô ab Interpretibus inſeritur, altum eſt in libris Hiſtoricis ſilentium. Neqve *in verſ.* 17. uti priùs, dicitur; *Omnes generationes* ſed *gene-*

rationes à Davide uſqve ad tranſmigrationem Babylonis generationes qvatuordecim &c. Sextò deniqve ſententia Lyræ falſæ innititur hypotheſi, Boozum tempore Heli vixiſſe, qva de re diximus anteà. Reliqvi interpretes, qvibus ſolutio Lyræ placet, nodum adhuc magis intricant, qvando numerum annorum inter introitum Iſraëlitarum in terram Sanctam & nativitatem Davidis, occaſione annorum, qvi ſingulis judicibus adſcribuntur, adaugent, de qvo computo alibi prolixiùs egimus.

§. 13. Nobis itaqve magìs placet eorum ſententia, qvi proſapiam Davidis in locis citatis integram exſtare, perſvaſi ſunt, neqve improbabile cenſent Davidem Patrem, avum, abavum & atavum ejuſdem, vel ſaltem qvoſdam eorum, à Parentibus Senibus genitos eſſe, *Ponamus*, inqvit, B. CHEMNITIUS, Harm. Euang. c. III. *Salmonem non ſtatim poſt ingreſſum in terram Chanaan, vel duxiſſe Rachabam, vel non ſtatim genuiſſe ex illa, Booz, ſed interceſſiſſe annos circiter triginta, ac conſeqvens erit tres illos, Booz, Obed, Jeſſe filios ſuos generâſſe circa annum ætatis centeſimum, qvod fieri illis temporibus potuit: Atqve ita non neceſſe erit fingere tres Booz, vel dicere aliqvos in Genealogia illa omiſſos.* Probabilem reddit ſententiam hanc, hominum, qvi priſtinis Seculis vixerunt, mira fœcunditas: De Abrahamo enim conſtat, qvòd poſt centeſimum qvadrageſimum annum plures filios genuerit, *Gen.* XXV. 1. 20. De Calebo item, qvòd octoginta qvinqve annos natus adhuc robuſtus fuerit & vires integras habuerit *Joſ.* XIV. 11. Adde, qvòd FREDERICUS SPANHEMIUS, *Dub. Euang. part.* I. *Dub.* III. indubitanter aſſerat, extraordinariam Dei benedictionem interceſſiſſe, in majoribus illis Chriſti prole ditandis, etiam tum, cùm vigor illorum jam exaruiſſe videretur, ut illi charactere qvô-

dam

dam extraordinariô deſignarentur, prout & ante ingreſſum Jacobi in Ægyptum, mirum qvid etiam in familia Judæ contigit, per extraordinariam ejus fœcunditatem. Deniqve Obed & Davidem à Patribus ſenibus jam genitos eſſe è *Ruth.* III. 10. I. *Sam.* XVII. 12. ſatis liqvet.

§. 14. Eô ipſô tempore, qvô Davidis nomen innoteſcere cœpit, adverſam fortunam experta eſt civitas. Legimus enim 2. *Sam.* XXIII. 13. *ſeqq.* I. *Paral.* XI. 16. uti tres Heroës, in Exercitu regio præ reliqvis conſpicui, venerint ad Davidem, qvando ſtatio Philiſtinorum erat Bethlehemi; Qvúmqve deſideriô motus David diceret: ô ſiqvis bibendam daret mihi aqvam, è ciſterna Bethlehemi, qvæ eſt ad portam! Irruperunt tres Heroës in caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aqvam de ciſterna Bethlehem, qvæ erat juxta portam & attulerunt ad Davidem, at ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino &c. Qvà temporis, qvô devaſtatio illa accidit, deſignationem aſſentimur TIRINO, cui videtur contigiſſe hiſtoriam hanc circa initium regni Davidici, qvando Jebuſæis extorſit arcem Sion. 2. *Reg.* V. 7. Tunc enim deſcendit David in Præſidium & Philiſtæi diffuſi ſunt in valle Raphaim, *verſ.* 17. qvæ duæ notæ hic expreſſè ponuntur. Nec abs re eſſe videntur, qvæ CASPAR SANCTIUS in præſentem hiſtoriam annotat, putat is, Davidem non ſitiviſſe naturalem aqvam de ciſterna Bethlehem, nimis enim hoc muliebre fuiſſet, atqve animi effœminati, ſed recuperationem Patriæ ſuæ, qvam Philiſtæi, cæſô Saule, invaſerant, & validô præſidiô detinebant. Atqve hæc ſitis regiô animô digna fuit, qvam etiam paullo pòſt, vi pulſis inde hoſtibus, illorum ſangvine reſtinxit. De alia & qvidem myſtica ſitis Davidicæ ſignificatione, nolumus in præſenti diſputare, adducendæ

nobis eſſent aliàs piorum Patrum ſententiæ, qvi deſideràſſe Davidem myſterii redemptionis noſtræ complementum, per effuſionem ſatisfactoriam ſangvinis Chriſti è Bethlehem naſcituri, unô fere ore referunt; hoc unum addimus monſtrari hodiénum Jeroſolymis Bethlehem euntibus, prope oppidulum ſiniſtrà, ciſternam illam Davidicam, uti id ex itinerariis BREUNINGII, HELFRICI & aliorum liqvet.

§. 15. Qvamvis autem probabile ſit, Patriam regiam jam Davidis tempore, fugatis hoſtibus, reſtauratam fuiſſe, imprimis tamen eandem exornavit & firmiſſimis munimentis circumdedit Salomonis filius Rehabeam, uti legimus 2. *Par.* XI. 6. qvod circa annum P. J. 3740. accidiſſe è χρονοτάξει Biblica colligitur. Qvando autem à Nebucadnezare tota Palæſtina devaſtata eſt, fieri non potuit, qvin & Bethlehem ferociſſimi hoſtes deleverint, vel ſaltem incolis vacuam reliqverint. Qvæ devaſtatio cùm perpetua eſſe non debuerit, finienda Cyri temporibus, exules qvoqve Bethlehem reverſi ſunt, uti legimus *Nehem.* VII. 26. à qvibus, uti non dubitamus, civitas denuo reſtaurata, eidemqve, qvoad id temporum patiebatur ratio, priſtinus nitor reſtitutus eſt.

§. 16. Neqve verò ullâ aliâ re civitas hæc celebrior facta eſt, qvam ſalutiferâ nativitate JESU CHRISTI, qvem in plenitudine temporis à B. Virgine ibidem natum eſſe, S. Euangeliſtæ unô ore teſtantur. Qvamvis enim Joſephus, cum deſponſata ſibi Deipara, Nazarethæ domicilium ſuum collocârit, ſingulari tamen DEI diſpoſitione factum eſt, qvando occaſione deſcriptionis univerſalis, Maria partui vicina Bethlehemum venit, emenſa 18. milliarium viam, uti BUNTINGIUS & alii computant. Digna profectò attentâ conſideratione

res

res eſt, uti rectè judicat FLACIUS : Mandatur cenſus Judæorum ab Auguſto, qvô tum impletio Prophetiæ de ablatione Sceptri Juda indicatur, tum occaſio præbetur Chriſto naſcendi in Bethlehem, juxta Prophetias, qvò etiam ex illa nota Meſſias agnoſcatur. Nam ſi perpetuò ibi Maria habitâſſet, caſu, non divinâ providentia, factum videretur, ut ibi Jeſus naſceretur. Nunc manifeſtè divinâ providentiâ hoc factum eſſe cernitur. Inſciens ergò Monarcha Mundi, puerulo huic pauperi, divinâ providentiâ ita res adminiſtrante, ſervit, tum & tempus nativitatis ejuſdem, ſublatô ſceptrô teſtatur, & parentes ejus attrahit in Bethlehem, qvô ſimul Joſephi & Mariæ, è familia Davidis, ortus innotuit, de qvo aliàs dubitari potuiſſet, utpote qvorum genus in obſcuro erat & jam ad infimam vitæ conditionem redactum, regii Stemmatis nihil præ ſe ferebat.

§. 17. Qvamvìs autem Mariæ & Joſephi in civitate Bethlehem præcipua ratio haberi debuiſſet, ut Davidicæ prolis, tanta tamen ejus ſeculi fuit iniqvitas, ut Beata Deipara, à purpuratis reliqvis neglecta & contempta, extra κατάλυμα ad ſtabulum qvoddam ablegata fuerit, ita enim de eadem S. Lucas II. 7. ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. *Et repoſuerunt eum in præſepe, ideò qvòd non eſſet locus pro ipſis in diverſorio.* Qvòd autem Chriſtus in ſtabulo natus ſit, putant nonnulli, ideo factum, ut etiam hâc ratione DEUS teſtatum faceret, Filium hunc, Davidis filium eſſe, ejuſdem cum parente fortunæ. De Davide enim conſtat, qvòd olim Paſtor fuerit, qvi vitam ſuo in ſtabulo fortè, fortè inqvam, hoc ipſo in loco, ubi Jeſum Maria peperit, egerat, è Paſtore ovium ſubito Rex factus, uti ipſe fatetur *Pſalm.* LXXVIII. 70. 71. 72.

 §. 18.

§. 18. Porrò ſtabulum illud non conſtabat è tignis qvibuſdam junctis, ſed pro regionis & ſeculi indole intra ſaxa inciſum erat. Eſt enim Hieroſolymitana & Bethlehemitica regio lapidoſa & petroſa, uti STRABO, lib. XVI. eam deſcribit, qvô ſenſu à S. Patribus locus Nativitatis JESU vocatur σπήλαιον ſpelunca, & ab EUSEBIO paſſim τὸ τῆς γεννήσεως ἄντρον; (non ἄγρος uti lib. VII. *Demonſtrat.* in nonnullis exemplaribus legitur) Ab Eremitis qvoqve & qvi loca ſancta viſitârunt, unô ore refertur, oſtendi hodiè nativitatis Chriſti locum in Spelunca qvadam ſubterranea, ad qvam per aliqvot gradus deſcendendum ſit. Oſtenditur ibi etiam ipſum præſepium, in qvo Chriſtum recens natum Beata Deipara repoſuit, qvod marmoreum eſſe & qvà longitudinem $5\frac{1}{2}$. Spithamarum, qvà latitudinem autem $4\frac{1}{2}$. teſtis eſt JOH. JAC. BREUNING. *in Itinerario ſuo, p.* 258. ut oporteat Pontificiis frontem omninò periiſſe, qvi Romæ in Baſilica S. M. Majoris Præſepe ligneum oſtendunt, in qvo Chriſtus qvondam jacuerit, qvô nomine à veſanis Papicolis religiosè viſitur & colitur, uti *ad Luc.* II. 7. CORNEL. à LAPIDE annotat. Ceterùm an in eodem ſtabulo bos & aſinus adfuerint, nec ne? inanis eſt diſputatio; Veteres qvidem de eo perſvaſos fuiſſe, ex antiqva illa cantilena liqvet:

Cognovit bos & Aſinus,
Qvòd puer eſſet Dominus.

Et tempore Hieronymi vix ullum de hac re dubitâſſe è loco infra citando apparebit, imò oſtendunt adhuc hodie, qvi peregrinos illic excipiunt, bo-

vis & aſini præſepium. Nobis placet B. CHEMNITII ἐπικρίσις *Harm. Euang.* c. VIII. modeſtiſſimè addita: *Multa*, inqvit, *veteres de bove illo & aſino philoſophati ſunt; ſed conjecturæ tales: ſi ſobriè uſurpantur, ſicut non odiosè exagitandæ, ita nec temerè aſſeverandæ pro dogmate. Nec opus eſt dubia & incerta, licèt ſpeciem aliqvam veriſimilitudinis habeant, curioſiùs conſectari, cùm in illis evolvendis, qvæ Spiritus S. per Euangeliſtas literis commendavit, utiliùs operam collocare poſſimus.* Multò minus diſputabimus prolixè de conſortii bovini & aſinini uſu, an ideò ad præſepe Chriſti bos & aſinus alligati fuerint, ut in rigore hyemis Chriſtus halitu bovis & aſini caleſceret; an verò locum habeat G. NYSSENI *cauſſa tropologica*, qvam in Serm. de Nativitate Chriſti allegat, dum ait: *Præſepe beſtiarum eſt domus, in qva verbum naſcitur, ut cognoſcat bos poſſeſſorem & aſinus præſepe Domini ſui. Bos autem eſt Judæus legi ſubjugatus, aſinus verò animal oneribus ferendis aptum, Gentilis ſub graviſſimo idololatriæ jugo gemens. Ordinarius autem brutorum animalium cibus eſt fœnum. Idcirco in præſepi, ubi pabulum brutorum poni ſolet, panis vitæ, qvi de cælo deſcendit, proponitur, ut animalia qvoqve rationis expertia rationalem cibum participarent.* His & ſimilibus allegoriis repleti ſunt Veterum Libri, qvas noſtras non faciemus.

§. 19. Illud autem imprimis diſqviſitione dignum eſt, an ſtabulum, in qvo Salvatorem enixa eſt Beata Virgo, intra urbem, an extra urbem fuerit? Cenſet enim B. CHEMNITIUS & alii qvidem orthodoxi Theologi, fundamentum fidei, qvâ credimus in JESUM MARIÆ FILIUM, hanc qvæſtionem concernere. *Si Chriſtus*, inqvit ille, *non eſt in civitate Bethlehem natus, non poteſt eſſe verus Meſſias, juxta vaticinia Prophetarum Mich.* v. 2. Qvamvìs autem an qvæſtio hæc tanti æſtimanda

 manda

manda ſit, nec ne? determinare non audeamus, improbandos tamen eos cenſemus, qvi primi hujus litis inter Chriſtianos autores fuerunt, non ideò tantùm, qvòd patrocinium perfidiæ Judaicæ in ſe ſuſcepiſſe videantur, de qvo argumento alii diſpiciant, ſed qvòd vetuſtiſſimi annales, qvos explicare Hiſtorici munus eſt, commentum hoc ſatis abundéqve confutent; Qvòd ſi enim Euangeliſtas, qvorum ſcripta Annalium N. T. inſtar ſunt, conſulamus; non ἐγγὺς Βηθλεὲμ aut ἐν ὁρίοις Βηθλεὲμ ſed ἐν Βηθλεὲμ Chriſtum natum eſſe, in iiſdem dicitur, vide *Matth.* II. 1. *Luc.* II. 7. Si conſulamus Patres, unô forſitan Juſtinô exceptô, Chriſtum in Bethlehem natum eſſe, conſtanter aſſerunt. Tacebo in præſenti, è nullo Autore ἀντιλέγοντας hactenus demonſtrare potuiſſe, urbem Bethlehem, qvæ ob exiguitatem alibi vicus vocatur, habuiſſe ſuburbia. Hoc unum urgeo & qværo: Annon Spelunca, in qva Salvator noſter primùm editus vulgò creditur, in ipſo oppidulo monſtratur? Enimverò traditio Veterum forſitan in dubium vocabitur? Nihil profectò tribuendum putarem dubiis Papiſtarum Sacris, ſi unanimi Patrum conſenſui contradicere, ſociorum aſſeverationes ludibrio exponere, atqve ea loca, qvibus mira devotionem excitandi vis vulgo adſcribitur, ſuſpecta reddere auderent. Itáne decepta fuit Devotiſſima HELENA, qvando Speluncæ Bethlehemiticæ ſplendidiſſimum impoſuit templum? Itáne aniliter deliravit Nobiliſſima illa Mulier, PAULA ROMANA, cujus devoti animi motus, è Speluncæ Bethlehemiticæ intuitu obortos, Beatus HIERONYMUS, vix ac ne vix qvidem verbis exponere ſatis potuit? *Bethlehem ingreſſa Paula*, inqvit in Epitaphio ejuſdem ad Euſtochium, Tom. 1. Oper. *& in ſpecum Salvatoris introiens, poſtqvàm vidit ſacrum*

virginis diverſorium & ſtabulum, in qvo agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ut illud impleretur, qvod in eodem Propheta ſcriptum eſt: Beatus qvi ſeminat ſuper aqvas, uti bos & aſinus calcant: me audiente jurabat, cernere ſe, oculis fidei, infantem pannis involutum, vagientem in præſepi Dominum, magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, matrem virginem, nutritium ſedulum, paſtores nocte venientes. Mixtíſqve gaudio lachrymis loqvebatur: Salve Bethlehem domus panis, in qva natus eſt ille panis, qvi de cælo deſcendit. Salve Ephrata Regio uberrima, atqve καρποφόρε, *Cujus fertilitas DEus eſt. De te qvondam Michæas vaticinatus eſt. ---- Et ego miſera, atqve peccatrix digna ſum judicata, deoſculari præſepe, in qvo Dominus parvulus vagiit? Orare in ſpelunca, in qva virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc reqvies mea; qvia Domini mei patria eſt. Hìc habitabo, qvoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Chriſto meo. Anima mea illi vivet & ſemen meum ſerviet ipſi.*

§. 20. Atqve ex iis, qvæ adduxi hactenus, ſatis uti qvidem opinamur, apparet, qvid habendum ſit de CÆSARIS BARONI ſententia, qvam A. Chr. 1. n. 2. cum ſingulari qvadam confidentia proponit: *Qvod in primis ad locum ipſum*, ait, *ubi Chriſtus eſt natus, attinet, ſpelunca fuit, in ſuburbiis Bethlehemiticis poſita. Item: Erat Bethlehem ſupra collem in longum porrectum ſita, in cujus extremitate Orientem verſus ſub rupe qvodam exiſtente tunc temporis, juxta mores civitatis, erat ſtabulum ac præſepe Domini, exciſum in rupe, ubi natus eſt Chriſtus.* Eamdem opinionem approbat CORN. à LAP. qvando ad Mich. v. commentatur; *Apparet ſpeluncam hanc non in ipſa urbe Bethlehem ſitam fuiſſe, ſed foris in agro ſuburbano, juxta muros urbis &c.* Item, *unde ſeqvitur; Chriſtum non in urbe natum.*

 ſed

ſed rure qvaſi ruſticanum puerum, ut eô, qvaſi ſuô cive, gratulari ſibi poſſint ruſtici, ideóqve cum eo dicere:

Nobis rura placent, Pallas, qvas condidit arces,
Ipſa colat.

At qvando idem Cornelius ad Luc. II. 7. commentatur, mutâſſe ſententiam videtur, vel ſaltem dubitâſſe de eo, qvod olim pro certo habuerat. Videantur propria Autoris verba, Ceterùm argumentorum, qvibus ii, qvi contrariam noſtræ defendunt ſententiam, & cui parti HEINSIUS, VOSSIUS, aliíqve accedunt, utuntur, ſolutionem reſervamus diſcurſui. Confer CASAUBON. *Exerc.* 11. *ad Annales Baron.*

§. 21. Poſtqvàm verò vaticinia de Meſſia è Bethlehem oriundo impleta fuerunt, tota Judæorum Reſpublica interire cœpit, unde nec oppidulum, in qvo Chriſtus natus eſt, conſervari ampliùs opus erat. Qvare à Tito Veſpaſiano, exercitus Romani Imperatore, unà cum reliqvis Palæſtinæ civitatibus urbs Bethlehem deleta eſt, relictis ſaltem ruderibus, ut rerum olim geſtarum conſervaretur memoria. Accidit dubio procul horrenda clades eô tempore, qvô Metropolis terræ Sanctæ obſeſſa & devaſtata eſt, cujus excidium in annum,, P. Jul. 4783. Chr. 70. incidiſſe, alibi à nobis ד״א demonſtrabitur. Atqve ita deſiit omnino Bethlehem Judæ, ut non exiſtat ampliùs, cùm diſtinctio tribuum & familiarum inter Iſraëlitas, ab univerſalis excidii & exilii tempore, combuſtis Genealogiarum libellis, obſervari ampliùs non potuerit, vicus qvóqve, qvem hodiè monſtrant viatoribus, non Bethlehem Judæ, ſed vel Turcarum, vel Chriſtianorum vocandus videatur, uti hæc *Celeberr.* DN. D. MULLERUS *Judaiſmi detecti c.* XII. adverſus Judæorum pertinaciam rectè urget, eoſdméqve erroris graviſſimi, in expectan-

expectando Meſſia à deſtructione Bethlehem Judæ ductô argumentô, gnaviter convincit.

§. 22. Qvamvìs autem à Romanis civitas Bethlehem deſtructa fuerit, Chriſtiani tamen locum nativitatis Chriſti inter rudera reliqva imprimis annotârunt; Certum enim eſt jam Origenis tempore hanc curam qvoſdam tenuiſſe, ut inqvirerent ea loca in qvibus miracula olim acciderunt. *Oſtenditur, inqvit* ORIGENES, *lib.* I. *contra Celſum in Bethlehem ſpelunca, ubi natus eſt Chriſtus.* Singulari verò DEI providentiâ accidit, qvòd à primis annis ſtatim, poſt excidium Hieroſolymitanum, Judæis, aliàs per totum orbem diſperſis, regionem Bethlehemiticam incolere permiſſum non fuerit. Urget hoc in Libro adverſus Judæos TERTULLIANUS & Meſſiam veniſſe jam demonſtrat, qvòd eum in Bethlehem Juda naſci oportuerit, nemo autem de genere Iſraël in civitate Bethlehem remanſerit, imò qvòd interdictum fuerit, ne in confinio ipſius regionis moretur qviſqvam Judæorum. *Unde ungetur*, inqvit, *dux, qvi naſcetur in Bethlehem? aut qvomodo procederet de Bethlehem, cùm de ſemine Iſraël nullus omnino ſit in Bethlehem?* Imò in hunc diem uſqve Judæis ad civitatem Bethlehem non patet aditus, ſi vera ſunt, qvæ ab HELFRICO *in deſcript. Terræ S.* referuntur.

§. 23. Non latebat Ælium Adrianum, Chriſtianos ad loca ſacra freqventes convenire, ibidemqve DEO, pro beneficiis exhibitis, ſolennes agere gratias, qvamvìs ſuperſtitioſa meriti opinio tunc non adfuerit, qvare ut Chriſtianis ægrè faceret, locum paſſionis Chriſti non tantùm, ſed & incarnationis, erectis idolis, prophanavit. Conqveritur de hac immanitate SULPITIUS SEVERUS, *Hiſt. S. lib.* II. *c.* XLV. *Adrianus*, inqvit, *exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuriâ perempturum, & in templo ac lo-*

co Dominicæ paſſionis dæmonum ſimulacra conſtituit; & de profanatione Speluncæ Nativitatis PAULINUS *in Epiſtola ad Severum* teſtatur, qvando ait: *Ubi ſacra nati Salvatoris infantia vagiêrat, illic Veneris lamenta fingentium laſcivis luctibus, infamis ritus ululabat.* Plura habet HIERONYMUS de *Inſtitutione Monachi ad Paulinum, Tom.* I. *Oper. Ab Adriani temporibus*, inqvit, *uſqve ad Imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta, in Loco reſurrectionis, ſimulacrum Jovis, in crucis rupe, ſtatua ex marmore Veneris à gentibus poſita colebatur; exiſtimantibus perſecutionis autoribus; qvòd tollerent nobis fidem reſurrectionis & crucis, ſi loca Sancta per idola polluiſſent. Bethlehem nunc noſtrum & anguſtiſſimum* (forſitan auguſtiſſimum legendum eſt.) *Orbis locum: de qvo Pſalmiſta canit: Veritas de terra orta eſt, lucus inumbrabat Thamus, id eſt, Adonidis: & in ſpecu, ubi qvondam Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius plangebatur.* Non me fugit excuſari à nonnullis Hadrianum, imò dici, Sulpitium Hadriano vim veciſſe, cùm Hadrianus, per Qvadratum, Diſcipulum Apoſtolorum & Ariſtidem Athenienſem, virum fide & ſapientiâ plenum: & per Serenum Granium, è libris de Chriſtiana religione compoſitis, inſtructus atqve eruditus præceperit per Epiſtolam ad Minutium Fundanium, Pro-Conſulem Aſiæ datum, ut nemini liceret Chriſtianos ſine objectu criminis aut probatione damnare, uti id refert PAULUS OROSIUS, *lib.* VII. *c.* VIII. Enimverò cùm non tantùm à Sulpitio, ſed Hieronymo qvoqve ut alios omittam, Hadriano prophanatio hæc adſcribatur, ea, qvæ de Crypto-Chriſtianiſmo hujus Imperatoris à nonnullis annotantur, mihi de falſitate ſuſpecta videntur.

§. 24. Qvæ gentilium impietas idololatriæ deſtinaverat loca, ea pientiſſima HELENA, Con-

ſtantini Imper. mater, cultui divino Sacra reſtituit. Poſtqvàm enim ineunte feliciſſimô à Nativitate Chriſti ſeculô, qvod qvartum fuit in ordine, Eccleſia Chriſtiana halcyoneos dies nacta eſt, benignitatis divinæ monimenta ſtudioſiſſimè inqviri & inventa exornari cœperunt; in qvo ſtudio ſummè eminuit omni laude major Inclyta HELENA, qvippe qvæ ea loca, in qvibus Salvator noſter verſatus eſt, ſplendidiſſimis templis, DEO conſecratis, exornavit, inter qvæ Bethlehemiticum unum è præcipuis fuit, de qvo EUSEBIUS, *lib.* III. *de vita Conſt. M. c.* XLII. ſeqventia refert: *DEO qvem adoraverat, duo dicavit templa, qvorum alterum ædificavit in monte, ubi aſcenderat, alterum ad obſcurum illud antrum Nativitatis ejus* (πρὸς τῷ τῆς γεννήσεως ἄντρῳ) *Qvia enim DEus in terris pro nobis naſci ſuſtinuit, qvem Nativitatis Ejus locum Bethlehem Hebræi appellant, ideò Imperatrix Sanctiſſima Deiparæ partum eximiis monimentis exornare, & ſacrum illud antrum variis cujúſqve generis inſignibus illuſtrare ſtuduit. Imperator autem paullò pòſt eumdem locum ornamentis regalibus honorare & monimentis ex auro & argento variiſqve aulæis matris ſuæ magnificentiam adaugere cæpit.* Teſtantur de amplitudine & præſtantia hujus templi rudera, qvæ adhuc hodie ſuperſunt. Vide BREUNINGII *Itiner.*

§. 25. His & ſubſeqventibus temporibus Chriſtianorum qvamplurimi Patriâ Salvatoris adeò delectati ſunt, ut omnem vitam ſuam Bethlehemi egerint. De Paula Romana dictum eſt anteà, §. 19. De S. Hieronymo idèm conſtat; imò exſtat *Tom. I. Oper Hieronymi* ſcriptum qvoddam, qvod ERASMUS ROTERODAMUS inter γνήσια, ſeu ea, qvæ verè ſunt Hieronymi, recenſet, Titulus eſt: *Paula & Euſtochium Marcellæ ut commigret Bethlehem*, in qvo ſcripto hoc unum agunt Paula & Euſto-

ſtochium (mater ſcilicet & filia) qvæ jam demigrârant in Bethlehem, (vel Hieronymus potiùs nomine Paulæ & Euſtochii) ut Marcellam nobilem feminam permoveant, qvò Româ relictâ ad loca ſancta ſe conferat, fruitura tot Chriſti monumentis: *O qvando illud tempus adveniet*, inqviunt, *cùm anhelus nuncium viator apportabit, Marcellam noſtram ad Palæſtinæ littus appulſam, & toti Monachorum chori, tota virginum agmina concrepabunt? Obviam jamjámqve geſtimus occurrere, & non expectatô vehiculô concitum pedibus ferre corpus. Tenebimus manus, ora cernemus, & à deſiderato vix avellemur amplexu Ergo ne erit illa dies: qvando nobis liceat ſpeluncam Salvatoris intrare? In ſepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum, & in oliveti monte cum adſcendente Domino, votô & animô ſublevari? Videre exire Lazarum faſciis colligatum, & fluenta Jordanis ad lavacrum domini puriora: Inde ad Paſtorum caulas pergere, in David orare Mauſoleo? Amos Prophetam etiam nunc buccinâ paſtorali in ſua conſpicere rupe clangentem? Ad Abraham Iſaac & Jacob, trium qvoqve illuſtrium feminarum vel tabernacula properare, vel memorias? Videre fontem, in qvo à Philippo Eunuchus eſt tinctus? Samariam pergere, & Johannis Baptiſtæ, Heliſæi qvoqve & Abdiæ pariter cineres adorare? Ingredi Speluncas, in qvibus perſecutionis, & famis tempore Prophetarum agmina ſunt nutrita? Ibimus ad Nazareth: & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ. Et tunc comitante Chriſtô, cùm per Silo & Bethel & cetera loca, in qvibus Eccleſiæ, qvaſi qvædam victoriarum Domini ſunt erecta vixilla: ad noſtram ſpeluncam redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, indeſinenter orabimus & vulneratæ jaculô Salvatoris in commune dicemus, inveni qvem qvæſivit anima mea:*

mea: tenebo eum & non dimittam illum, &c.

§. 26. Vides qvantam animorum commotionem intuitus locorum Sacrorum efficere potuerit, eô qvidem ſeculô, qvô parum pius ſibi videbatur, qvi Bethlehemi & Hieroſolymis non fuiſſet, non qvòd putârint Veteres, peregrinationes † ad loca Sacra ſimpliciter neceſſarias eſſe, vel merendi virtutem habere; ſed qvòd ſtimulos ardentiſſimarum precum & inculpatæ vitæ in iiſdem locis vehementer ſenſerint. Non poſſumus, qvin ex erudiſſima illa HIERONYMI ad Paulinum Epiſtola, qvâ de inſtitutione Monachi agit, qvædam recenſea-

† Vide B. Gerhard. Tom. VIII. Locor. Locô XXIX. §. 124. Q. VII. p. m. 77. ſ. edit. opt. Francof. M. DC. LVII. in fol. in Explicatione Euangelior. ἐλεγχτικῇ, p. m. 92. ſ. 219. edit. Jenenſ. & in Commentar. in Deuteron. p. m. 144. 989. edit. Jenenſ. M DC LVII. in 4to; B. Salom. Geſner. in Geneſ. p. m. 832. ſ. edit. Witteberg. MDCXIII. in 4to, B. David Rungii Prælectiones in Exod. p. m. 91. ſ. edit. Witteb. 1614. in 8t. B. Dannhawer. in Programm. ad Diſſertationem IV. B. Dorſchei Heptadis Diſſertationum Hiſtorico-Theologicar. p. m. 298 ſ. edit. Roſtoch. M DC LX. in 12. & Dorſcheum ipſum, Diſſertatione IV. laudatâ totâ p. 303. ſ. & in præfatione Specimini Sceleromaniæ Pontificiæ circa reliqvias SS. Marci & Lucæ præmiſſa, p. m. 31. ſ. edit. Argentorat. M DC XLIII. in 12. B. Buchner. in Prudentii Hymn. p. 98. 99. B. Joh. Giſenium, Diſp. XXIV. §. 52. ſ. Papiſmi, part. II. p. 402. ſ. edit. Giſſ. M DC XXIII. in 4to. B. Geier. de Superſtitione, c. III. §. 14. p. m. 24. edit. Lipſienſ. 1660. in 4to. Richard. Montacut. Tom. I. Origin. Eccleſ. p. 43. ſ. Richard. Holdſworth. part. I. Prælectionum Theologic. p. m. 353. Joh. Henr. Höttingerum in Analectis Hiſtorico-Theologicis, Diſſert. I. p. m. 61. ſ. Joh. Henr. Heideggerum in Diſſertatione de Peregrinationibus religioſis, Tiguri edita M DC LXX. in 8t. Joh. Brucherum in Veritate Religionis Reformatæ, Cauſſâ VII. p. m. 69. ſ. edit. Arnhemienſ. 1614. in 8t.

ſeamus, qvô hiſtoricè cognoſcamus qvæ fuerit Veterum Bethlehemum & Hieroſolymam commigrantium opinio & intentio, Theologicè eamdem examinent alii. *Non Hieroſolymis fuiſſe*, inqvit Beatus Pater, *ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt. Illa expetenda eſt civitas, non qvæ occidit Prophetas, & Chriſti ſangvinem fudit: ſed qvam fluminis impetus ædificat: qvæ in monte ſita, celari non poteſt, qvam matrem ſanctorum Apoſtolus clamitat. In qva ſe municipatum cum juſtis lætat habere. Neqve verò hoc dicens memetipſum inconſtantiæ redarguo, damnóqve qvod facio: ut fruſtrà videar ad exemplum Abraham & meos & patriam reliqviſſe, ſed non audeo Dei omnipotentiam, anguſtô fine concludere & coarctare parvô terræ locô, qvem non capit cælum. Singuli qviqve credentium, non locorum diverſitatibus, ſed fidei meritô ponderant. Et veri adoratores, neqve Hieroſolymis neqve in monte Gazarim adorant patrem: qvia DEus Spiritus eſt: & adoratores ejus in Spiritu & veritate adorare oportet. Spiritus ſpirat ubi vult, Domini eſt terra & plenitudo ejus. Poſtqvàm ſiccatô Judææ vellere univerſus orbis cæleſti rore profuſus eſt: & multi de Oriente & Occidente venientes recubuerunt in ſinu Abrahæ: Deſiit notus eſſe tantùm in Judæa DEus: & in Iſraël magnum nomen ejus: ſed in omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Salvator ad diſcipulos loqvens, cùm eſſet in templo: Surgite: inqvit, abeamus hinc. Et ad Judæos: Relinqvetur vobis domus veſtra deſerta. Si cælum & terra tranſibunt: utiqve tranſibunt omnia, qvæ terrena ſunt. Et crucis igitur & reſurrectionis loca proſunt his, qvi portant crucem ſuam, & cum Chriſto reſurgunt qvotidie: qvi dignos ſe tantô exhibent habitaculô. Ceterùm qvi dicunt, templum Domini, templum Domini, audiant ab Apoſtolo: Vos eſtis templum Domini, & Spiritus ſanctus*

habi-

habitat in vobis. Et de Hieroſolymis & de Britannia, æqvaliter patet aula cæleſtis. Regnum enim intra vos eſt. Antonius & cuncta Ægypti & Meſopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum, non vidêre Hieroſolymam, & patet illis abſqve hac urbe Paradiſi janua. Beatus Hilarion cùm Palæſtinus eſſet, & in Palæſtina viveret, uno tantùm die vidit Hieroſolymam: ut nec contemnere loca ſancta propter viciniam nec rurſus Dominum loco claudere videretur. Ne qvicqvam fidei tuæ deeſſe putes, qvia Hieroſolymam non vidiſti; nec nos idcircò meliores exiſtimes, qvòd hujus loci habitaculô fruimur: ſed ſive hic ſive alibi, æqvalem te pro operibus tuis apud Dominum noſtrum habere mercedem, &c.

§. 27. Tandem verò pleraqve Chriſtianæ vitæ veſtigia deleta ſunt, qvando Barbara Saracenorum gens terram ſanctam occupavit, ut commentitia ſint vel incerta, qvæ hodie illic monſtrantur. Accidit miſeranda clades tempore Heraclii Imperatoris; Annô enim ejuſdem vigeſimô ſextô, Chriſti ſexcenteſimô qvadrageſimô primô, Saraceni, ſub Duce Homar, adverſus Hieroſolymam acies direxerunt, qvæ bienniô obſeſſa ad hoſtem deditionem fecit. Moliti eqvidem ſunt Chriſtiani † terram ſanctam Saracenis eripere, qvando circa finem ſeculi undecimi, inſtigatore PETRO HISPANO Eremitâ, & ſvaſu URBANI II. Pontificis Romani pleriqve Europæi Principes ad bellum Sacrum ſe accinxerant atqve exercitum 600000. militum (ut nonnulli ſcribunt,) adverſus Turcas & Saracenos eduxerunt, qvorum qvilibet Crucem è purpureo panno confectam, veſtibus ſuper dextram ſca-

pulam

† De multiplicibus fraudibus in expeditionibus ad Terram ſanctam ſub ſigno crucis adornatis integram habuit orationem B. D. Dorſcheus in Heptade citata, Diſſertat. III. p, 193. ſ. Adde Cl. Dn. Cellarii Programmata, n. XIV. p. m. 77. ſ.

pulam affixit, unde qvi profecti ſunt in eam expeditionem CRUCE SIGNATI & ipſa expeditio CRUCIATA vocata eſt: Verè tamen multis Chriſtianorum millibus cruciatus & calamitates Sacrum Bellum attulit; Qvamvìs enim expeditio hæc ab initio ſatis feliciter ſuſcepta videretur, dum ducibus GODEFREDO BILONENSI LOTHARINGIÆ PRINCIPE, EUSTACHIO & BALDUINO ejus fratribus, HUGONE M. Fratre Regis Francorum, ROBERTO Comite Normannorum, BOEMUNDO duce Apuliæ & infinitis aliis, annô, uti annotat GENEBRARDUS 1099. Idibus Jul. fer. 6. Horâ, qvâ Chriſtus mortuus eſt, Chriſtiani Hieroſolymam ipſam expugnârunt, editâ tantâ hoſtium Strage, ut, teſte ROBERTO MONACHO corpora cæſorum, undâ Sangvinis impellente, natârint ac fluitârint, adverſa tamen omnia Chriſtianis paullo pòſt acciderunt, adeò, ut Metropolis ipſa, poſtqvàm octoginta & octo annis à Chriſtianis habitata eſſet, tandem amiſſa & tota Palæſtina à Barbaro hoſte recuperata fuerit, neqvaqvàm obſtantibus Fridericô Imperatore Romanô, Philippô Galliæ, & Richardô Angliæ Regibus, aliíſqve. Qvâ ratione bellô hôc Chriſtiani nihil aliud obtinuerunt, notante CL. HOTTINGERO, qvàm qvòd à victoribus paullò pòſt Saracenis & duriore preſſi fuerint ſervitute, loci illius Chriſticolæ, & qvôd ipſa fides Chriſtiana, propter ſceleratam coloniarum vitam, perpetua & perniciosa principum diſſidia blaſphemata fuerit. Atqve hæc de Annalibus Bethlehemiticis dixiſſe ſufficiat, Laudârunt alii Imperatorum vel Principum natale ſolum, nos Regis Regum & Domini Dominantium laudavimus patriam: *Bethlehem ecce in hoc parvo terræ foramine, cælorum conditor natus eſt. Hìc involutus pannis, hìc viſus à paſtoribus, hìc demonſtratus à ſtel-* la.

la, hic adoratus à Magis: & puto ſanctior locus eſt Trapeâ, qvæ de cælo ſæpius fulminata, oſtendit, qvid Deo diſpliceat. Utinam adhuc ea ibi eſſet rerum facies, qvæ HIERONYMI tempore, cujus proxima fuerunt verba, ut dicere poſſemus, qvod ille ad Marcellam: *In Chriſti villa tota ruſticitas eſt. Extra Pſalmos ſilentium eſt. Qvocumqve Te verteris, arator ſtivam tenens Alleluja decantat. Sudans meſſor Pſalmis ſe avocat, & curvâ attondens vites falce vinitor aliqvid Davidicum canit. Hæc ſunt in hac provincia Carmina: hæ (ut vulgò dicitur) amatoriæ cantiones!*

COmmendare hominem ſolet incluta Patria, qvidni
Commendet Patriam qvoqve ſplendida origo Virorum?
Sic eſt: qvid multis? Bethlehemi mænia ſpectes
Oppiduli vilis, cujus jam nomen in altum,
Qvantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi,
Natales Chriſti tollunt, ortúſqve Parentum.
Hoc doctè tradis RÖDING: *Sic pergito, famam*
Præclaram facies Patriæqve Patríſqve; *Qvod opto!*

PRÆSES.

SOLI DEO GLORIA.

XII.

א״ה

VITA

D. PETRI,

DISSERTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA DESCRIPTA,

Quam

VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI CONSENSU

Sub. PRÆSIDIO

DN. ÆGIDII STRAUCH, S. S.
Theol. Licent. Subſtit. Hiſt. P. P.

Dn. Præceptoris, Promotoris atqve Hoſpitis ſui omni obſervantiæ cultu ætatem proſeqvendi

In Illuſtri ad albim Academia

PLACIDÆ Συμφιλολογούντων COLLATIONI

EXHIBET

NICOLAUS PETRÆUS
Wilſtriâ-Holſatus
A. & R.

Ad d. X. Decemb. Annô M DC LIX.

בהנוא

PROOEMIUM.

CElebris hic eſt dies ſingulari & heroicô Divi noſtri Lutheri factô, labefecit enim Pontificis R. vi & fraude erectum Imperium. Hôc, inqvam, die, imò ipſiſſimis hiſce horis juſtô inflammatus Zelô, proceſſit Lutherus ad portam Elſtrinam, magnâ Studioſorum catervâ cinctus. Paratus eſt rogus: accenditur à Philoſophiæ Doctore. Hinc vidiſſes Lutheri μεγαλοψυχίαν. Flammis injicit Leonis leoninum atqve blaſphemum diploma, adjectô inſuper Pontificiô jure, hiſce Samſonis verbis: Qvemadmodùm fecerunt mihi, ita feci eis. Heroicum factum! Non timuit â fulmine Pontificis: nam fulgur ex pelvi id eſſe perſpexit. Non veritus eſt gladium Papæ: illegitimum enim eſſe illum, non ignoravit. Claves in Tiberim eſſe projectas, habuit exploratum, nec poſſe iiſdem cœli viam intercludi, certò credidit: cùm tanti non ſint roboris, valoris atqve autoritatis. Hæc fateri nolentes Pontificii, omni conamine Papæ Eccleſiaſticam juxta atqve Secularem in omnes Chriſtiani nominis tyrannidem confirmare annituntur. Unica autem ipſorum probatio in ficta D. Petri ſucceſſione eſt fundata. Qvam qvia ab Epiſcopali ejuſdem in Urbe 25. annorum deducunt ſede, qvanta ipſi admetienda ſit fides, qvámqve infirmum

mum ſit fundamentum illud; ad oculum cuilibet veritatis φιλῳ לחר demonſtrabo. Præſcindantur, ad Chorum qvæ pertinent Theologorum. Animo autem non ſedet, gloriam nomini D. Petri detrahere: qvippe illa non conſiſtit in ea, qvam fingunt, ſede. Eqvidem ſimulant, ſe parare eô S. Petro memoriam glorioſam; ſed reverà ſuam qværunt. Jactitant ſe ſucceſſores Petri; Petri verò honoribus non ſatiantur. Rectè de Papa qverentem introducit Guntherus Fridericum Barbaroſſam Imp. *Jam non ferre crucem Domini, ſed tradere regna Gaudet, & Auguſtus mavult, qvàm Petrus, haberi.* CHRISTI ſe venditant Vicarios, multíſqve paraſangis Petro ſe anteponunt. Non obſtupeſcas, qvæſo: audi, & abominare. In Concilio ſub Agathone habito epiſtolæ nonnemo ſubſcribens, Petrum vocat beatiſſimum, Agathonem verò Papam ter beatiſſimum. Horrendum! Sed qvid multis? Hujuſcemodi omnes ipſorum redundant libri. Rem ipſam aggrediemur.

Da DEUS vires!

SECTIO I. HISTORICA.

§. I. Dum in præſenti de Divo Petro commentari qvædam animus eſt, auſpicamur non immeritò noſtra meletemata à nomine S. Apoſtoli. Vocatur is nomine à Parentibus ſibi inditô *Simon*, qvod vocabulum Obedientem notat. Per hunc verò Simonem non intelligimus nos Simonem Ζηλωτὴν, (ad cujus differentiam noſtro Simoni cognomen *Petri* à CHRISTO inditum eſſe, minùs congruè nonnulli arbitrantur) qvem aqvè aliàs Apoſtoli nomine Salvator noſter ornavit. Luc. VI. 15. & qvem Matthæus κανανίτην appellat, c. x. 4. qvod nomen τῷ Ζηλωτὴς reſpondet: nam & Cana Zelum ſignificat, inqvit Dn. D. Ægid. Hunnius (קנא) in comm ad h. l. p. 321. atqve ideò non eſt ἐθνικὸν nomen ut etiam

etiam à ſummo Caſaubono docemur, Exercit. XIII. ad Annal. Eccl. Bar. §. 20. p. 276. id qvod apponimus in gratiam Baronii, qvi Simonem hunc Cananæum vocitans, ſtatuendum cenſet, nuptiis hujus adfuiſſe CHRISTUM in Cana Galilææ vide tom. I. Annal. Eccl. ann. CH. 31. num. 31. p. 115. edit. Col. 1624. Diſſertatio noſtra erit de D. Apoſtolo Simone, cui adjecit CHRISTUS cognomen Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. Joh. I. 43. Hinc ut plurimùm in Sacris *Petrus* dicitur, vel cognominatur. Adjecit, dico; Simonis enim nomen non ademit ac mutavit; qvod vult Bellarminus, Simonis nomem mutatum eſſe in *Petri* aſſerens, atqve hoc qvidem Soli contigiſſe *Petro*, cæteris cognomen tantùm eſſe additum. Vide lib. I. de Rom. Pont. c. XVII. p. 574. ac tom. I. edit. Col. annô 1619. Qvamvis autem verbum (μετονομάζειν) adhibeant ſæpe Patres, non tamen adeò accuratè & ſtrictè id faciunt, ut notat Caſaubonus Exercit. XIII. in A. E. Bar. §. p. 258. ubi novi cognominis rationem ſubjungit. Non repugnat Ravanelli in Bibl. S. ſub voce Petri p. 2. 89. a. Eſto, (ſtent Patres à parte Bellarmini, ſtabunt contra S. Scripturam, qvæ non denegat Petro Simonis nomen etiam poſt CHRISTI aſcenſionem,

§. 2. In Syriaco, qvô qvondam uſus eſt CHRISTUS, idiomate ܟܐܦܐ petram, lapidem & ſaxum notat, imò & *cautem*, qvod aſſerenti Baronio largimur, ſed malè id applicare, ferre neqvimus. Vide loc. cit. n. 26. p. 110. Uſurpatur autem hoc vocabulum etiam nomine propriô, & indigitat *Petrum*, qvô ſignificatu ſexagies novies in N. T. legitur, numerante Crineſiô in Lex. Syr. ſub hac voce. p. 203. Qvare falluntur Bellarminus atqve

qve Baronius, qvorum hic Auguſtinum vim vocis Syriacæ non fuiſſe aſſecutum ait, ann. Chriſt. 33. n. 25. p. 152. Ille maculam ignorantiæ B. Auguſtino affricaturus, Cepham aliud nihil, qvàm petram ſignificare clamitat, lib. 1. de R. P. c. x. p. 547. a. quod idem inculcat in præf. ad h. l. p. 498. Verùm eleganter Caſaubonus: Errant etiam, inqvit, & qvidem graviſſimè, qvi exiſtimant, inter hæc duo nomina Cepha Petra, & Cepha Petrus, nullum eſſe diſcrimen, qvia litteris ſcribuntur iiſdem: qvod cùm dicunt, Grammaticorum pariter & Philoſophorum pueris propinant ſeſe ridendos. Propriè & verè illa nomina ſunt eadem, qvorum ſignificatio eadem eſt, non qvæ ſcribuntur literis iiſdem. Exercit. xv. ad A. E. B. §. 12 p. 387. & p. 397. Qvod autem voce ܟܐܦܐ ܟܐܦܐ c. xvi. 18. Matthæi (pro qvo loco, qvàm pro focis & aris, magìs bellat Bellarminus) notetur ſimul Petrus & Petra; probamus exinde, qvia priori Parapraſtes Syrus maſculinum ܗܘ, poſteriori verò femininum ܗܕܐ hodo (non ut legit nonnemo hada, nec ſunt articuli.) præponit: verba ſonant ita: ܐܢܬ ܗܘ. ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ܐܒܢܝܗ ܠܥܕܬܝ. Licèt alioqvin poſterius per maſculinum interpretari liceat, ſicuti docet Dn. Dilherrus in rud. Gramm. Syr. lib. III. ſ. 2. §. 3. p. 181. explicandum tamen hôc locô eſſe per femininum, tum ex locis aliis parallelis, tum præſertim S. Matthæi authenticâ ſcriptione comprobamus. Sic autem ille: σὺ εἶ Πέτρος, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ &c. Adiſis Philologiam Sacram Dn. D. Glaſſii b. m. Rhet. S. tr. II. c. II. p. 527. ſ. 1429. Dn. Dilherr. in Eclog. Sacr. dict. III b. p. 85. & 91. Conſtanter námqve cum Caſaubono aſſeveramus, majus myſterium latere in Syriacis vocibus, qvàm in Græcis d. l. Exercit. XIII. §. 16. p. 266.

p. 266. Confer egregiè & prolixè, de hiſce differentem Dn. D. Balth. Meiſnerum (גנעב) in Phil. Sobr. part. II. ſ. 1. q. IV. p. 322. ſeq.

§. 3. Neqveo hic præterire vocis hujus Syriacæ derivationem, qvam monſtri ſimilem Dilherrus noſter rectè appellat, d. l. p. 98. Scilicet Optatus Afer, lib. II. contra Parm. Cephas deducit à κεφαλή. A Gratiano autem adſcribitur hæc Etymologia Anacleto, teſte P. Ravanellô d. l. ſub vocabulo Cephas, p. 249. b. Qvilqvis ſit, Optato adſcribimus, cui id ignoſcimus cum Caſaubono, d. l. Exercit. XIII. §. 18. minimè verò Baronio & Bellarmino illam Etymologiam defendere conantibus. Hunc vide lib. 1. de R. P. c. XVII. p. 574. Ille ann. Tib. 15. n. 27. p. 111. ita loqvitur de ea. Ac ſic, inqvit, divinâ qvâdam diſpenſatione factum videtur, ut unâ eâdemqve voce, duabus lingvis, Petri principatus exprimeretur. Verùmenimverò res in ſalvo eſt: Videtur tantùm. Nobis inſpicienda qvoqve erit vocis κηφᾶς Græca verſio, qvæ ipſo Spiritu S. interprete ἑρμηνεύεται Πέτρος: de qva voce liceat pauca hic adnotare. Occurrit qvidem, inqvit, Dn. Dilherrus, apud Poëtas & Hiſtoricos, qvi Atticâ ſunt uſi dialectô, etiam Πέτρος, tanqvam appellativum, ſed in N. T. non invenimus, niſi λίθον & πέτραν, nullibi Πέτρον. Vide Eclog. d. l. p. 90. Conducit hæc nobis obſervatio adverſus Baronium, loc. cit. n, 24. p. 110. nec non Bellarminum, loc. cit. c. x. p. 543. Ubi cauſſam, cur verſio Latina non dicat: Tu es petra; rejicit in textum Græcum, ubi æqvè valeant, ὁ πέτρος & ἡ πέτρα, maſculinum autem viro magis eſſe conveniens, id qvod obtenditur etiam à Baronio, d. l. Sed exceptio eſt frivola & inconveniens. Autores profani nihil qvidqvam nobis obſtant: Etſi enim apud illos occurrit vox πέτρος appellativè, hæc nihilominùs inter πέτρον & πέτραν differentia da-

tur, qvòd πέτρος ſit lapis, ſaxum, idem qvod ὁ λᾶας vel ὁ λίθος, lapis ejuſmodi, qvi projici vel provolvi, vel qv cumqve modô locô moveri poteſt, latiùs vero pateat ἡ πέτρα, uti prolixè demonſtrat Noſter Eraſm. Schmidius p. m. not. in Matth. c. VII. 24 adde Caſaub. d. l. Exercit. XV. § 12. Simon igitur, „verbis utar magni Theologi Dn. D. Gerhardi (כפא) à petra dictus fuit Petrus, qvia per fidem ſeipſum, per confeſſionem & prædicationem etiam alios ſuper CHRISTUM veram petram ædificavit. Vide Confeſſ. Cath. lib. II. art. III. c. II. p. 561. b. item p. 574. b. Non enim, inqvit B. Auguſtinus, à Petro petra, ſed Petrus à petra nomen accepit. Regerit qvidem Baronius, Auguſtinum in Retractationibus rem cujuſvis judicio permittere; verùm, vera dum loqvuntur Patres, jure laudantur, ſin minùs, ſecus. Sed ſubjicit Baronius ratiunculam, inqviens: Certè adhuc ſi Petrus derivatione diceretur à petra; non Petrus, ſed Petreus potiùs fuiſſet Latinè dicendus. Ceterùm mi Baroni, decepit te tua Grammatica: unde ſunt dicti Fabii, Lentuli, Cicerones & Piſones? Concludam coronidis locô Dn. D. Gerhardi ſyllogiſmô cornutô; qvem ſuppeditat in Conf. Cath. lib. II. art. III. c. II. p. 555. hiſce verbis: Vel ſenſu idem eſt, Tu es Petrus, & tu es Petra, vel non eſt idem. Si prius, Petrus illo ipſo tempore, qvô hæc ei dicta, conſtitutus fuit Eccleſiæ fundamentum, qvod tamen Bellarminus negat, lib. I. c. X. de R. P. ubi hoc tantùm eſſe promiſſum ait) Si poſterius, tum enervatur argumentum, qvod ex eodem nomine Syriaco Cepha, utroqve à CHRISTO uſurpato Bellarminus elicit. Confer p. 558. Adde Dn. D. Meiſn. loc. cit. §. 5. p. 326. Hic Syllogiſmus mihi eſt colophonis locô; nam omnia adverſariorum enarrata objecta facilè ſolvit. Anteqvàm autem hæc dimittamus,

mus, occurremus prædictis Cardinalibus, qvàm plurimos cumulantibus Patres, Petrum vocantes Petram. Vide Bellarm. lib. I. c. x. de R. P. p. 543. ſeqq. Baron. ann. CH. 33. n. 22. ſeqq. Concedimus nos lubenter, S. Patres ſæpiùs fuiſſe ita locutos, ſed non in ſenſu Pontificiorum. Poſitô, non conceſſô, ſenſiſſe illos cum adverſariis, non tamen cogeremur nos ipſis adſtipulari, qvia Patres non agnoſcimus normam infallibilem. Qvinimò ipſi adverſarii mendacii pleroſqve ac hæreſeos coarguunt, qvod commonſtrat ſatis Dn. D. Gerhardus in Conf. Cath.

§. 4. His defenſis, alia adjungemus D. Petri nomina, vel potiùs epitheta. Teſte Dn. D. Dannhavverô, Chryſoſtomo dicitur Petrus, qvaſi πεπηγμένος τῇ πίστει. Caſaubonô referente, Petrum vocat Theophylactus πρακτικὸν & θερμόν. Rationem addit talem: In Petri humeris præcipua qvædam cura incumbebat ædificandæ domus DEI, propter fidei propagationem, atqve ut ita dicam, propter practicam Theologiam. vide Exercit. XIII. d.l. §. 13. p. 259. de vocis θερμοῦ vera ſignificatione lege eumdem, Exercit. XIV. p. 322. 323. §. 6. In Volumine ſacro nuncupatur Galilæus, Matth. XXVI. 73. Luc. XXII. 57. Actor. II. 7. à Patria ſcilicet, qvæ dicta fuit Bethſaida, ob piſcaturam aut venationem. Joh. I. 44. Primitus hæc pagus fuit Galilææ Inferioris, (de qva vide Joſeph. lib. III. c. II. & c. XVIII. de Bell. Jud.) proxima ſtagno Genneſaret, 14. milliaribus ab Hieroſolymis diſtans, juxta Büntingium, in Itin. N. T. p. 21. Poſteà urbs facta eſt curâ Philippi, qvi Juliam vocari eamdem voluit à Cæſaris filia, cui nomen erat Juliæ, qvemadmodùm ſcribit Hiſtoricus Judæorum, loc. cit. c. XVIII. hodie vix ſex ædibus conſtat, ex aſſertione jam laudati Büntingii, loc. cit. Prætereà vocat qvoqve eum S. Scriptura

filium Ιωνᾶ Joh. I. 43. qvem locum elegantiſſimè παραφράζει Caſaubonus, Exercit. XIII. §. 260. verba ejuſdem hæc ſunt: Novi Ego te, Simon, qvis ſis: nempe tu filius es Jonæ, qvæ vox columbam ſignificat, ipſe columbæ ſimilis: timidus, & virium nullarum. Sed me vide: ego te & miniſterio arduo deſtino, & vires tanto oneri pares volo ſufficere. in cujus rei ſignum atqve teſtimonium eſto deinceps Petrus nomine: non de qvavis Petra appellatione derivatâ: ſed de me ipſo; qvi & ſum vera conſtantia atqve firmitas, & Petra vocor. &c. Ipſe Salvator D. Apoſtolum ita alloqvitur: c. XVI. 17. Matth. Μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ιωνᾶ; qvibus ejuſdem verbis non laudat Petrum, qvod Pontificii volunt, ſed beatum, qvod magis eſt, prædicat. Caſaub. exercit. XV. §. 12. p. 381. Tandem, ut alia officii nomina prætercam, frater dicitur Apoſtoli Andreæ Joh. I. 40. Matth. IV. 18. Atqve hæc videbantur præmittenda de D. Petri appellationibus, nunc qvæ ejus ſpectant geſta videbimus.

§. 5. Qvod ad προσωπογραφίαν, traditur nobis è Nicephoro talis: Petrus qvidem haud craſſâ corporis ſtaturâ fuit, ſed qvæ aliqvantò eſſet erectior, facie ſubpallidâ & albâ admodùm, capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodùm prominentes fuêre; oculi, qvaſi ſangvine reſperſi, nigri: ſupercilia propè evulſa: naſus autem longior ille qvidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus ſimúſqve magis. Vide Baron. ann. CH. 69. n. 31. p. 732. Decens ſanè, ſi vera eſt, effigies: mirum, qvòd non aſcribant eam D. Lucæ, qvem ceteroqvin qvatuor D. Mariæ imagines Romæ depinxiſſe in eo loco, ubi nunc templum eſt Mariæ, qvæ dicitur Inviolata, ferunt, teſte Calvinô, in admon. de Reliq. p. 282. Verùm nec vacua eſt mendaciis: ſic enim Baronius ex indole ſua commen-

mentatur: Sed ea, inqvit, de oculis ſangvineis ſic accipe, qvòd aſſiduò ploràſſe referatur. Ceterùm in hanc ſententiam ego dico; ea ſic accipe de continuis lachrymis, qvòd falſa ſint, naturæ contraria, ἀδύνατα.

§. 6 Qvâcumqve fuerit formâ, hoc eſt certum, à teneris, qvod dicunt, ungviculis, ſicuti ex omnibus actis ejus elucet, ad diligentiam conſvefeciſſe ipſum Parentes. Piſcaturâ ſibi ſuiſqve victum qvæſivit: Negotiis enim, qvemadmodùm ex Sophronio *Baronius* loqvitur, intendebat: uxoris & familiæ & Parentis ſenio providebat. Neqve tamen in divitiis acqvirendis fuit ſollicitus: Enimverò domum habitavit ſat auguſtam: qvippe ædes ipſi fuerunt eædem cum fratre Andrea, Marc. I. 29. An verò Andreâ fuerit ætate major, certi qvid nos habere, nego: qvamvìs affirmetur à Baronio. ann. Tib. 15. n. 23. p. 109. ab aliis tamen negatur. Hoc habeo certum, maritam ipſi fuiſſe: qvia Socrum ejuſdem (ܚܡܬܗ inqvit Syrus) à febri liberavit CHRISTUS Matth. VIII. 14, 15. Marc. I, 29. Ex natura correlativorum, inqvit B. Schmidius, ſeqvitur, Petrum fuiſſe generum filiæqve hujus ſuæ πενθερᾶς maritum. Vide not. in h. l. p. 162. & 387. Omnem hìc tollit ambiguitatem vox Syriaca ܚܡܬܐ, qvæ nihil aliud, qvàm Socrum ſignificat. Non urgebo ipſorum Pontificiorum confeſſionem, dum D. Petro filiam tribuunt, nomine Petronillam, de qva mox diſpiciemus. Neqve adducam martyrium uxoris Petri, ſiqvidem apud unicum id legi Clementem aſſerit Philippus in Chron. Car. lib. III. p. 12. b. edit. Witteb. ann. 1562. Non abſunt ab hac ſententia ipſi B. Patres. Sic enim ex Clemente loqvitur Euſebius, lib. III.

c. x.

c. x. hiſt. An & Apoſtolos improbant? Petrus etenim ac Philippus & uxores habuerunt & filias etiam viris nuptum dederunt, interprete Ruffinô Aqvilejenſi. Ceterùm & hoc habemus exploratum, D. Petrum non abhorruiſſe adeò à re uxoria, acceptô etiam jam dum Apoſtolatu: nam uxorem circumduxit ſecum D. Paulô Apoſtolatum jam ädminiſtrante, ipſo atteſtante. 1. Cor. ix. 5. Ubi non eſt ſermo de piis, qvod volunt Lojolitæ, feminis, qvæ ſeqvebantur Apoſtolos, eiſqve miniſtrabant, ſicuti ex ipſorum ſcriptis demonſtrat, aliiſqve comprobat argumentis Dn. D. Gerhardus in Conf. Cathol. lib. II. part. II. art. VI. c. IV. p. 113. copioſiùs in Appendice articuli illius memb. 3. §. 6. p. 203. Hæc conſtabilimus adverſus Baronii nugas, qvi ex Luc. VIII. 28. evinci credit, Apoſtolos conjugatos uxores reliqviſſe, iiſqve abſtinuiſſe. ann. CH. 33. n. 46. p. 160. Hinc etiam Petri falsò creditam filiam, nomine Petronillam, ante Apoſtolatum progenitam eſſe defendit, ann. CH. 69. n. 32. 33. p. 733. ubi contra Matyrologum pugnans, tandem ita concludit: Sed qvidqvid ſit, hæc de illa redduntur certa firmáqve majorum traditione, compluribus illuſtrata monumentis; Petronillam ſanctiſſimam virginem extitiſſe, eamdémqve à majoribus nominatam eſſe, qvavis ex cauſſa, filiam Petri; cujus nomine conſtructum fuerit vetus ac nobile cœnobium, ejúſqve natalis anniverſariâ commemoratione ſit celebris omnibus Martyrologiis, ac pariter Kalendariis illuſtrata. Verùm non qvidem negamus nos, *Petri* non ſterile connubium fuiſſe; ſed hanc ipſam *Petronillam* ab ipſo eſſe genitam, ut credamus, adduci non poſſumus. Enimverò ex nomine, fabulam eſſe, nemo non videt. Si enim ante Apoſtolatum eſt nata, unde nomen *Petronillæ*, à Petro derivatum ipſi imponi potuit?

Neqve

Neqve adeò fœcundum extitiſſe D. Petrum nobis perſvadebit qviſqvam, ut *bicorporem* gignere potuerit filiam, qvalis Petronilla fingitur, nam corpus unum integrum Romæ oſtendunt in ædeD. Petro dicata, alterum adoratur Cænomani in cœnobio Dominicanorum, propterea, qvòd homines ſanet â febribus, teſte *Calvinô in admon. de Reliq.* Qvod ad Kalendaria, iis nomina eſſe inſerta ex variorum cerebrorum figmentis, ſomniis ac ſuperſtitionibus, eſt in propatulo. Cui hæc non ſufficiunt, ſufficere autem poſſe exiſtimo, legat *Chamierum*, Tom. II. panſtr. lib. XVI. c. XI. n. 7. falſitatis argumenta contexentem: qvem qvidem inſpicere, optavi; ſed non contigit, citat illum *Dn. D. Gerhardus in Conf. Cath. lib.* I. *part.* II. *c.* XVI. *p.* 771. Hiſtoriam ipſam, prout à Martyrologo percenſetur, vide apud Dn. D. *Dannhawerum*, Martyrologum atqve Baronium committentem, Act. I. Paropt. Dram. ac Myth. theat. II. Ph. I. p. 865. ſ.

§. 7. Qvônam verò ætatis annô ad CHRISTUM perductus fuerit D. Apoſtolus, ignoramus: hoc tamen ſcimus, ipſum ſtatim à CHRISTI baptiſmo in Diſcipulorum album eſſe receptum. Joh. I. 24. cognomine Κηφᾶς acceptô, vel uti *Caſaubonus* cenſet, promiſſô: tum enim vera electio facta non eſt, prout rectè defendit Caſaubonus, d. l. Exercit. XIII. §. II. item *B. Dn. D. Hunnius* com. in Joh. c. I. p. 100. Sed mox ſubſecuta eſt electio ad Apoſtolatum, cùm locô piſcium, hominum conſtitueretur piſcator. Matth. IV. 19. Baptiſmô autem ipſum à CHRISTO fuiſſe initiatum, pernegamus: Præterqvàm enim qvòd S. Scripturæ contradicunt, Joh. IV. 2. mutuò ſeſe etiam mendacii arguunt Fraterculi: *Bellarminô* ſoli Petro hanc felicitatem tribuente, d. l. c. XXIII. p. 582. *Baroniò* autem Mariam Petro in hac prærogativa ſociam adjungente. ann. C.

31. n. 40. p. 117. Fabulæ hujus originem ex Euodio ductam legere licet in *Conf. Cath. Gerhardi*, lib. II. art. III. c. II. p. 582. b. Confer *Caſaubonum* in Exercitationibus ſæpè laudatis, Exercit. XIII. §. 24. p. 280.

§. 8. Poſthàc interfuit pleriſqve Domini noſtri præclarè actis: qvippe adſpexit CHRISTUM transſfiguratum Matth. XVII. 1. 2. Pet. I. 18. id qvod peractum credit pia Antiqvitas in monte Thabor, medio in Galilæa, qvatuordecim milliaribus ab Hieroſolyma diſtante, uti docet *Du. Büntingius*, loc. cit. p. 33. Paulò pòſt, cùm veniret CHRISTUS in urbem ſuam Capernaum, & ſolvendum eſſet vectigal, jubetur Petrus hamum mittere: qvô factô piſcem capit, in cujus ore, ſecundum CHRISTI prædictionem *ςατὴρ* erat, id eſt, pondus 4. drachmarum, qvod Hebræi שקל vocitant: *Hìc intelligo*, inqvit Cl. Hoſtus, *ſtaterem nummum argenteum tetradrachmum, qvi duo didrachma continet*. Vide Hiſtor. rei num. vet. lib. III. c. VII. §. 24. p. 482. lib. IV. c. II. §. 5. p. 623. Didrachmum autem noſtratis monetæ facit ſenos groſſos Miſnicos: ſeu vallenſis Joachimici uncialis (*thaleri*) qvadrantem. Vide eumdem, d. l. §. 3. p. 622. Qvomodo verò & qvando calvus fuerit redditus, eóqve calvitiô delectatus ſit CHRISTUS, Sacer codex ignorat, ignoramus, & nos. *Baronio* articulus propemodùm fidei eſt, dum e Germano Epiſcopo Conſtantinopolitano, cui, etſi careat autore, credendum eſſe ſtatuit, talia refert: Duplex, *inqvit*, corona circumpoſita capiti Sacerdotis, capillorum ſignificatione imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri; qvi cùm miſſus eſſet ad prædicationem Domini & Magiſtri, ei tonſa eſt ab his, qvi ejus ſermoni non credebant, ut illuderetur ab ipſis, eiqve CHRISTUS Magiſter benedixit, & infamiam in honórem, illuſionem in gloriam con-

ver-

vertit, & poſuit ſuper caput ejus coronam, non ex lapidibus pretioſis, ſed lapide & petra fidei, fulgeſcentem ſuper aurum & topazium, & lapides pretioſos, *ann. CH.* 58. *n.* 125. *p.* 621. Ceterùm effigiei à Nicephoro ſuprà ſuppeditatæ hæc non convenire, non dicam: dico commenta hæc eſſe, videlicet ut ſpeciem præ ſe ferat antiqvitatis ac pietatis novum & impium Monachorum de comis inventum. Certè ignari non ſunt Lojolæ ſocii, ſæpiſſimè nonnullos Regiam mentitos ſtirpem ad Regios adſcendiſſe honores, qvemadmodùm etiam ipſorum olim *Pontifex Johanna*, virilem mentita ſexum ad Pontificatum pervenit, de cujus hiſtoriæ veritate indubitata lege *Dn. D. Gerhardum in Conf. Cath.* innumeris, ipſorum etiam Pontificiorum, teſtimoniis eam ſtabilientem. Hinc pleraqve ſuorum ſtatuta, & fictos vivendi ordines à ſummis deducunt Sanctis, vel Patriarchis, vel Prophetis, vel deniqve Apoſtolis, qvinimò ab ipſo CHRISTO. Sed delectent ſe iis: nobis repetendus eſt *Petrus*; ςαυρώσιμῳ etiam interfuit, ubi cum Johanne & Servatore noſtro in eodem diſcubuiſſe lecto, aſſeverat *Baronius*, ann. CH. 34. n. 40. poſtqvàm oſtenderat, Romanorum fuiſſe, ſingulis qvinis attribuere lectum, eumdémqve morem ad Judæos perveniſſe, hæc ſubjungit verba: Et CHRISTI diſcipuli, (ut veriſimile eſt) qvini in ſingulis lectis diſcubuêre, in reliqvo autem tres tantùm, ipſe nempe & Johannes & Petrus: is enim veluti proximus, Johanni innuit, ut ex Domino Auctorem tanti facinoris qværeret, p. 177. Ceterùm veriſimile tantùm eſt; imò, ne qvidem, cum *Caſaubono* jure qvis diceret: Neſcio, an patiatur dici vox νεῦε: non enim poterat commodè illo ſitu oculorum nutu dare ſignum ſupra ſe cubanti: Et verè, ſi proximus Johanni fuiſſet Petrus, verbis poterat cum illo agere ut oculorum nutibus

non eſſet opus. Vide d. l. *Exercit.* xvi. §. 26. Sat qvidem reſponſi; hoc inſuper notetur, Romanis qvoqve in uſu fuiſſe poſitum, ad ſingulas menſas tres collocare lectos, in iiſqve ſingulis tres convivas; qvâ ſanè ratione admodùm vacillat obſervatio Baronii, Qvid? qvòd ipſi accubitum planè, qvem tamen nos non negamus, negare videantur, dum *pro reliqviis venditant Cœnæ hujus menſam, Romæ, ad Joannis Lateranenſis, teſtante Calvinô,* d. l. p. 276. a. Undè præclarè noſter *Schmidius*, Mendacii, *inqvit*, convincuntur illi, qvi in Papatu, neſcio, qvam menſam qvadratam, noſtratibus ſimilem, popello oſtentant, eámqve illud ipſum individuum eſſe commenti ſunt, ſuper qvo Dominus JESUS Paſcha ultimum cum Diſcipulis celebrârit. Vide not. in Matth. c. xxvi. 20. p. 344. Cœnâ autem hâcce peractâ, recipitur à CHRISTO D. Apoſtolus ad hortum Gethſemane, ubi advenientes CHRISTUM capturos auſu invadit audaci, ſervóqve Sacerdotis, cui Malchi nomen erat, aurem præſcindit gladiô ſuô, (*qvem etiamnum Pontificii ſervant, ut undiqve lucrum colligant, teſte Calvinô*, d. l. p. 285. *a.*) ſed CHRISTI interdicto ſtatim acqvieſcit, Joh. xviii. 10 11. Auſum verò hoc fuiſſe D. Petrum, qvia Galilæus erat, uti *Baronius* cenſet, ann. CH. 32. n. vii. p. 133. cenſendum non eſt: nam & reliqvi erant Galilæi. Legatur *Caſaubonus, Exercit.* xiv. § 6. *p.* 322. Atqve hæc ſunt, qvæ præprimis à Petro CHRISTO adhuc cum ipſo in Exinanitionis ſtatu verſante, geſta eſſe legimus: omnia hîc percenſere non eſt hujus loci.

§. 9. Nunc jam perluſtrabimus, qvidnam inceptârit poſt aſcenſionem Redemptoris noſtri. E veſtigio in proditoris locum de alio eligendo cum reliqvis Apoſtolis proſpexit: Actor. i. 15. Die poſt aſcenſionem decimô, effuſô cœlitus Spiritu S. concione

ſuâ 3000. hominum unâ vice convertit atqve baptizat. Act. II. 14. Dehinc cum Johanne templum adit horâ, qvâ ſolebant Judæi aliàs templum freqventare, nonâ, id eſt, qvartâ currente ante occaſum Solis Act. III. 1. Neqve verò hac in re, *inqvit B. Schmidius*, judaizârunt, aut profeſſioni Chriſtianæ adverſum qvid fecerunt: ſed ritum nec Legi DEI, nec Euangelicæ, qvam profitebautur, doctrinæ contrarium, boni publici cauſsâ obſervârunt. Vide *not. in h. l p.* 791. Qvare fruſtra probare exinde ſatagit *Baronius* ſuas canonicas horas, ann. CH. 14. n. 251. Præclara *Dn. D. Gerhardi* ſententia eſt apponenda. Atqvi Apoſtoli hac in re ſecuti ſunt, *inqvit ille Theologus*, morem tunc temporis inter Judæos Hieroſolymis receptum, qvem in Eccleſiam Chriſtianam ab ipſis fuiſſe deductum, & qvidem conſtitutione perpetuâ, id nullô probat argumentô. Notandum etiam, qvòd Baronius ibidem tantùm tres horas Canonicas Apoſtolis tribuat, unde verò reliqvæ qvatuor extiterint, invenire non poteſt. *Vide Conf. lib.* III. *part.* III. *art.* XXIV. *c.* I. *p.* 943. In ipſo autem acceſſu hominem oſtendit ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ claudum, qvem in nomine JESU CHRISTI Nazaræi integris donat membris. Act. III. 2. E veſtigio verò accurrenti populo concionatur in Salomonis porticu, ubi continuò à Sacerdote, Præfecto templi & Sadducæis apprehenſus carceri intruditur. c. IV. 1. 2. 3. ſed albeſcente jam ſeqvente die dimittitur perſpectâ ipſius παῤῥησίᾳ. Paucis pòſt Ananiam & Saphiram voce ſuâ ob mendacium ſcandadaloſum necat. Mox comprehenditur de novo unà cum aliis, & licèt januâ noctu ab Angelo apertâ evaſerit, poſterâ tamen die captus iterum virgis cæditur, & nomen CHRISTI concionari prohibetur, Act. V. Verùm neqvidqvàm. Occiſô *Stephanô*, perſecutio exoritur magna, adeò ut ſolum ver-

tere ſint coacti Chriſtiani, qvi hinc & inde, relictis Hieroſolymis, in Judæam ac Samariam ſe receperunt, *πλὴν Αποςόλων inqvit Lucas*, c. VIII. I. adeóqve & *Petrus* tunc Hieroſolymæ manſit. Samariâ verò τὸν λόγον τȣ̃ Θεȣ̃ ſuſcipiente, mittitur illuc cum Johanne, ultra octo lapides, uti computat *Büntingius, d. l. p.* 45. Diſſeminatô ibidem verbô divinô & hypocriſi Simonis Magi detectâ, Hieroſolymam repetit. Poſteà διερχόμενος διὰ πάντων Lyddam pervenit, urbem Palæſtinæ ad littus magni maris, qvinqve ferè milliaribus à Jeruſalem ſitam, juxta *Büntingium, cit. loc p.*48 & *B. Schmidium, not. in hunc loc. p.* 842. Ubi Æneam per 8. annos paralyticum ſanitati reſtituit. Act. IX. 32. ſeqq. Hinc à diſcipulis rogatus ad proximè jacentem Joppam (*Barbaris jam vocatur Sappho*) veniens Tabitham παρέστησε ζῶσαν Act. IX. 41. manſitqve ibidem ἡμέρας ἱκανὰς apud Simonem qvemdam coriarium, v. 43. (Nunc trium Regum Palatia vix ſufficerent excipiendo Petri (ut falsò creditur) Vicario, verba ſunt *B. Schmidii, in h. loc. p.* 846.) Deinceps per novem milliaria, ut tradit *Büntingius*, loc. cit. p. 45. divinô oraculô monitus ad Cornelium Cæſareæ habitantem ambulavit, qvem edoctum baptizari juſſit. Act. X. Qvô factô, Hieroſolymam redit, ubi, reliqvis facti ſui ratione redditâ, ab Herode carceri mancipatur occidendus. Sed qvid fit? jam ad mortem *inqvit Brentius*, perducendus erat, ſed qvia nondum venerat duodecima hora ejus, elapſus eſt, Angelô Duce, è vinculis.

Hæc autem vincula in manus deveniſſe cujuſdam ex Agrippæ familiaribus, ſed in CHRISTUM credentis, ſicqve per manus per qvatuor delata fuiſſe ſecula, ac tandem patefacta, Romam eſſe tranſlata, ex Metaphraſte *Baronius* recenſet, ann. CH. 44. n. 8. p. 346. De iiſdem *è Sigeberto* ita refert

Seth-

Seth. Calviſius: Eudocia, *inqvit*, Auguſta Conſtantinopolin redit, & ſecum affert tres catenas (ſi credere fas eſt) qvibus *Petrus*, qvando ab Angelo liberatus fuit, vinctus fuerat; & præterea reliqvias Stephani: item faſcias Salvatoris. Catenam autem unam mittit Romam ad filiam, & cum conſilio Romani præſulis ſolemnitatem ſancti Petri ad vincula Romæ inſtituit, Calendis Auguſti, qvæ electæ ſunt, qvòd Romani adhuc eô die gentili more Agonem Actiacum ab Auguſto eô die inſtitutum agerent. *Vide Op. Chron. ann. M.* 4388. *Chriſti* 439. *p.* 430. *b.* O pectora cæca! Jure gaudemus nos immortaliter, immortaléſqve DEO Ter Optimo Maximo fundimus grates, qvòd liberârit nos per ſervum ſuum D. Lutherum ex iſtis Ægyptiacis pluſqvàm tenebris. Enimverò eodem qvoqve hæſit lutô celeberrima hæc *Wittebergа*: qvippe etiamnum in Templo omnium Sanctorum, ſeu cathedrali, aſſervantur ejuſmodi reliqviarum 5005. particulæ, in qvibus numeratur etiam membrum qvoddam dictæ hujus catenæ, nec non particulæ aliqvot de D. Petri ſcipione, qvibus incredula plebs divinos exhibuit honores, de qvibus videri poteſt *Liber aliqvis vetuſtus, annô* 1509. *Wittebergæ impreſſus* die zeigung des Hochlobwürdigen Heiligthumbs der Stifftskirchen aller Heiligen zu Wittenberg, *deinceps operâ B. Franzii noſtri ipſo Jubilæô Euangelicô A.* 1617. *recuſus.*

§. 10. Qvónam verò tunc abiêrit *D. Petrus*, à Luca non memoratur: ſaltem hoc dicit: ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον, c. XII. 17. Romam certè non abiit, uti jamjam oſtendemus: ſine dubio docendo peragravit Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam atqve Bithyniam. Annis non multis pòſt interfuit Hieroſolymitano Concilio, non, ut fingunt, præfuit, ipſo non diffitente *Bellarminô*, lib. 1. de Concil.

Concil. c. xvi. qvando dicit: Concilio Hieroſolymitano Act. xv. deſcripto omnes Apoſtolos, tanqvàm Judices, ad definiendum interfuiſſe. Ad qvæ præclarè *Dn. D. Gerhardus* reponit: Ergo Petrus non fuit ſolus ſummus & authenticus illius controverſiæ Judex. Nec Concilium illud indixit, nec Monarchicâ poteſtate ei præſedit, nec ſolus definitivam ſententiam protulit, nec decreta Concilii ſolus executioni dedit; qvod tamen vel maximè ad Univerſalem Paſtorem & Monarcham Eccleſiæ pertinet. Vide *Conf. Cath. lib.* II. *art.* III. *c.* II. *p.* 554. *a.* Hôc finitô Antiochiam abiit, urbem non Piſidiæ ſed Syriæ Gal. II. II. *Hunn. Comm. in h. l. p.* 78. Ubi reprehenſus eſt a D. Paulo. Fuit autem, *inqvit laudatus modò Theologus*, hic verus Petrus Apoſtolus, non alius qvidam ex 70. diſcipulis, ut fingunt nonnulli, d. l. p. 81. De qvibus videatur *Baronius*, ann. CH. 51. n. 35. qvi ſimulatè hæc inter Apoſtolos facta eſſe fruſtra contendit, p. 428.

§ II. Atqve hæc ſunt, qvæ de D. Petro pandit nobis S. Scriptura, & Orthodoxi unanimi conſenſu tradunt. Ne gry qvidem de Antiocheno, ne gry de Romano Pontificatu. Egregia hoc de ſilentio eſt ſententia *Marci Antonii de Dominis*, dum ſic ait: *Præviderat profectò, ut mihi videtur, Spiritus S. ex Petri nomine ac laboribus ejuſdem, ſi qvi fuerunt, Romæ exantlatis, occaſionem aliqvando arreptum iri, ut Rom. Eccleſia ad indebitam conſurgere Monarchiam, & alias ſibi Eccleſias graviſſimo cum ſcandalo & ſchiſmate intolerabili ſubdere niteretur: ac propterea noluit, ut Canonica Scriptura qvidqvam de Petri adventu commemoraret: ſed profundô ſilentiô ejus poſteriores peregrinationes obvolvit; adeóqve de Romana Cathedra ne verbum qvidem, lib.* IV. *de Republ. Eccleſ. c.* I. *n.* 16. p. 353. Nihilominus pertexemus nos ea, qvæ de D. Petro circumferuntur. Scilicet narrant illum An-

Antiochiam migrâſſe, ibidémqve erexiſſe ſedem Epiſcopalem ſeptem annis, ad annum circiter Claudii Imp. ſecundum. Hoc ut vero videatur ſimilius *ex Clemente* refert *Baronius*, Petrum Cathedram * ſuam in domo *Theophili*, ad qvem Lucas Euangelium ſcripſit, Antiochiæ poſuiſſe *ann. C.* 58. *n.* 32. *p.* 581. Hâc relictâ ſede, *ut ferunt*, Hieroſolymam eſt reverſus, & tunc eſſe concinnatum Symbolum, qvod dicimus Apoſtolicum, atqve ad id, ut ne qvid Petro præripatur Autoritatis, prima contuliſſe verba D. Petrum fingunt, nempe illa: *Credo in DEum Patrem omnipotentem.* Vide *Baron.* ann. CH. 44. n. 17. Verùm hoc de Symbolo, ejuſdémqve ficta antiqvitate lege *Præceptorem nostrum Summè Reverendum Dn. D. Calovium* (רי״א) *in Syncretiſmo Calixtin poſtul.* 1. ſ. 2. th. 11. p. 28. uſqve ad th. 28. p. 51. Hôc qvoqve temporis ſpatiô Herodis carcerem declinans Romam pervenit eôdem Claudii ſecundô annô. De qvo ita ſcribit *Baronius:* Seqventi, *inqvit*, annô, qvi ſecundum à nobis initam rationem numeratur à CHRISTO nato qvadrageſimus qvintus, Claudiô Auguſtô tertiùm & L. Vitelliô Coſſ. durante tamen adhuc annô ſecundô ejuſdem Claudii Imperii, 15. Kal. Febr. à Petro Apoſtolorum Principe Romana Eccleſia inſtituitur, ac ſedes in ea Pontificia erigitur. ann. C. 45. n. 1. p. 374. Næ cogor hìc mirabundus conſiſtere aliqvantulum, & conſiderare D. Petri in itineribus celeritátem: præſertim cùm ſupra modum ſint moleſtæ atqve odioſæ profectiones hibernæ. Enimverò Claudii Imperium incipit d. 24. Januarii, qvando occiſus eſt *Caligula, illa teterrima belua*, ut vocatur à *Philippo in Chron. Car.* lib. III. p. 11. b. Videatur *Theatr. Hiſtor. Dn. D. Chriſtoph. Helvici tab.* 22. Hinc colligo, vix fieri potuiſſe, ut ab Antiochia per 70. milliaria, uti habet *Bünting.* loc. cit. p. 50.

* Tu vide Nic. Vedelii libros de Cathedra Petri.

p. 50. 66. *in Itin. S. S.* p. 214. ad Hieroſolymas, ibidem ad carcerem, hinc ad Romam uno eôdémqve 2. Claudii annô migrârit D. Apoſtolus *Petrus.* Diſtat ſanè *Urbs* ab Hieroſolyma trecentis, octoginta & duobus lapidibus, juxta rationem *Buntingii*, loc. cit. p. 93. Et *Paulo* Romam petenti 558. milliaria fuêre dimetienda, ſicuti idem oſtenſtit, p. 90. Neqve enim tam citiſſimè illud intervallum peragrare potuit D. *Petrus*, atqve Pontifex *Sylveſter* II. Hieruſalem appulit. Is enim (hiſtoriam, ut qvò tendam, percipiant, verbis *Platinæ* apponam) diabolum ſciſcitatus eſt, qvamdiu in Pontificatu victurus eſſet, reſpondit humani generis hoſtis ambiguè, ut ſolet: *Si non attigeris Hieruſalem, diu vives.* Dum itaqve Pontificatus ſui annô qvartô, menſe uno, die 10. in baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem Romæ ſacrificaret, moriturum ſe ſtatim cognovit, &c. Videlicet Diaboli ungvibus dilaceratus eſt: Hinc illud diſtichon, qvod carminum genus Scaligero Ἀγκύλον vocatur:

Signa, te ſigna, temerè me tangis & angis
Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.

Exceptus autem dicitur *D. Petrus à Pudente Senatore*, poſtqvàm gentilibus Romæ innotuit, ut ſcriptum eſt à *Baronio.* ann. C. 44. n. 61. p. 365. Cathedram verò illam, ſi qva fuit, nolunt Pontificii verminoſam fuiſſe, aut hominis manu (*nam omnia hominum opera conſumit tempus*) fabricatam. Ceterùm, *inqvit Baronius*, ipſa prima Pontificia ſedes, cathedra (inqvam) lignea, dignum planè tantæ rei eximiúmqve monumentum, qvamplurimis ſemper miraculis illuſtrata à majoribus aſſervata, in ejuſdem Petri Baſilica Vaticana recondita hactenus cuſtoditur, & certis diebus populo viſenda exponitur. Conſveverunt enim Majores tanti memores beneficii, qvòd Apoſtolicâ prædicatione è tenebris,

qvibus

qvibus erant offuſi, ad lucem planè divinam evecti eſſent, etiam ipſas ſedes ligneas, qvibus Apoſtoli inſediſſent, ſummâ omnium diligentiâ cuſtoditas, veneratione proſeqvi, ann. C. 45. n. 11. p. 378. Hìc non poſſum non recenſere verba *Calvini*, cùm ita dicit: Eqvidem non dubito, qvin juſta ſit ultio Dei. Cùm enim mundus, veluti rabie qvâdam accenſus, reliqvias concupiverit, ut perverſâ ſuperſtitione iis abuteretur, rationi conſentaneum fuit, DEUM ſinere mendacium aliud ex alio ſeqvi. Sic enim dedecus nomini ſuo illatum ulciſci ſolet: cùm gloria, qvæ ad ipſum pertinet, aliò transfertur, *Hæc ille, in adm. de reliq. inſerta tract. Theol. p.* 273. *b.* Interim cave, inſpergit etiam ex more virus rationis. Sed ad Petrum, qvem hoſpitiô exceptum à Senatore eſſe, percepimus. Miror, qvòd non aſſervârint dapes ipſi à Pudente appoſitas, *cùm piſcis aſſi fruſtum, qvod CHRISTUS Petro obtulit à reſurrectione, hodiénum ſervent*, ut annotat *Calvinus*, d. loc. p. 280. b. Verùm ſat accuratos habuit *Petrus* inſpectores, etenim certam ejus diætam obſervârunt, de qva ita *Baronius* ait: *Facilè perſvadet Gregorius Nazianzenus, dum ſcribit, ipſum lupinis, minutô aſſe veneuntibus, famem pellere conſveviſſe, ann. C.* 57. *n.* 192. *p.* 559. Qvòd ſi haſce dapes Pontificibus hodiernis, qvi ſe Petri ſucceſſores buccis plenis proclamant, apponerent, ſanè tam obeſos non haberent porcos.

§. 12. Nunc, qva de cauſſa Urbem D. *Petrus* ab ipſis dicatur profectus, & qvidnam ei contigerit ibidem, videndum. Dicunt Romæ Magum, *Simonem nomine*, degiſſe, eumdémqve hominum mentes uſqve adeò faſcinâſſe, uti ara planè erecta fuerit, hâc inſcriptione: *Simoni Sancto DEO.* Hujc malo medicaturum DOMINUM apparuiſſe Petro, id qvod *ex Metaphraſte* narrant, per qvietem, & dixiſſe:

xiſſe: *Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet, ut tuis illuſtretur facibus; & ego ero tecum:* Romam igitur appellens *Petrus*, diu eſt luctatus cum Simone Mago, diem verò ante certamen, qvô victori danda erat palma, jejuniis conſumpſit, ſicuti ex *Divo Auguſtino* id probat *Baronius*, inqviens: Eſt qvidem & hæc opinio plurimorum, qvamvìs perhibeant eſſe falſam pleriqve Romani, qvòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominicô certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem urbis Eccleſia jejunaverit, & conſecutô tam proſperô ac glorioſô ſucceſſu eumdem morem tenuerit, eúmqve imitatæ ſunt nonnullæ Occidentales Eccleſiæ, *ann.* C. 57. *n.* 294. Jejunium admittere, imò ejus qvoqve obſervationem, poſſumus, ſed hoc non eſt ferendum qvòd veſani *Monachi* ad ravim ſtentoreâ voce clamitant, *Petrum* ſuorum jejuniorum, qvibus cælum demereri qveant, eſſe Autorem. Sed qvid non audent, qvi referti ſunt mendaciis Atraphraxis? *Liturgiam* qvoqve *D. Petro* adſcribunt ſat blaſphemam; id qvod *Coccius*, ut purgatorium confirmet, agit. Sed hunc optimè duobus argumentis, & qvatuor ſuffragiis explodit *Dn. D. Gerhardus in Conf. Cath. lib.* I. *part.* II. *c.* VIII. *p.* 417 refutationem leges, *p.* 421. 422. Huic mendacio affine eſt illud, qvòd de *Miſſæ* celebratione à *Baronio* ſingitur: Eſt, *inqvit*, Neapoli in Campania percelebris memoria, ubi idem Princeps Apoſtolorum (*Petrum intelligit*) cùm Neapolim navigiô delatus eſſet, unà cum ſuis Miſſam celebravit, *ann.* C. 34. *n.* 58. Ad hiſtoriam. Cùm verò conſtitutô die ſuperare *Petrum* conaretur *Magus* per aëra volitans, precibus ſuis tantum obtinuit apud DEUM *Divus Apoſtolus*, uti Magus ab alto præcipitatus crus fregerit, cunctíſqve redditus ſit ludibrio. Hiſtoriam, *eô nomine ſi venit appel-

* Vide Muſeum noſtrum II. n. V.

landa, alii aliter enarrant: nos de veritate ejus in qværſtione diſpiciemus. Moleſtè autem hoc accipiens *Domitius Nero*, Petrum morti tradendum carceri incluſit. Hunc carcerem niſi expoſuiſſent ſuperſtitionibus Papicolæ, piaculo ſibi duxiſſent: Hinc *Baronius*: Ceterùm, *inqvit*, in eodem carcere Proceſſus & Martinianus milites Apoſtolorum cuſtodes à Petro ad fidem converſi, ab eodem ſacrô baptiſmô ibidem initiati ſunt, erumpente divinâ virtute ex petra (*qvare non ex Petro?*) fonte, ut eorumdem res geſtæ declarant, Admiratione enim digna res eſt, eumdem illum fontem in hunc uſqve diem perſeverare, non tantùm rerum ibi geſtarum memoriâ nobilem, ſed perenni illuſtrem miraculô: qvippe poſitis in medio carceris ſtrati prægrandibus lapidibus Tiburtinis ſibi invicem inhærentibus, è perforato (*num ſponte? credat Judæus Apella*) ſaxo altitudine cubitali tantummodò, & palmi unius vel circiter latitudine, ſic aqva ſcaturit, (*cautè loqvitur: nam* ſcaturio *de rebus etiam dicitur ſuâ ſponte ubertim naſcentibus, annotante Pyrrhô † Perottô in Cornu Copiæ,* p. 286. 30. *edit. Baſil.* 1521) ut nec foras exundet, nec qvantumlibet hauriatur, unqvàm ſiccetur. Notiſſimum eſt ejus rei experimentum, dum certis anni diebus, qvibus carcer ille religionis ergo (*ex ſuperſtitione, dixiſſet veriùs*) inviſitur totius urbis concurſu, & fideles inde hauriant aqvam & potent, & tamen fons indeficiens perſeveret, *ann. CH.* 68 *N.* 12. & 24. *p.* 708. Profectò, qvi poëticam Pontificiorum indolem novit, non uſqve adeò hunc perentem fontem demirabitur; cùm & vinum, qvod in nuptiis ex aqva paravit CHRISTUS, indeficiens fingant. Ex *Calvino* liceat recenſere fabulam: *Aureliæ*, inqvit, *jactant*, *ſe ex*

† Lege *Nicolao.* Ego habeo illud Cornu Copiæ Pariſ. editum annô CIↃ IↃ IV. in fol.

ſe ex vino habere; qvod Architriclini vocant. Hoc autem ſponſi nomen fuiſſe putant, & populum adhuc retinent in ea ignorantia. Singulis annis ſemel extremam exiguæ ligulæ partem lingendam præbent iis, qvi munus aliqvod offerre voluerunt; dicentes, ſe vinum, qvod Dominus in convivio fecit, propinare. Neqve unqvàm minuitur ejus qvantitas, modò ſubinde compleatur ſcyphus. Vide admon. cit. p. 275. Verumenimverò mundus vult decipi: non tantùm tantoperè colitur carcer, verùm etiam vincula ipſa adorant: ſic enim loqvitur *Baronius*: Non tantùm ſepulchra Apoſtolorum magnô ſunt honore habita, ſed etiam ipſa paſſionis inſtrumenta. Si qvidem vincula, qvibus Petrus in carcere vinctus fuit perqviſita atqve inventa, Balbina virgo, filia Qvirini Tribuni eſt ſummoperè venerata. Qvæ cuſtodita & ad poſteros per manus transmiſſa, inditâ eis *divinâ virtute*, miraculis coruſcârunt, ex illis enim tenuia ramenta Chriſtianiſſimos Principes ad collum religionis cauſsâ geſtare conſveviſſe, ſuô locô dicemus, ſunt ipſius verba, *ann. C.* 69. *n.* 30. *p.* 730. Exclamare cogor verbis *Calvini*: En ut ſtulta, qvæ initiô fuit, in ſervandis reliqviis atqve in theſaurum reponendis curioſitas, huc tandem abominationis delapſa ſit, ut non ſolùm à DEO averſi ſint homines, qvò rebus vanis & caducis adhærerent: ſed etiam exſecrabili ſacrilegiô res omni ſenſu carentes adorarent, locô DEI, qvi vivit ac benedictus eſt in ſecula. עכר.

Qvid enim eſt idololatria, ſi hæc non eſt, dum divinam adſcribunt virtutem catenis? qvalemcumqve etiam iis exhibeant cultum, à DEO ſe avertunt, adeóqve exiſtunt Idololatræ. Sed pertexenda eſt inſtituta narratio. Indigniſſimè, *inqvit Baronius*, ferentes Chriſtiani, ſic à ſe Paſtorem omnium abripi Petrum; ut fugâ ſibi ſuíſqve conſuleret, inſtantiſſimis precibus & obteſtationibus admonentes, vix

tan-

tandem, ut id faceret, perſvaſerunt, imò potiùs compulerunt, *ann. cit. n.* 5. Qvod ſi hoc non eſt divinam DEI voluntatem irritam reddere velle, ego certè ignoro. Hinc fugienti *Petro*, CHRISTUS, ut tradunt, occurrens, ab illo interrogatus reſpondit: *Venio iterum crucifigi*: qvô reſponſô motus *D. Apoſtolus* carcerem iterum eſt ingreſſus. *Baron. loc. cit. n.* 6. *p.* 723. *Pedum CHRISTI veſtigia in hoc occurſu ſolo impreſſa hodienum Romæ, ad Laurentii oſtenduntur*, ut teſtatur *Calvinus, loc. cit. p.* 281. *a.* Has ineptias non miror: cùm terram qvoqve, qvæ ſub pedibus CHRISTI jacebat, cùm *Lazarum* ſuſcitaret, *ad Salvatoris in Hiſpania* monſtrare non erubeſcant, *d. l.* p. 276. b. Ex hoc occurſu autem *Bellarminus* vigeſimam qvintam *D. Petri* prærogativam eruit, *lib.* I. *c.* XXIII. *de R. P. p.* 585. & fabulæ aſtruere veritatem ſtudet, qvia *D. Paulo* etiam apparuit Dominus, & unum corpus in pluribus eſſe locis ſupernaturaliter non eſt impoſſibile, *loc. cit. p.* 614. Verùm in priori diſſimile eſt exemplum, neqve enim eôdem ſe modô videndum exhibuit *Paulo*, poſterius contra Rationaliſtas qvidem ſeu Calvinianos rectè urgemus, hûc verò non qvadrat. Ejuſmodi enim præſentiâ ſe ſiſtere non egebat CHRISTUS; nec verba ipſi adſcribunt congrua. Addo, cur non & *Paulus*, qvem ſimul carceri tunc fuiſſe incluſum ſcribunt, in fugam ſe dedit, nec ad id ineundum à diſcipulis ſuis commonefactus eſt, ſiqvidem in convertenda Urbe *Petro* non fuit ſecundus? qvod ſanè æqvè feciſſent, præſertim cùm in eodem carcere detenti fuiſſe dicantur. Sed qvid in fabulis refutandis ſim multus? Sanè fidem faciunt *dicto Marci Antonii de Dom. lib.* IV. *de Republ. Eccl. c.* 1. *n.* 16. *p.* 353. dum ita fatur: *Elatio Romana conata eſt undiqvaqve Petri Romana facta ex omni conjectararum leviſſimarum umbra, imò ex*

qvavis lacuna expiſcari; adeò ut Petrum omnino velit, vel invitum, Romæ Eccleſiam, imò qvod longè eſt intolerabilius, etiam temporalem collocâſſe Monarchiam. Priuſqvàm autem ad mortem raptus eſt D. Apoſtolus, virgis fuit cæſus, id qvod *Baronius* ex columnis etiamnum Romæ, in templo S. Mariæ trans pontem exſtantibus probat, *loc. cit. p.* 724. Mirum non eſt, cùm columnas adorent complures; de virgis non diſceptabimus, de columnis verò qvod ſcribit, mendacium puto conveniens illi, qvod de columna tradunt, ſuper qva capite fuerit truncatus, & ibidem ad Anaſtaſii videtur, ſcribente *Calvinô, d. l. p.* 285. ubi lectoribus rectè cogitandum relinqvit, utrum eô tempore ſuper columnis fuerint de hominibus ſupplicia ſumta. Adde, qvòd narrent, Petrum eſſe cruci affixum. Ceterùm de Martyrio referuntur ſeqventia. Annô Redemptoris noſtri, *inqvit Baronius*, 69. Petrus & Paulus Principes Apoſtolorum, unâ eâdemqve die 3. Kal. Julii glorioſum ſubiêre martyrium, *ann. cit. n.* 1. *p.* 721. *n.* 2. refutat eos, qvi in 14. Neronis annum hæc acta rejiciunt. Conſentit *Onuphrius* exactè, *annot. ad Platinam, p.* 7. Qvia verò cum canonica hiſtoria conciliari hæc commodè neqveunt, ita conſulit *Celeberrimus Theologus, Dn. D. Dannhawerus*; Minori cum difficultate, *inqvit*, luctantur, qvi eôdem qvidem die utrumqve Apoſtolum percuſſum volunt, ſed interjectô annô, Petrum poſt Paulum, *Act.* 1. *Opt. Dram. Theat.* 1. *Phæn.* III. (*v*) *p.* 181. Verùm negligitur hoc à *Baronio*, dicente: Magìs vera atqve probata illorum eſſe videtur aſſertio, dicentium eôdem annô ambos unâ die martyrii palmam adeptos. *d. l. n.* 4. Supplicii locus ab eodem annotatur his verbis: dicere, *inqvit*, poſſumus, Apoſtolos extra portam Trigeminam ſimul eſſe ductos, ſed non ſimul in eodem loco ſuppliciô affectos

ctos: imò ab illis, qvi eos ducebant, mutatô conſiliô, eſſe ab invicem ſeparatos, qvod Petrum in gratiam Judæorum in ea regione, ubi Judæi degerent (qvæ Transtiberina eſt dicta. *Conf. apparat. ad A.E. n.* 29. *p.* 12) voluerunt crucifigi, *loc. cit. n.* 9. *p.* 724. Paſſus itaqve eſt in Vaticano, in ea ſummitate Janiculi ſeu Vaticani montis, qvæ eſſet imminens Naumachiæ, deorſum juxta Tiberim poſitæ, *n.* 16. ſepultus (*ut loqvitur ibidem*) in ima Vaticani parte, apud qvam Neronis horti eſſent & circus cum Obeliſco, *p.* 728. Via, *inqvit Platina*, Aurelia, non longè à via Triumphali, qvæ ad Apollinis templum ducit, *in vit. Petri*, p. 6. Fabulæ videtur admodùm ſimilis hæc ad mortem abductio; ſed tranſeat. Nobis de hac re *Marci Ant. de Dom.* placet ἐπίκρισις; Petrum, *inqvit*, Romæ martyriô coronatum fuiſſe, malo aſſentiri, qvàm reluctari: qvamvìs hac de re plenam hiſtoricam fidem nondum ſim aſſecutus: ob plurimorum tamen Sanctorum Patrum conſenſum arbitror, id poſſe à qvovis facile concedi & credi, *lib.* IV. *c.* 1. *de Republ. E. n.* 2. *p.* 348. Conſentit *Dn. D. Dannhawerus* ajens: *Tam Romæ eumdem martyriô coronatum aſſentiri, qvàm reluctari malumus ob teſtium aſſerentium globum, d. l. p.* 184. Audiamus nunc, qvid à morte accidiſſe fabulentur: Martyriô, *verba Baronii ſunt*, conſummatô, à Marcello presbytero Petri corpus curatum, aromatibúſqve conditum magnificentiſſimè more regiô, nedum Judaicô, traditur ſepulturæ, *l. c. n.* 20. De his pompoſis exſeqviis non meminit *Euſebius*. Et qvis *Marcellus* ille fuit? apud Euſebium reperire non licet: injicit qvidem mentionem Marcellorum, ſed qvi multùm ab hoc tempore Epiſcopi extiterunt. Meminit etiam Marcelli *Tranqvillus*: verùm iſte neqvit eſſe, *lib.* II. *c.* LXIII. Verbô dicam; Qviſqvis etiam

 fue-

fuerit *Marcellus*, commentum eſſe patet ex *regiis*, qvas haud conceſſiſſet *Tyrannus*, exſeqviis. Addit porro idem *Mythologus*, circa tempus Martyrii Romam veniſſe *Orientales Chriſtianos*, *Petri* & *Pauli* corpora, tanqvàm gentilium ſuorum, ablaturos; ſed tonitru ac fulguris vi diſperſos ea non impetrâſſe, *d. l. confer ann. Ch.* 55. *n.* 17. *p.* 469. Figmentum hoc eſſe, qvis non perſpicit? ideò recitatur à *Baronio*, ut ſpeciem præ ſe ferat antiqvitatis corporum Sanctorum veneratio. Hinc de cultu eodem varia confingunt, Redditâ, *inqvit Idem*, Eccleſiæ pace, Chriſtiani Imperatores eadem (*nempe Divi Petri ac Pauli cadavera*) inviſere, venerari & *debitô Religionis cultu colere*, ſtudioſiùs qvæſiêrunt, ac propenſiùs curaverunt. Ex *Epiſtola Nicolai. I. ad Mich.* confirmat *Bellarminus*, tot millia hominum ex omni orbe terrarum, religionis cauſsâ ad ſepulchra Apoſtolorum qvotidie confluere, ut ipſa ſola Romana civitas ſatis oſtendat, Eccleſiam CHRISTI eſſe Catholicam ſeu univerſalem, *lib.* II. *de R. P. c.* III *p.* 611. *c.* Egregium ſanè argumentum! Superſtitionem nos non negamus; exſecramur autem, & cauſas eſſe fictas aſſeveramus. Præclarè ait *Rhetorum Princeps*, *lib.* I. *off.* Sine verecundia nihil poteſt eſſe rectum, nihil honeſtum. Hinc, cùm non ſit mendacium, qvô abhorreant Lojolæ ſocii, tot abominanda, qvæ jam jam percipiemus. De *Conſtantino Imp.* refert *Bellarminus*, qvòd ſummo ſibi duxerit honori, ſepultum iri ad fores baſilicæ, ubi conditæ erant aliqvæ particulæ D. Petri, *lib.* II. *c.* III. *de Reliq. Sanct. Tom.* II. *p.* 770. *Corpus* tamen ipſum *Romæ* vendicat, *l.d. c.* IV *p.* 780. Uſqve adeò *D. Petri* cadaver laceratur! *Caput* Romæ ad Joannis Lateranenſis cuſtoditur: ibidem *unus* etiam *è dentibus* ſeparatim habetur. Ad majus altare urbis *Genevæ* aliqvid erat *de cerebello D. Petri.* Qvamdiu id inclu-

incluſum fuit, nemo dubitabat: fuiſſet enim (*verba ſunt Calvini,*) blaſphemia titulo fidem non habere, ſed cùm excuſſus eſt nidus & accuratius obobſervatus, repertus eſt pumex. *Mandibula* ejus cum *barba* Pictavii oſtenditur. Treviris *oſſa* permulta. *Romæ* ſunt corpora Petri ac Pauli: dimidia pars ad Petri, altera ad Pauli. Atqve *Sylveſtrum* ea libráſſe ajunt, ut æqvales utrinqve partes diſtribueret. Addamus corporis D. *Petri* appendices: *Pedum* ejus *Lutetiæ* videtur ad Stephani, cui à ſaxis nomen eſt: De *ſcipione* dimicant *Colonienſes* & *Treviri.* Ad Salvatoris in Hiſpania *crepida* monſtratur. Romani ſe poſſidere *altare Petri* jactitant, *Piſani* verò idem ipſum monſtrant in ſuburbio, qvod ad mare vergit. De gladio, catenis & columnis ſuprà feci mentionem. Cui placet cognoſcere has nugas qvamplurimas, earum farraginem inveniet apud *Calvinum in admonit. de Reliq.* Cum eodem eſſet optandum, ut certiores eſſemus de nugis omnibus, qvæ hic atqve illic pro reliqviis habentur: aut ſaltem, qvò conſtaret, qvàm multæ falſæ ſint, catalogum earum & numerum tenere. Qvòd ſi aliqvando viſitarentur ſedulò omnes totius *Europæ* reliqviæ: idqve cum prudentia, qvô meliùs diſcerni poſſent, perſpiceretur, unumqvemqve *Apoſtolorum* plus qvàm *qvatuor corpora*, Sanctorum verò *duo* aut *tria* habere: cùm nulla ſit Cathedralis Eccleſia tam exigua, id qvod de noſtra qvoqve ſuprà oſtendi, cui non ſit oſſium, aliarúmqve ejuſmodi nugarum infinitas. Sed revoco me ad id, qvod propoſitum mihi eſt. Qvæ mens pia ad ea, qvæ narravi, non conſiſtit ſtupefacta? verùm hæc nulla ſunt: uſqve adeò dementiæ proceſſerunt, ut omnimodam qvoqve Urbis munitionem iis reliqviis aſſignârint. Enimverò laudat *Baronius* illud *Venantii Fortunati*:

A facie hoſtili duo propugnacula præſant,
Qvos fidei turres Urbs caput Orbis habet.

Nec non *Gregorio Pontifici Romano* aſſentitur, qvi ita loqvitur: Si gladius Italiæ, bella formidatis; ſollicitè deberis aſpicere, qvanta *Beati Petri Apoſtolorum Principis* in hac urbe protectio eſt; in qva ſine magnitudine populi & ſine adjutoriis militum tot annos inter gladios illæſi DEO auctore ſervamur. Vide *ann. Ch. 69. n. 25. p. 730. f.* Linqvamus hæc, animum harum nugarum ſatietas jam cepit & faſtidium. Tranſeamus ad controverſiam, cujus maximè gratiâ diſqviſitionem hanc ſuſcepimus. Sit ergo

SECTIO. II. EROTEMATICA.

An D. Petrus annô ſecundô Claudii Romam venerit, ac ibidem geſſerit Epiſcopatum viginti & qvinqve annis?

Membrum I. Θετικόν.

§. 1. Qvæſtionem hanc uno ore, qvi genuini audire volunt Pontificii, affirmant omnes. Ceterùm *Petrum Apoſtolum* unqvàm Romæ fuiſſe ex S. Scriptura ſufficienter probari neqvit. Qvæ aſſertio eſt plerorumqve Orthodoxorum; Interim fuiſſe Petrum Romæ contra tam ſpiſſam meſſem, *ut loqvitur Dn. D. Dannhawerus*, teſtium negare nolumus, *Act.* 1. *Opt. Dr. Th.* 1. *Ph.* 3. (*r*) *p.* 104.

§. 2. Sed erectam eſſe ab eo ibidem ſedem Epiſcopalem, eamdémqve integris 25. annis tenuiſſe, pernegamus, concludentes *cum ſummo Theologo Dn. D. Gerhardo*: Petrus non fuit Eccleſiæ Monarcha. Ergò etiam non erexit ſedem aliqvam Papalem. *Vide Confeſſ. Cath. lib.* II. *art.* III. *c.* III. *p.* 588.

588. 589. Qvòd ſi autem *Petrus* omnino Epiſcopus eſt appellandus, diſtingvimus *cum laudato Theologo* inter vocabulum illud *latè* & *ſtrictè* acceptum: illô, non hôc, modô Epiſcupum illum fuiſſe largimur. *Vide d. l. p.* 587. *a.* Atqve ſic dicimus cum *Marco Antonio de Dominis*, qvemvis Apoſtolum ex vi Apoſtolatus fuiſſe Epiſcopum, in habitu, totius Orbis, in actu illius loci, ubi prædicavit. *Vide d. l. n.* 8. *ſeqq.* Qvo in ſenſu *Petrum* etiam Romæ Epiſcopum exſtitiſſe aſſerimus cum *Dn. D. Dannhawero, d. l. p.* 104.

§. 2. Præprimis autem figmentum cenſemus, qvod imponere nobis conantur, de viginti qvinqve Epiſcopatus annis, & *dicimis cum noſtro Schmidio b. m.* die Lügen iſt gar zu grobe, und doch hats alle Welt glauben müſſen in regno illo tenebrarum. *Vide not. in Ep. ad Col. c.* IV. I. *p.* 1210. Etenim ut ordine procedamus, neminem, credo, latere poteſt, qvòd Pontificii denominatum tempus ſalvis, *cum Calviſio loqvar*, Actis Apoſtolicis nunqvàm conficere potuerunt; *Oper. Chronic. A. M.* 4013. *Ch.* 64. *p.* 323. *a.* Non dicam, qvòd ne ipſorum Antagoniſtarum Chronologi annos completos non numerent. Siqvidem *Baronius, A. C.* 69. *n.* 33. annos tantùm 24. menſes 5. & dies XI. collegit. Chronologus verò Aurelianus, *Dionyſius Petavius, inqvam*, annos 24. & menſes 6. ſaltem. *Vide lib.* II. *de Doctr. Temp. c.* XIV. *p.* 323. *d.* Leve enim hoc eſt. Neqve hîc urgebo mutuam inter illos de adventus tempore pugnam graviſſimam: dum *alii* D. Apoſtolum ſtatim ab Aſcenſione Domini, *alii* in principio Imperii Claudii, *alii* annô ſecundô, annô qvartô *alii*, *alii* cum Nerone, *alii* deniqve, ſub vitæ finem demum Romam eſſe ingreſſum, ſcribunt: cui ſententiæ nos præ aliis favemus, Id qvoqve præteribo, qvòd ipſorum Papi-

 cola-

colarum nonnulli jam dudum hiſtoriæ falſitatem ſubolentes, de ea dubitârunt, imò falſam eſſe agnoverunt; ut *Marſilius Patavinus*, *Mantuanus*, *Aventinus & Salmero*, qvorum ipſiſſima verba lege apud *Dn. D. Gerhardum in Confeſſ. Cath. loc. cit. p.* 589. *ad* 595. Hoc dico; alienum fuit ab Apoſtolis ad certam Eccleſiam, certámqve ſedem alligari. CHRISTUS vocavit *Petrum* ad Apoſtolatum; non igitur ad Epiſcopatum: nam hos ordines eſſe diverſos, ipſi Pontificii docent, ut eſt videre *ex Confeſſ. Cath. loc. cit. p.* 595. Qvòdſi *Petrum* in abſentia qvoqve geſſiſſe Epiſcopatum affirmant, qvî fit, qvòd ad hanc ſuam cathedralem Eccleſiam nullam ſcripſit Epiſtolam? qvod utiqve facere debuiſſet, ſi curam Epiſcopatus ſui debitâ fidelitate gerere voluiſſet; ſicuti bene argumentatur *Dn. D. Gerh. Gravius*, *Eccleſiæ, qvæ eſt Hamburgi, Cathedralis Paſtor. in Pent. qvæſt. Theol. Hiſt. Anti-Papiſtic. qvæſt.* 1. *p.* 10. Qvia itaqve *Caranza*, citante *Dn. D. Joh. Matth. Mayfartô*, ſcriptor Pontificius, qvando de primis Romanis Pontificibus agit, dicit ſe in re tam perplexa judicium lectoris arbitrio *relinqvere*. *Vide Anti-Becan. lib.* 1. §. 153. *p.* 482. calculum nos ineamus, præſertim Pontificiorum obſervantes, qvo ipſos eò meliùs conſtringere poſſimus.

§. 4. Dicimus ergo: *Annô ſecundô Claudii nondum à D. Petro viſa eſt Roma.* Demonſtratum id dabo hôcce modô. Martyrii coronâ coronatus eſt *Stephanus*, ex calculo *Baronii*, annô CHRISTI 35. per diem unum inchoatô d. 26. decembris. *Vide* A. C. 34. *n.* 301. *p.* 272. Hinc diſcipuli ſunt diſperſi πλὴν Ἀποςόλων *Act.* VIII. 1. adeóqve nec *Petrus* Hieroſolymis tunc diſceſſit. Annô ſeqventi converſus eſt *Paulus* d. 8. Kal. Febr. prout *idem Baronius* ex morte ejuſdem colligit, *A. C.* 36. *n.* 1. *p.* 290. Hôc autem temporis intervallô ultra Samariam

mariam *Petrus* non eſt progreſſus, qvâ relictâ rectà repetiit Hieroſolymam, *Act.* VIII. 25. Annô à converſione ſua tertiô *Paulus* Jeruſalem, non benevolentiæ cauſsâ, ſed honoris, *qvâ phraſi neqvidqvàm ſibi adblanditur Baronius*, petiit, Petrum viſurus, apud qvem 15. dies commoratus eſt, *Gal.* I. 18. Factum hoc eſſe primô Imp. Caji annô aſſerit *Baronius, Ann. Ch.* 39. *n.* 4 *& 6.* His addantur ſeptem anni, qvibus *Antiochiæ* ſediſſe *Petrum* propugnant, & habebis annum Claudii qvartum. Enimverò imperavit C. Cæſar (*qvem militari vocabulô Caligulam adpellabant, uti Tacitus loqvitur, lib.* I. *Annal. c.* XLI. 4. *lege Cl. Lipſii excurſum in h.l. p.* 498. *L. qvi contra Svetonium hoc defendit*) annis 3. menſibus 10. diebúſqve VIII. *Svet. lib.* V. *c.* LIX. juxta *Baronium* menſibus tantùm novem, *Ann. CH.* 43. *n* 1. Non ſubdolè hìc agam, aſſeverant ipſi, initium ſedis Antiochenæ factum eſſe annô I. Caji. *Baronius* affirmatô D. *Petrum* primô Caji annô Antiochiam veniſſe, id à Luca, intento *miracula inſigniora* à Petro edita memoriæ commendare, omiſſum eſſe ait, *loc. cit. n.* 8. *p.* 300. *& n.* 20. Ad hæc non reponam, falsò Lucæ hoc affingi, imò ipſum Lucam repugnare: hoc tantummodò ex ipſius aſſerto *notetur benè, Lucam non feciſſe magni tam excellentem,* qvem credunt, *Epiſcopatum.* Adblanditur Cardinali Jeſuita *Aurelianenſis, inqviens*: Eſt tamen veriſimile, ſub illud tempus à Petro eſſe ſuſceptam (*ſcil. profectionem verſus Antiochiam*) qvô, ut eſt Act. IX. 32. varias provincias obeundo peragravit, qvod circa annum CHRISTI 37. contigit, qvô Tiberii ultimus deſiit, cœpitqve Caji primus. *Vide loc. cit. p.* 322. De variis, qvæ hìc fingit, provinciis jure nos reſpuimus, ſubſtituendo *Civitates.* Nam doctè obſervat *Dn. D. Dannhawerus*, τῷ διελθεῖν διὰ πάντων *ſolas urbes* intra Iſraëlem comprehendi, *Act.* I. *Paropt. Dram.*

ac Myth. Metamorph. 3. *p.* 720. Sic enim loqvitur *Syrus*: ܘܗܘܐ ܟܕ ܡܬܟܪܟ ܗܘܐ ܫܡܥܘܢ ܒܡܕܝܢ̈ܬܐ id eſt, *Et factum eſt, cùm circumiret Simon per civitates.* Qvod autem voce ܡܕܝܢ̈ܬܐ hôc locô ſignificetur *civitas*, non provincia, ex ſubſeqventi in eodem verſu uſurpatione eluceſcit. *Hæc de illo.* Ab anno autem qvarto Claudii uſqve ad nonum (*qvod demiratus ſum*) ne unius qvidem rei à D. *Petro* Romæ geſtæ mentionem injicit *Baronius*, niſi qvòd ſub initio anni qvarti paucis aliqvam diſcipulorum emiſſionem fingat. Qvinimò nec annô nonô qviqdvam, præter id, qvòd occaſione perſecutionis Hieroſolymam fuerit reverſus, nulla enarrata circumſtantiarum, qvibus ſociis, qvô pactô, maríne an terrâ iter hoc perfecerit, nemo ex illo cognoſcet. Adjiciemus inſuper alia qvædam annum ſecundum vacillantem reddentia. Silentiô præteribo, ipſum *Barônium* confiteri, qvòd certô careat ſcriptore, ex qvo oſtendere poſſit, qvibus itineribus qvibúſve ſociis Romam venerit D. Petrus, licèt adducat Metaphraſtem, *ann. Ch.* 44. *n.* 27. p. 353. Hoc inqvam, non præteriiſſe D. Petrum *Siracidis* illud, ὁ ἀγαπῶν κίνδυνον, ἐν αὐτῷ ἐμπεσεῖται. Qvòd ſi autem è carcere liberatus Romam è veſtigio adiiſſet, qvantum qvæſo ſubiiſſet vitæ periculum? Etenim *Imp. Claudius* favebat admodùm Agrippæ: unde non poterat *D. Petrus* Romæ tutus vivere, nedum erigere ſedem. Præterea malìſvada inſtabat fames, erant autem occupati diſcipuli, qvomodo Fratribus in Judæa proſpicerent, *Act.* XI. 29. 30. Qvare non videtur *Petrus* tum temporis extra Judæam proceſſiſſe: nimis enim cara fuitannona, etiam in ipſa Urbe, *Svet. lib.* V. *c.* XVIII.

 De-

Demum, hoc neqveo præterire, qvòd, ipſorum qvi eſſe deberet propugnator, videlicet Lojolita *Aurelianenſis*, annum ſecundum impugnet *loc. cit.* p. 323. affirmans, annô qvidem Claudii ſecundô D. Apoſtolum eſſe profectum; ſed eſſe conſeqvens, annô *tertiô* Claudii ſub initio ſedem erexiſſe. Qvid, ſi hoc licet adverſariis ipſis? Deniqve nec omnino hæcce mea aſſertio antiqvitate caret: nam Petrum ante qvartum Claudii annum Urbem non eſſe ingreſſum aſſerit *Marianus Scotus Monachus*: & facit cum eo *Faſciculus temporum*.

§. 5. Sed in hoc non adqvieſcimus: ulteriùs ſunt urgendi Papicolæ. Nos etiam hoc aſſeveramus: *Petrus vivente Claudiô Romæ non ſedit*. Suffragantur Origenes & Nicephorus: Illud, *inqvit B. Chemnitius in Harm. Euang.* c. L. cum hiſtoria Actorum ſimpliciſſimè convenire videtur, qvod Origenes & Nicephorus annotant, Petrum circa finem vitæ ſuæ ultimis annis Neronis veniſſe Romam. Huic accedit, qvòd ipſi Pontificii ajunt, Petrum propterea Urbis nomen in epiſtola ſua reticuiſſe, qvia Claudius dilexerit Agrippam, atqve hâc ratione à Claudio ſi cognoſceretur, mortis periculum incidiſſet. *Vide Baron. ann. Ch.* 45. *n.* 17. *p.* 381. Agnoſcunt ergo Petrum Romæ in obſcuro non dicam, ſed metu vixiſſe: non itaqve ut Pontifex ibi ſediſſe potuit. Non movebo, qvòd ſextô Claudii annô D. *Mariam* Deiparam, ad cælum aſſumtam eſſe, *Euſebius in Chron.* ſcribit, eidémqve aſſumptioni interfuiſſe D. Petrum, teſtatur *Dionyſius Areopagita*, III. *de Eccl. Hierarch.* Qvem alioqvin pro variis ſtabiliendis figmentis *Bellarminus* citat, & cui vindicias ſcripſit *Mart. Delrius*. Vide Gerh. *Confeſſ. Cath.* lib. I. part. II. c. XIII. p. 651, *ſeqq.* Hoc aſſerimus nos, probatis jam annis prioribus, annô nonô Claudii Româ non veniſſe D. Petrum Hieroſo-

lymam ad Synodum. Certum & hoc (ſunt verba *Dn. D. Hoë in comm. Ep. ad Gal. c.* II. §. 24. *p.* 87.) qvòd Claudius annô nonô ſui Imperii omnes CHRISTO JESU addictos extra Italiam relegavit. Non ergo Petrum qvoqve toleràſſet Romæ, ſi ſibi fuiſſet. Hæc ille. Tempus comprobatur *Baronio, Ann. Ch.* 51. *n.* 2. Paucis hæc perſecutio memoratur à *Tranqvillo, lib.* v. *c.* xxv. 15. ſic dicente: Judæos compulſore CHRESTO (*ita per inſcitiam ſcripſiſſe Ethnicos annotat Juſtus Lipſius, comm. in lib.* xv. *Annal. Tac. c.* XLIV. *not.* LXXXVI. *nec non Baron. Ann. Ch.* 43. *n.* 13. *p.* 340.) aſſiduè tumultuantes Româ expulit. Certitudine autem non caret, factam eſſe hanc perſecutionem poſt concilium Apoſtolicum. *Act.* xv. Hôc enim jam dudum peractô, Corinthum, peragratis jam 463 milliaribus ex ratione *Büntingii in Itin. N. T. p.* 69. 70. 71. appellens D. Paulus offendit *Aqvilam & Priſcillam,* qvi ܕܒܗ ܒܗܘ in illo ipſo tempore, uti *Syrus* loqvitur, vel ut Lucas, προσφάτως nuper (*non ſine ſingulari* ἐμφάσει *hâc uti voce gaviſum fuiſſe Lucam mihi videtur, non adhibet* πρώην, *non* ἄρτι: *nam* πρόσφατος *eſt idem, qvod recens mactatus, occiſus, ex* πρὸς *& obſoleto* φάω *occido*) fugati ex Italia advenerant, *Act.* XVIII. 1. 2. Si itaqve à Claudio primùm D. Petrus Romam linqvere fuiſſet coactus, Concilio iſti intereſſe vix potuiſſet. Qvare non ineptus mihi videtur *Marcus Ant. de Dom.* dum Synodum illam in octavum Claudii annum reponit *d. l. n* 15. Qvidqvid ſit, ſi ex fuga D. Petrus ad Concilium veniſſet, meminiſſet ſanè ejus S. *Lucas,* vel unicâ tantùm apiculâ, cùm nec Aqvilam ac Priſcillam exules prætermiſerit. Qvinimò contradicit potiùs Lucas, qvando Paulum atqve Barnabam ad Apoſtolos & presbyteros εἰς Ἱερουσαλὴμ miſſos, ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων acceptos eſſe ſcribit *Act.* xv. 2. 4. Apoſtolos hìc intel-

telligi, qvi Hieroſolymis docebant, patet: non enim dicit Lucas, miſſos eſſe illos ad Apoſtolos qvi Hieroſolymam redierant: nec dicitur, cognoviſſe illos, qvod fingunt, Petrum eſſe reverſum. Præter hæc ſi ſedem Romæ jam erexiſſet Epiſcopalem D. *Petrus*, ſine dubio tantum Euangelii progreſſum, reditúmqve proſperum, ceteris τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν percenſentibus v. 3. non celâſſet, qvô gaudiô affeciſſet Fratres ſuos: vel ſi enarrâſſet cladem ſeu fugam, reliqvi ſanè eam condoluiſſent. de his verò ne verbulum qvidem. Et qvare, (num forſan deterritus?) abdicavit illum Epiſcopatum? ſiqvidem cum Paulo tranſegit, ut concionaretur ipſe εἰς τὴν περιτομὴν, Paulus verò εἰς τὰ ἔθνη Gal. II.9. Qvare, qvia huic deciſioni & decreto, *uti Dn. D. Hoë ait*, non dubium eſt, qvin paruerit D. Petrus Apoſtolus, loc. cit. p. 88. concludo, D. Petrum à concilio, donec Claudius in vivis fuit, non viſitâſſe Romam.

§. 6. Verùm cùm hoc concedant Adverſarii ipſi, mortuô autem Claudiô Romam redîſſe aſſerant, videbimus, qvid ponderis habeat affirmatio illa. Qvare hanc ponimus theſin: *Ante duodecimum Neronis annum Romæ Epiſcopum non egit Petrus:* Sonticas certè aſſertionis hujus nos habemus cauſſas, qvas membratim afferemus. Non feciſſe hoc D. Petrum primis tribus annis, ita demonſtramus. α. Indicare neqveunt, qvnam pactô Româ fuerit reverſus. β. Circiter hæc tempora (*Vide Baron. Ann. Ch. 58. n. 46. Calviſ. Op. Chron. ann. M. 4005*) ad Romanos exaravit Apoſtolus Paulus literas, eaſque à Corintho 183. circiter milliaria, Romam juxta *Büntingium*, miſit; nullâ verò ſalute, qvam inferioris ordinis Chriſtianis non denegat, Petrum impertiri jubet. Unde colligimus, Romæ tunc temporis Petrum non ſediſſe, ídqve jure optimô cum Or-

Orthodoxis adverſus Pontificios urgemus. *Vide Dn. D. Æg. Hunnii elegantiſſima de hocce argumento verba in præf. com. in ep. ad Rom. p.* 11. 12. Eleganter qvoqve de eo *Dn. D. Hoë* diſſerit in hunc modum: Cur, *inqvit*, D. Paulus in ep. ad Rom. nullam Romano Papæ ſalutem precatur, qvam aliis vilioris ſortis hominibus precatus eſt nominatim, Rom. xvi? Et mox: Nonne hanc unam cauſſam dicere habetis, Romæ tunc non fuit? *loc. cit. p.* 88. In confirmationem jam non adducam c. I. II. c. xv. 20. epiſtolæ hujus, poſteà ſuppeditabitur occaſio.

γ. Tertiô annô Neronis D. Paullus, juxta *Baronium, Ann. Ch.* 59. *n.* 1. *&* 4. Romam vinctus eſt deductus menſe Majô; qvod iter περιςατικῶς ſatis deſcribit Lucas, adeò ut nec occurſum Fratrum prætermittat; ſed D. Petri mentionem nuſqvàm facit, qvi ſanè ex pietate ſua, imò ex debito, qvin fratri ſuo ἀγαπητῷ 2. Pet. v. 15. obviam ſe dediſſet, eúmqve ædibus ſuis ſuſcepiſſet, ne Paulus ἰδίῳ μισθώματι *Act.* xxviii. 30. indiguiſſet, haud omiſiſſe putandus eſt. Sin autem forſan paullò antè Romæ ſediſſet Petrus, ex vero dicere non potuiſſent Judæi, neminem fratrum ipſis de Paulo qvidqvam retuliſſe, ſiqvidem erudiiſſet illos Euangelium, vel ad minimum id prædicaſſet Petrus, qvia Apoſtolus fuit τῆς περιτομῆς *Gal.* ii. 8. Porro neqve ſedit *Petrus* Romæ tribus ſubſeqventibus annis. Enimverò manſit Romæ Paulus διετίαν ὅλην in proprio μισθώματι. Adeóqve ad qvintum Neronis annum uſqve; nullibi autem Petrum viſitans, vel ab eodem viſitatus legitur. Infidelitatis qvoqve planè à D. Paulo fuiſſet incuſatus: Siqvidem ſecundum *Baronii* rationem ſcripſit Paulus vinculis detentus, annô qvartô Neronis, *Vide Ann. Ch.* 160. *n.* 1 ad Philippenſes Urbis Theſſaliæ incolas, non illius, cui nomen Philippis ceſſit à Philippo Macedonum Rege, *ut notat Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. repoſ. poſt. thec. 6. arc. 6. p.* 1078.

1078. ſupra 157. milliaria juxta *Büntingium, loc. cit. p.* 77. In ea verò Epiſtola præter Timotheum ſe neminem habere ἰσόψυχον qveritur: omnes enim qværere τὰ ἑαυτῶν, οὐ τὰ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ c. II. 20. 21. Qvid obſecro, de Petro fieret? περιστικαρος καὶ ἀποστάτης, ac משומד meſchummad, qvô vocabulô Apoſtata à Judæis eleganter exprimitur. *Vide Hotting. Theſ. Philol. lib.* 1. *c.* 1. *ſ.* 111 *p.* 13. Huic addatur qverela 2. Tim. IV. 16. ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον. Liceat hìc uti verbis *B. Schmidii not. in h. l. p.* 1281. Je du fauler Pabſt Peter, da du damahls, als Chriſti Stadthalter, und das Haupt der Chriſtenheit, zu Rohm geweſen, wie haſtu dich denn ſo gelumpt? Sed ſi adfuiſſes, ſcio, Paulum non deſeruiſſes. Huc facit & illud, qvòd in Epiſtola ad Philemonem Phrygium, nobilem Coloſſenſem, eôdem annô, ut habet *Baronius*, Ann. Ch. 64. n. 40. miſſa συνεργοὺς ſuos recitet Apoſtolus Paulus v. 23. 24. in qvibus non invenio Petrum. Et qva de cauſſa in inſcriptione ponit Timotheum, non Papam Romanum. Colligimus itaqve exinde non ſediſſe tunc temporis in *Urbe* D. Petrum: præſertim, qvod omiſeram propè, cùm ne γρῦ qvidem, qvidnam annis hiſce inceptârit, apud *Baronium* legamus. Poſtremò aſſerimus etiam, non fuiſſe Romæ Epiſcopum D. Petrum ſex ſeqventes annos: qvippe abfuiſſe tunc illum, ipſi non diffitentur. Cum Paulo tandem annô duodecimô Romam eum reducit *Baronius, Ann. Ch.* 68. *n.* 1. *p.* 699. Atqve hunc adventum credo eſſe illum, qvem deſcribunt *Origenes*, *Nicephorus* atqve *Euſebius*, qvando Petrum ſub vitæ exitum deniqve Romam perveniſſe teſtantur. Bene *Marc. Ant. de Dominis*: Primus, *inqvit*, Petri Romam adventus omnino ponendus eſt circa 12. Neronis annum, qvô Baronius ſecundum ponit. *Vide loc. ſæpiùs cit. n.* 31. Intereà priùs tamen Romam repetiiſſe D. Paulum aſſeyero: non ſimul adveniſſe ambos:

ambos: cùm enim è ſecundis vinculis Paulus literas ad Timotheum daret poſteriores, non fuit Apoſtolus *Petrus* Romæ Epiſcopus, id qvod videre licet ex capite qvarto epiſtolæ illius jam citato.

§. 7. Coronidis vice in gratiam Adverſariorum qvatuor adhuc poſitiones ponam. (α) *Ante Synodum Apoſtolorum Hieroſolymitanam Petrus Romæ non prædicavit, nedum ut Epiſcopus ſederit.* Probatum hoc eo ex ep. ad Gal. II. 7. 8. 9.

(β) *Ante Pauli Romam acceſſum primum non acceſſit eam Petrus, & ſedem erexit Pontificalem.* Probationem mihi ſuggerit Actorum caput ultimum, & epiſtola ad Romanos data *c.* XV. 20. Ex epiſtola qvod petitum eſt, achilleum exiſtimo; ſiqvidem *Baronius* eôdem utitur, cùm defendit, Corinthum à Paulo, non à Petro ad CHRISTUM eſſe converſam, *Ann. Ch.* 57. *n.* 4. Adhiberi idem à Baronio in vindicanda Paulo Eccleſiæ Epheſinæ fundatione, aſſerit *Sam. Mareſius in Syn. Theol. Elencht. contra Tirin. controv.* VI. *p.* 214. Verùm invenire illud mihi haud contigit. (γ) *Ante datam ex Urbe ad Galatas epiſtolam Petrus in Urbe non erexit ſedem.* Confirmo id ex epiſtolæ ejuſdem c. II. 8. qvando Apoſtolus ait: ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη. Deniqve (δ) *Paulus integrô fermè decenniô prius Romam venit, qvàm Petrus ibi erigere potuit Epiſcopatum.* Hæc adſero cum *Marco Ant. de. Domin. d. l. n.* 31. Atqve ita ſat abundanter & immobiliter ſtabilitam eſſe credo adſertionem meam. Concludam verbis jam citati *Marci Ant. de Domin. loc. cit. n.* 28. Eſt qvidem, *inqvit ille*, probabile Petrum qvoqve tandem Romam veniſſe, negandum tamen omnino eſt, eò veniſſe, ut Eccleſiam illam fundaret, qvam jam egregiè reperit fundatam.

Membrum 2. Ἐλεγχτικόν.

§. 1. Hic videndum nobis eſt, qvid regerant, qvid excipiant, qvibúſve nitantur argumentis Antagoniſtæ. Præprimis autem ad veritatis lancem adpendemus *Coryphæi* ipſorum, *Bellarmini* argumenta, qvibus it probatum, D. *Petrum* annô ſecundô Imp. Claudii veniſſe Romam, ibidémqveEpiſcopatum adminiſtrâſſe qvinqve & viginti annis. Hunc enim ſi refellerimus, refellemus autem ex facili, os, credo, obturatum ſatis fore Adverſariis noſtris. Sic verò procedit ille. In anteceſſum monet jam ſupra 1500. annos, *Beatum Petrum* Romanum extitiſſe Epiſcopum, conſtantiſſimè creditum eſſe à toto terrarum orbe, *lib.* 11. *c.* 1. *de R. P. p.* 605. Qvod probationes attinet, ſunt hæ ſeqventes. (α) ἄγραφος ut ne videatur; ipſum *Petrum* conſentire cogit in 1. *Pet.* v. 13 *Babylonis* verò nomine *Urbem* venire probat: 1. Ex conſenſu Patrum, *Euſebii* ſcilicet, *Oecumenii* & *Bedæ*, 2. omnium, qvotqvot in epiſtolam illam commentaria ſcripſerunt. 3. Apocalypſeos. 4. Noſtratium qvoqve, qvos propterea Apocalypſin recipere ait, qvòd multa in eadem adverſus Romam ſub nomine Babylonis dicantur. Qvare, *inqvit*, ſi Roma in Scripturis eſt Babylon, ut ipſi volunt, & Petrus ex Babylone ſcribit, certè ex Roma ſcribit. *Vide d. l. c.* 11. *p.* 606. 607. Hôc argumentô adblanditur qvoqve ſibi *Baronius*, *Ann. Ch.* 45. *n.* 16. *ſeqq.*

Reſp. Verumenimverò hæ probationes *Roberti* roboris habent parum. Sententiæ, qvam prætendit, antiqvitatem, vanam eſſe & fictam è *Marſilio Patavino*, *Mantuano*, *Aventino* & *Salmerone* jam oſtendit *Dn. D. Gerhardus in Confeſſ. Cath. lib.* 11. *art.* 111. *c.* 111. Neqve nos conſtringeret, qvamvis eſſet vera: regnum erat tenebrarum. Sed inſpi-

ſpiciamus theſeos ſuæ (f. *illius*) probationes. (1) Primùm rectè vocatur à *Dn. D. Dannhawero* argumentum σμικρȣ̃ νοὸς *Act.* I. O. *D. Th.* I. *Ph.* III. (ν) *p.* 104. Etenim ignorat nemo; primam Babylonis in hoc loco tropicam explicationem fuiſſe *Papiæ Epiſcopi Hierapolytani*, ſicuti ab *Euſebio* docemur, *lib.* II. *hiſt. Eccl. c.* XV. Papias verò *ex ipſius Euſebii judicio*, vir fuit exigui ſenſus & minùs capacis, *lib.* III. *c.* XXXIX. Conſentiant licèt Patrum nonnulli: non curamus nos, qvis qvid, ſed qvid qvis dicat. Neqve *Euſebius* explicationem iſtam laudat, recenſet tantùm. Qvid, ſi laudaret? paucorum ſaltem affert ſuffragia *Bellarminus*; *Coſterus* autem & alii Pontificii, non niſi ex unanimi Patrum aſſenſu infallibile peti poſſe argumentum, fatentur. *Vide Enchirid. c. de Script. p.* 63. (2) מפרשים mepharſchim, ſive Commentatores fortè intelligit Pontificios; verùm neqve de his eſt verum. Affero confeſſionem *Coſteri*, viri inter ipſos haud obſcuri nominis, qvi in *Ench. ſuo, c.* III. *p.* 155 *ita ait*: Ex Babylone Ægypti non incommodè dicitur ipſius (*Petri*) prior epiſtola ſcripta, qvamvis plerique poſt Papiam Babylonis nomine Romam intelligant. (3) Apocalypſeos ſtylus, nec ipſo *Robertô* id diffitente, myſticus eſt & propheticus; *Petrus* autem cur fuerit tropicè locutus, cauſſa dari ſufficiens neqvit. Prætendit qvidem *Baronius*, factum id eſſe à *Petro*, ne nomen ſuum proderetur: fuiſſe enim Agrippam, cujus carceri elapſus erat olim; amicum valde Claudio Imperatori *Vide Ann. Ch.* 45. *n.* 17. *p.* 381. His *Panidis ſuffragium* præbet *Jac. Tirinus Lojolita*. cui benè occurrit *Sam. Mareſius*, Petrum non adeò meticuloſum eſſe appellandum cùm nec coram *Nerone*, ut ipſi tradunt, contra Magum pugnare veritus fuerit: imò nec profeciſſe qvidqvam eô *Petrum*, qvia Eccleſiam Romanam ſatis jam divulgârat

gârat Apoſtolus Paulus. *Vide Synopſ. Theol. Elencht controv.* VI. *p.* 213. Adde, nullam Epiſtolæ aliorum Apoſtolorum ſubſcriptionem tropicam eſſe. (4) Mendacium eſt, ob unicam iſtam, qvam affert, cauſſam, *Apocalypſin* à nobis acceptari. Qvid ſi ita eſſet? nihil certè illô adverſus nos obtineret: qvæ enim eſt ſeqvela? Apocalypſin recipiunt Adverſarii, qvia ſub nomine Babyloniæ Romam damnat. Ergo concedant oportet, etiam *Petrum* voce Babylon in epiſtolæ ſuæ ſubſcriptione Romam indigitare, & per conſeqvens, ipſum Epiſcopum fuiſſe ibi 25 annis. Seqvela non ſeqvens. Qvòd ſi tandem concedendum ipſi foret, *Romam* eſſe in Scripturis Babylonem, concedatur etiam ab ipſo, eſt neceſſe, qvòd *Roma* ſit πόρνη μεγάλη. Apoc. XVII. 1. ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. v. 5. κατοικητήριον δαιμόνων καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου καὶ φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου c. XVIII. 2. &c. Videbimus, qvid reponat hìc *Bellarminus*: Dicit ea jam pridem eſſe expleta, qvæ vaticinatur D. *Johannes*, tempore Neronis; nec dici illa adverſus Eccleſiam, ſed gentilitatem Romanam: Imperium Romanum dici delendum, ídqve perfeciſſe *Gothos* ac *Wandalos*, *d. l. p.* 601. *Baronius inqvit*: Nec per ſomnium qvidem qvis unqvàm inveniet, Romanam Eccleſiam eſſe Babylonis nomine nuncupatam, ſed ipſam tantummodò civitatem; ac id qvidem non ſemper, ſed cùm impietate referta adverſus ipſam Eccleſiam bellum gereret. *Vide Ann. Ch.* 45. *n.* 18. Verùm reſp. D. *Johannis* vaticinia præprimis contra depravatas Eccleſias ſunt directa; à potiori autem membro facit denominationem. Qvòd verò nondum iis ſit ſatisfactum, patet ex verbis, οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι. c. XVIII. 21. ubi de ultimo excidio & πανολεθρίᾳ ſermonem eſſe, nemo non videt. Nec per *Wandalos* & *Gothos* iis ſatisfieri potuit, cùm talio

colarum nonnulli jam dudum hiſtoriæ falſitatem ſubolentes, de ea dubitârunt, imò falſam eſſe agnoverunt; ut *Marſilius Patavinus*, *Mantuanus*, *Aventinus & Salmero*, qvorum ipſiſſima verba lege apud *Dn. D. Gerhardum in Confeſſ. Cath. loc. cit. p.* 589. *ad* 595. Hoc dico; alienum fuit ab Apoſtolis ad certam Eccleſiam, certámqve ſedem alligari. CHRISTUS vocavit *Petrum* ad Apoſtolatum; non igitur ad Epiſcopatum: nam hos ordines eſſe diverſos, ipſi Pontificii docent, ut eſt videre *ex Confeſſ. Cath. loc. cit. p.* 595. Qvòdſi *Petrum* in abſentia qvoqve geſſiſſe Epiſcopatum affirmant, qvî fit, qvòd ad hanc ſuam cathedralem Eccleſiam nullam ſcripſit Epiſtolam? qvod utiqve facere debuiſſet, ſi curam Epiſcopatus ſui debitâ fidelitate gerere voluiſſet; ſicuti bene argumentatur *Dn. D. Gerh. Gravius*, *Eccleſiæ*, *qvæ eſt Hamburgi*, *Cathedralis Paſtor. in Pent. qvæſt. Theol. Hiſt. Anti-Papiſtic. qvæſt.* 1. *p.* 10. Qvia itaqve *Caranza*, citante *Dn. D. Joh. Matth. Mayfartô*, ſcriptor Pontificius, qvando de primis Romanis Pontificibus agit, dicit ſe in re tam perplexa judicium lectoris arbitrio *relinqvere. Vide Anti-Becan. lib.* 1. §. 153. *p.* 482. calculum nos ineamus, præſertim Pontificiorum obſervantes, qvo ipſos eò melius conſtringere poſſimus.

§. 4. Dicimus ergo: *Annô ſecundô Claudii nondum à D. Petro viſa eſt Roma.* Demonſtratum id dabo hôcce modô. Martyrii coronâ coronatus eſt *Stephanus*, ex calculo *Baronii*, annô CHRISTI 35. per diem unum inchoatô d. 26. decembris. *Vide* A. C. 34. *n.* 301. *p.* 272. Hinc diſcipuli ſunt diſperſi πλὴν Ἀποςόλων *Act.* VIII. 1. adeóqve nec *Petrus* Hieroſolymis tunc diſceſſit. Annô ſeqventi converſus eſt *Paulus* d. 8. Kal. Febr. prout *idem Baronius* ex morte ejuſdem colligit, *A. C.* 36. *n.* 1. *p.* 290. Hôc autem temporis intervallô ultra Samariam

mariam *Petrus* non eſt progreſſus, qvâ relictâ rectâ repetiit Hieroſolymam, *Act.* VIII. 25. Annô à converſione ſua tertiô *Paulus* Jeruſalem, non benevolentiæ cauſsâ, ſed honoris, *qvâ phraſi neqvidqvàm ſibi adblanditur Baronius*, petiit, Petrum viſurus, apud qvem 15. dies commoratus eſt, *Gal.* I. 18. Factum hoc eſſe primô Imp. Caji annô aſſerit *Baronius, Ann. Ch.* 39. *n.* 4 *& 6.* His addantur ſeptem anni, qvibus *Antiochiæ* ſediſſe *Petrum* propugnant, & habebis annum Claudii qvartum. Enimverò imperavit C. Cæſar (*qvem militari vocabulô Caligulam adpellabant, uti Tacitus loqvitur, lib.* I. *Annal. c.* XLI. 4. *lege Cl. Lipſii excurſum in h.l. p.* 498. *L. qvi contra Svetonium hoc defendit*) annis 3. menſibus 10. diebúſqve VIII. *Svet. lib.* V. *c.* LIX. juxta *Baronium* menſibus tantùm novem, *Ann. CH.* 43. *n* I. Non ſubdolè hìc agam, aſſeverant ipſi, initium ſedis Antiochenæ factum eſſe annô I. Caji. *Baronius* affirmatô D. *Petrum* primô Caji annô Antiochiam veniſſe, id à Luca, intento *miracula inſigniora* à Petro edita memoriæ commendare, omiſſum eſſe ait, *loc. cit. n.* 8. *p.* 300. *& n.* 20. Ad hæc non reponam, falsò Lucæ hoc affingi, imò ipſum Lucam repugnare: hoc tantummodò ex ipſius aſſerto *notetur benè, Lucam non feciſſe magni tam excellentem,* qvem credunt, *Epiſcopatum.* Adblanditur Cardinali Jeſuita *Aurelianenſis, inqviens*: Eſt tamen veriſimile, ſub illud tempus à Petro eſſe ſuſceptam (*ſcil. profectionem verſus Antiochiam*) qvô, ut eſt Act. IX. 32. varias provincias obeundo peragravit, qvod circa annum CHRISTI 37. contigit, qvô Tiberii ultimus deſiit, cœpitqve Caji primus. *Vide loc. cit. p.* 322. De variis, qvæ hìc fingit, provinciis jure nos reſpuimus, ſubſtituendo *Civitates.* Nam doctè obſervat. *Dn. D. Dannhawerus,* τῷ διελθεῖν διὰ πάντων *ſolas urbes* intra Iſraëlem comprehendi, *Act.* I. *Paropt. Dram.*

ac Myth. Metamorph. 3. *p.* 720. Sic enim loqvitur *Syrus:* ܘܗܘܐ ܕܟܕ ܡܬܟܪܟ ܗܘܐ ܫܡܥܘܢ ܒܡܕܝܢܬܐ id eſt, *Et factum eſt, cùm circumiret Simon per civitates.* Qvod autem voce ܡܕܝܢܬܐ hôc locô ſignificetur *civitas*, non provincia, ex ſubſeqventi in eodem verſu uſurpatione eluceſcit. *Hæc de illo.* Ab anno autem qvarto Claudii uſqve ad nonum (*qvod demiratus ſum*) ne unius qvidem rei à D. *Petro* Romæ geſtæ mentionem injicit *Baronius*, niſi qvòd ſub initio anni qvarti paucis aliqvam diſcipulorum emiſſionem fingat. Qvinimò nec annô nonô qviqdvam, præter id, qvòd occaſione perſecutionis Hieroſolymam fuerit reverſus, nulla enarrata circumſtantiarum, qvibus ſociis, qvô pactô, maríne an terrâ iter hoc perfecerit, nemo ex illo cognoſcet. Adjiciemus inſuper alia qvædam annum ſecundum vacillantem reddentia. Silentiô præteribo, ipſum *Baronium* confiteri, qvòd certô careat ſcriptore, ex qvo oſtendere poſſit, qvibus itineribus qvibúſve ſociis Romam venerit D. Petrus, licèt adducat Metaphraſtem, *ann. Ch.* 44. *n.* 27. p. 353. Hoc inqvam, non præteriiſſe D. Petrum *Siracidis* illud, ὁ ἀγαπῶν κίνδυνον, ἐν αὐτῷ ἐμπεσεῖται. Qvòd ſi autem è carcere liberatus Romam è veſtigio adiiſſet, qvantum qvæſo ſubiiſſet vitæ periculum? Etenim *Imp. Claudius* favebat admodùm Agrippæ: unde non poterat *D. Petrus* Romæ tutus vivere, nedum erigere ſedem. Præterea malíſvada inſtabat fames, erant autem occupati diſcipuli, qvomodo Fratribus in Judæa proſpicerent, *Act.* XI. 29. 30. Qvare non videtur *Petrus* tum temporis extra Judæam proceſſiſſe: nimis enim cara fuit annona, etiam in ipſa Urbe, *Svet. lib.* V. *c.* XVIII.

Demum, hoc neqveo præterire, qvòd, ipſorum qvi eſſe deberet propugnator, videlicet Lojolita *Aurelianenſis*, annum ſecundum impugnet *loc. cit.* p. 323. affirmans, annô qvidem Claudii ſecundô D. Apoſtolum eſſe profectum; ſed eſſe conſeqvens, annô *tertiô* Claudii ſub initio ſedem erexiſſe. Qvid, ſi hoc licet adverſariis ipſis? Deniqve nec omnino hæcce mea aſſertio antiqvitate caret: nam Petrum ante qvartum Claudii annum Urbem non eſſe ingreſſum aſſerit *Marianus Scotus Monachus*: & facit cum eo *Faſciculus temporum*.

§. 5. Sed in hoc non adqvieſcimus: ulteriùs ſunt urgendi Papicolæ. Nos etiam hoc aſſeveramus: *Petrus vivente Claudiô Romæ non ſedit*. Suffragantur Origenes & Nicephorus: Illud, *inqvit B. Chemnitius in Harm. Euang.* c. 1. cum hiſtoria Actorum ſimpliciſſimè convenire videtur, qvod Origenes & Nicephorus annotant, Petrum circa finem vitæ ſuæ ultimis annis Neronis veniſſe Romam. Huic accedit, qvòd ipſi Pontificii ajunt, Petrum propterea Urbis nomen in epiſtola ſua reticuiſſe, qvia Claudius dilexerit Agrippam, atqve hâc ratione à Claudio ſi cognoſceretur, mortis periculum incidiſſet. *Vide Baron. ann. Ch.* 45. *n.* 17. *p.* 381. Agnoſcunt ergo Petrum Romæ in obſcuro non dicam, ſed metu vixiſſe: non itaqve ut Pontifex ibi ſediſſe potuit. Non movebo, qvòd ſextô Claudii annô D. *Mariam* Deiparam, ad cælum aſſumtam eſſe, *Euſebius in Chron.* ſcribit, eidémqve aſſumptioni interfuiſſe D. Petrum, teſtatur *Dionyſius Areopagita*, III. *de Eccl. Hierarch.* Qvem alioqvin pro variis ſtabiliendis figmentis *Bellarminus* citat, & cui vindicias ſcripſit *Mart. Delrius*. Vide Gerh. *Confeſſ. Cath.* lib. 1. part. II. c. XIII. p. 651, *ſeqq.* Hoc aſſerimus nos, probatis jam annis prioribus, annô nonô Claudii Româ non veniſſe D. Petrum Hieroſo-

lymam ad Synodum. Certum & hoc (ſunt verba *Dn. D. Hoë in comm. Ep. ad Gal. c.* 11. §. 24. *p.* 87.) qvòd Claudius annô nonô ſui Imperii omnes CHRISTO JESU addictos extra Italiam relegavit. Non ergo Petrum qvoqve toleráſſet Romæ, ſi ſibi fuiſſet. Hæc ille. Tempus comprobatur *Baronio, Ann. Ch.* 51. *n.* 2. Paucis hæc perſecutio memoratur à *Tranqvillo, lib.* v. *c.* xxv. 15. ſic dicente: Judæos compulſore CHRESTO (*ita per inſcitiam ſcripſiſſe Ethnicos annotat Juſtus Lipſius, comm. in lib.* xv. *Annal. Tac. c.* XLIV. *not.* LXXXVI. *nec non Baron. Ann. Ch.* 43. *n.* 13. *p.* 340.) aſſiduè tumultuantes Româ expulit. Certitudine autem non caret, factam eſſe hanc perſecutionem poſt concilium Apoſtolicum. *Act.* xv. Hôc enim jam dudum peractô, Corinthum, peragratis jam 463 milliaribus ex ratione *Büntingii in Itin. N. T. p.* 69. 70. 71. appellens D. Paulus offendit *Aqvilam & Priſcillam*, qvi ܕܒܗ ܗܘܘ in illo ipſo tempore, uti *Syrus* loqvitur, vel ut Lucas, προσφάτως nuper (*non ſine ſingulari* ἐμφάσει *hâc uti voce gaviſum fuiſſe Lucam mihi videtur, non adhibet* πρώην, *non* ἄρτι: *nam* πρόσφατος *eſt idem, qvod recens mactatus, occiſus, ex* πρὸς *&* *obſoleto* φάω *occido*) fugati ex Italia advenerant, *Act.* XVIII. 1. 2. Si itaqve à Claudio primùm D. Petrus Romam linqvere fuiſſet coactus, Concilio iſti intereſſe vix potuiſſet. Qvare non ineptus mihi videtur *Marcus Ant. de Dom.* dum Synodum illam in octavum Claudii annum reponit *d. l. n.* 15. Qvidqvid ſit, ſi ex fuga D. Petrus ad Concilium veniſſet, meminiſſet ſanè ejus S. *Lucas*, vel unicâ tantùm apiculâ, cùm nec Aqvilam ac Priſcillam exules prætermiſerit. Qvinimò contradicit potiùs Lucas, qvando Paulum atqve Barnabam ad Apoſtolos & presbyteros εἰς Ἱερουσαλὴμ miſſos, ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων acceptos eſſe ſcribit *Act.* xv. 2. 4. Apoſtolos hìc intel-

telligi, qvi Hieroſolymis docebant, patet: non enim dicit Lucas, miſſos eſſe illos ad Apoſtolos qvi Hieroſolymam redierant: nec dicitur, cognoviſſe illos, qvod fingunt, Petrum eſſe reverſum. Præter hæc ſi ſedem Romæ jam erexiſſet Epiſcopalem D. *Petrus*, ſine dubio tantum Euangelii progreſſum, reditúmqve proſperum, ceteris τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν percenſentibus v. 3. non celâſſet, qvô gaudiô affeciſſet Fratres ſuos: vel ſi enarrâſſet cladem ſeu fugam, reliqvi ſanè eam condoluiſſent. de his verò ne verbulum qvidem. Et qvare, (num forſan deterritus?) abdicavit illum Epiſcopatum? ſiqvidem cum Paulo tranſegit, ut concionaretur ipſe εἰς τὴν περιτομὴν, Paulus verò εἰς τὰ ἔθνη Gal. II.9. Qvare, qvia huic deciſioni & decreto, *uti Dn. D. Hoë ait*, non dubium eſt, qvin paruerit D. Petrus Apoſtolus, loc. cit. p. 88. concludo, D. Petrum à concilio, donec Claudius in vivis fuit, non viſitâſſe Romam.

§. 6. Verùm cùm hoc concedant Adverſarii ipſi, mortuô autem Claudiô Romam redîſſe aſſerant, videbimus, qvid ponderis habeat affirmatio illa. Qvare hanc ponimus theſin: *Ante duodecimum Neronis annum Romæ Epiſcopum non egit Petrus:* Sonticas certè aſſertionis hujus nos habemus cauſſas, qvas membratim afferemus. Non feciſſe hoc D. Petrum primis tribus annis, ita demonſtramus. α. Indicare neqveunt, qvnam pactô Româ fuerit reverſus. β. Circiter hæc tempora (*Vide Baron. Ann. Ch. 58. n. 46. Calviſ. Op. Chron. ann. M.* 4005) ad Romanos exaravit Apoſtolus Paulus literas, eaſque à Corintho 183 circiter milliaria, Romam juxta *Büntingium*, miſit; nullâ verò ſalute, qvam inferioris ordinis Chriſtianis non denegat, Petrum impertiri jubet. Unde colligimus, Romæ tunc temporis Petrum nonſediſſe, ídqve jure optimô cum

Or-

Orthodoxis adverſus Pontificios urgemus. *Vide Dn. D. Æg. Hunnii elegantiſſima de hocce argumento verba in præf. com. in ep. ad Rom. p.* 11. 12. Eleganter qvoqve de eo *Dn. D. Hoë* diſſerit in hunc modum: Cur, *inqvit*, D. Paulus in ep. ad Rom. nullam Romano Papæ ſalutem precatur, qvam aliis vilioris ſortis hominibus precatus eſt nominatim, Rom. xvi? Et mox: Nonne hanc unam cauſſam dicere habetis, Romæ tunc non fuit? *loc. cit. p.* 88. In confirmationem jam non adducam c. i. 11. c. xv. 20. epiſtolæ hujus, poſteà ſuppeditabitur occaſio.

γ. Tertiô annô Neronis D. Paullus, juxta *Baronium, Ann. Ch.* 59. *n.* 1. & 4. Romam vinctus eſt deductus menſe Majô; qvod iter περιστατικῶς ſatis deſcribit Lucas, adeò ut nec occurſum Fratrum prætermittat; ſed D. Petri mentionem nuſqvàm facit, qvi ſanè ex pietate ſua, imò ex debito, qvin fratri ſuo ἀγαπητῷ 2. Pet. v. 15. obviam ſe dediſſet, eúmqve ædibus ſuis ſuſcepiſſet, ne Paulus ἰδίῳ μισθώματι *Act.* xxviii. 30. indiguiſſet, haud omiſiſſe putandus eſt. Sin autem forſan paullò antè Romæ ſediſſet Petrus, ex vero dicere non potuiſſent Judæi, neminem fratrum ipſis de Paulo qvidqvam retuliſſe, ſiqvidem erudiiſſet illos Euangelium, vel ad minimum id prædicaſſet Petrus, qvia Apoſtolus fuit τῆς περιτομῆς *Gal.* 11.8. Porro neqve ſedit *Petrus* Romæ tribus ſubſeqventibus annis. Enimverò manſit Romæ Paulus διετίαν ὅλην in proprio μισθώματι. Adeóqve ad qvintum Neronis annum uſqve; nullibi autem Petrum viſitans, vel ab eodem viſitatus legitur. Infidelitatis qvoqve planè à D. Paulo fuiſſet incuſatus: Siqvidem ſecundum *Baronii* rationem ſcripſit Paulus vinculis detentus, annô qvartô Neronis, *Vide Ann. Ch.* 160. *n.* 1 ad Philippenſes Urbis Theſſaliæ incolas, non illius, cui nomen Philippis ceſſit à Philippo Macedonum Rege, *ut notat Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. repoſ. poſt. thec.* 6. *arc.* 6. *p.* 1078.

1078. ſupra 157. milliaria juxta *Büntingium, loc. cit. p.* 77. In ea verò Epiſtola præter Timotheum ſe neminem habere ἰσόψυχον qveritur: omnes enim qværere τὰ ἑαυτῶν, οὐ τὰ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ c. II. 20. 21. Qvid obſecro, de Petro fieret? προδότης καὶ ἀποστάτης, ac משומד meſchummad, qvô vocabulô Apoſtata à Judæis eleganter exprimitur. *Vide Hotting. Theſ. Philol. lib.* 1. *c.* 1. *ſ.* 111 *p.* 13. Huic addatur qverela 2. Tim. IV. 16. ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον. Liceat hìc uti verbis *B. Schmidii not. in h. l. p.* 1281. Je du fauler Pabſt Peter, da du damahls, als Chriſti Stadthalter, und das Haupt der Chriſtenheit, zu Rohm geweſen, wie haſtu dich denn ſo gelumpt? Sed ſi adfuiſſes, ſcio, Paulum non deſeruiſſes. Huc facit & illud, qvòd in Epiſtola ad Philemonem Phrygium, nobilem Coloſſenſem, eôdem annô, ut habet *Baronius*, Ann. Ch. 64. n. 40. miſſa συνεργοὺς ſuos recitet Apoſtolus Paulus v. 23. 24. in qvibus non invenio Petrum. Et qva de cauſſa in inſcriptione ponit Timotheum, non Papam Romanum. Colligimus itaqve exinde non ſediſſe tunc temporis in *Urbe* D. Petrum: præſertim, qvod omiſeram propè, cùm ne γρῦ qvidem, qvidnam annis hiſce inceptârit, apud *Baronium* legamus. Poſtremò aſſerimus etiam, non fuiſſe Romæ Epiſcopum D. Petrum ſex ſeqventes annos: qvippe abfuiſſe tunc illum, ipſi non diffitentur. Cum Paulo tandem annô duodecimô Romam eum reducit *Baronius, Ann. Ch.* 68. *n.* 1. *p.* 699. Atqve hunc adventum credo eſſe illum, qvem deſcribunt *Origenes*, *Nicephorus* atqve *Euſebius*, qvando Petrum ſub vitæ exitum deniqve Romam perveniſſe teſtantur. Bene *Marc. Ant. de Dominis*: Primus, *inqvit*, Petri Romam adventus omnino ponendus eſt circa 12. Neronis annum, qvô Baronius ſecundum ponit. *Vide loc. ſæpiùs cit. n.* 31. Intereà priùs tamen Romam repetiiſſe D. Paulum aſſeyero: non ſimul adveniſſe ambos:

ambos: cùm enim è ſecundis vinculis Paulus literas ad Timotheum daret poſteriores, non fuit Apoſtolus *Petrus* Romæ Epiſcopus, id qvod videre licet ex capite qvarto epiſtolæ illius jam citato.

§. 7. Coronidis vice in gratiam Adverſariorum qvatuor adhuc poſitiones ponam. (α) *Ante Synodum Apoſtolorum Hieroſolymitanam Petrus Romæ non prædicavit, nedum ut Epiſcopus ſederit.* Probatum hoc eo ex ep. ad Gal. II. 7. 8. 9.

(β) *Ante Pauli Romam acceſſum primum non acceſſit eam Petrus, & ſedem erexit Pontificalem.* Probationem mihi ſuggerit Actorum caput ultimum, & epiſtola ad Romanos data *c.* XV. 20. Ex epiſtola qvod petitum eſt, achilleum exiſtimo; ſiqvidem *Baronius* eôdem utitur, cùm defendit, Corinthum à Paulo, non à Petro ad CHRISTUM eſſe converſam, *Ann. Ch.* 57. *n.* 4. Adhiberi idem à Baronio in vindicanda Paulo Eccleſiæ Epheſinæ fundatione, aſſerit *Sam. Marcſius in Syn. Theol. Elencht. contra Tirin. controv.* VI. *p.* 214. Verùm invenire illud mihi haud contigit. (γ) *Ante datam ex Urbe ad Galatas epiſtolam Petrus in Urbe non erexit ſedem.* Confirmo id ex epiſtolæ ejuſdem c. II. 8. qvando Apoſtolus ait: ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη. Deniqve (δ) *Paulus integrô fermè decenniô priùs Romam venit, qvàm Petrus ibi erigere potuit Epiſcopatum.* Hæc adſero cum *Marco Ant. de. Domin. d. l. n.* 31. Atqve ita ſat abundanter & immobiliter ſtabilitam eſſe credo adſertionem meam. Concludam verbis jam citati *Marci Ant. de Domin. loc. cit. n.* 28. Eſt qvidem, *inqvit ille*, probabile Petrum qvoqve tandem Romam veniſſe, negandum tamen omnino eſt, eò veniſſe, ut Eccleſiam illam fundaret, qvam jam egregiè reperit fundatam,

Mem-

Membrum 2. Ελεγχτικόν.

§. 1. Hic videndum nobis eſt, qvid regerant, qvid excipiant, qvibúſve nitantur argumentis Antagoniſtæ. Præprimis autem ad veritatis lancem adpendemus *Coryphæi* ipſorum, *Bellarmini* argumenta, qvibus it probatum, D. *Petrum* annô ſecundô Imp. Claudii veniſſe Romam, ibidémqveEpiſcopatum adminiſtrâſſe qvinqve & viginti annis. Hunc enim ſi refellerimus, refellemus autem ex facili, os, credo, obturatum ſatis fore Adverſariis noſtris. Sic verò procedit ille. In anteceſſum monet jam ſupra 1500. annos, *Beatum Petrum* Romanum extitiſſe Epiſcopum, conſtantiſſimè creditum eſſe à toto terrarum orbe, *lib.* 11. *c.* 1. *de R.P. p.* 605. Qvod probationes attinet, ſunt hæ ſeqventes. (α) ἄγραφος ut ne videatur; ipſum *Petrum* conſentire cogit in 1. *Pet.* v. 13 *Babylonis* verò nomine *Urbem* venire probat: 1. Ex conſenſu Patrum, *Euſebii* ſcilicet, *Oecumenii* & *Bedæ*, 2. omnium, qvotqvot in epiſtolam illam commentaria ſcripſerunt. 3. Apocalypſeos. 4. Noſtratium qvoqve, qvos propterea Apocalypſin recipere ait, qvòd multa in eadem adverſus Romam ſub nomine Babylonis dicantur. Qvare, *inqvit*, ſi Roma in Scripturis eſt Babylon, ut ipſi volunt, & Petrus ex Babylone ſcribit, certè ex Roma ſcribit. *Vide d. l. c.* 11. *p.* 606. 607. Hôc argumentô adblanditur qvoqve ſibi *Baronius*, *Ann. Ch.* 45. *n.* 16. *ſeqq.*

Reſp. Verumenimverò hæ probationes *Roberti* roboris habent parum. Sententiæ, qvam prætendit, antiqvitatem, vanam eſſe & fictam è *Marſilio Patavino*, *Mantuano*, *Aventino & Salmerone* jam oſtendit *Dn. D. Gerhardus in Confeſſ. Cath. lib.* 11. *art.* 111. *c.* 111. Neqve nos conſtringeret, qvamvis eſſet vera: regnum erat tenebrarum. Sed in-

ſpi-

gârat Apoſtolus Paulus. *Vide Synopſ. Theol. Elencht controv.* VI. *p.* 213. Adde, nullam Epiſtolæ aliorum Apoſtolorum ſubſcriptionem tropicam eſſe. (4) Mendacium eſt, ob unicam iſtam, qvam affert, cauſſam, *Apocalypſin* à nobis acceptari. Qvid ſi ita eſſet? nihil certè illô adverſus nos obtineret: qvæ enim eſt ſeqvela? Apocalypſin recipiunt Adverſarii, qvia ſub nomine Babyloniæ Romam damnat. Ergo concedant oportet, etiam *Petrum* voce Babylon in epiſtolæ ſuæ ſubſcriptione Romam indigitare, & per conſeqvens, ipſum Epiſcopum fuiſſe ibi 25 annis. Seqvela non ſeqvens. Qvòd ſi tandem concedendum ipſi foret, *Romam* eſſe in Scripturis Babylonem, concedatur etiam ab ipſo, eſt neceſſe, qvòd *Roma* ſit πόρνη μεγάλη. Apoc. XVII. 1. ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. v. 5. κατοικητήριον δαιμόνων καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου καὶ φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου c. XVIII. 2. &c. Videbimus, qvid reponat hic *Bellarminus*: Dicit ea jam pridem eſſe expleta, qvæ vaticinatur D. *Johannes*, tempore Neronis; nec dici illa adverſus Eccleſiam, ſed gentilitatem Romanam: Imperium Romanum dici delendum, ídqve perfeciſſe *Gothos* ac *Wandalos*, *d. l. p.* 601. *Baronius inqvit*: Nec per ſomnium qvidem qvis unqvàm inveniet, Romanam Eccleſiam eſſe Babylonis nomine nuncupatam, ſed ipſam tantummodò civitatem; ac id qvidem non ſemper, ſed cùm impietate referta adverſus ipſam Eccleſiam bellum gereret. *Vide Ann. Ch.* 45. *n.* 18. Verùm reſp. D. *Johannis* vaticinia præprimis contra depravatas Eccleſias ſunt directa; à potiori autem membro facit denominationem. Qvòd verò nondum iis ſit ſatisfactum, patet ex verbis, οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι. c. XVIII. 21. ubi de ultimo excidio & πανολεθρίᾳ ſermonem eſſe, nemo non videt. Nec per *Wandalos* & *Gothos* iis ſatisfieri potuit, cùm talio

denda præcipiatur. v. 6. Vandalos autem atqve Gothos qvis Romanorum jamdum unqvàm ſubegerat? Largiemur deniqve ipſis de Urbe tantùm eſſe accipienda verba, concedant coguntur, qvòd *Roma* hodierna ſit κατοικητήριον δαιμόνων &c. v. 2. Atqve hæc ſint reſponſa ad argumentum primum.

(β) Pituitâ certè non laboravit: nam & alia ex Scripturis deſumenda fore ſuboluit: hinc affert *Actorum caput ultimum*, & *epiſtolam ad Romanos*, ex qvibus ita colligit: Paulus antè eò non pervenerat, E. Petrus; *Petri* autem adventum probat ex *Euſebio*, *Arnobio & Sibylla Erythrea*. Reſp. Contrarium nos es iiſdem probamus locis. Dicunt enim Judæi, literas ſe de Paulo (ἐπὶ, *non* ἀπὸ, *alióqvin eſſet contradictio, qvod notat Dn. D. Waltherus* (איש האלהי) *in Harm. Bibl.* § 191. *Ep. ad Rom. c.* 1. 7. *p.* 1034.) accepiſſe nullas, nec fratrum qvemdam ipſis qvidqvam de eo narrâſſe, *c.* XXVIII. 21. Qvòd ſi igitur adfuiſſet anteà *Petrus*, qvomodo celâſſet illos τὸ σκεῦος ἐκλογῆς DEI, & fratrem ſuum ἀγαπητόν? Cur non obviam it Paulo cum aliis? v. 15. Sed indignum fortean fuiſſet tantô Papæ; cur non excipit Paulum hoſpitiô? forſitan ſplendidæ nimis ipſius fuerunt ædes. Sed qværit *Bellarminus*, à qvonam fuerint converſi Romani ante epiſtolam atqve adventum Pauli? Reſp. Advenêre *Urbem* Chriſtiani jam converſi, qvos nominat Paulus *c.* XV. *ep.* Neqve tamen horum fidem, ut perfectam, laudat, ſed reddere illam perfectiorem avet. Probent à *Petro* illos eſſe converſos, qvod non eſſe factum, jam dedi demonſtratum, Neqve ſi feciſſet, erectione ſtatim cathedræ fuiſſe opus. Sed inſtat *Bellarminus* ad reſponſum primum, veniſſe ad D. *Paulum* Judæos, nondum converſos, eóſqve ſaltem nondum fuiſſe perſvaſos, non ac ſi nihil de eo perſepiſſent *d. l. c.* VII. Reſp. Prius neqve nos in totum aſſerimus, hoc tamen expreſ-

ſè

ſè fatentur ipſi Judæi, nec literis, nec nunciis de Paulo qvemqvam ipſos feciſſe certiores. Qvod autem in ſpecie epiſtolam ad Romanos ſpectat, verſiculum qvidem non nominat Lojolyta, ſed intendit ſine dubio *v.* 8. *c.* 1. Regero indirectè verbis *Dn. D. Hoë*, qvi ita: Obſecro viri Pontificii, dicite, ſi vivente Paullô D. Petrus Romæ Papa fuit, cur opus fuit, ut D. Apoſtolus Romanis epiſtolam adhortatoriam ſcriberet, cur hoc non fecit ipſe Papa Petrus? *Vide loc. ſæpenumerò cit. p.* 88. Præterea, num credendum, D. *Petrum* Româ diſceſſiſſe Eccleſiâ relictâ imperfectâ? laudat enim ipſorum fidem D. *Paulus* adhuc ut imperfectam, ideóqve dicit, deſidero videre vos, ἵνα τὶ μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς. *c.* 1. 2. Qvi verò rei addit colophonem, victoriæ ſolet auferre palmam; adeóqve primas in converſione partes *Paulo* deberent Romani: Et qvomodo cohæret hæc concluſio? *Paulus* tum temporis Romam nondum docuerat. E. *Petrus*. Næ funiculus eſt ex arena connexus. Deniqve ut, de *Euſebio*, *Arnobio* ac *Sibylla*, qvæ mens ſit, addam, D. *Petri*, Romam adventum ex adductis locis non probant; De fundatione verò prima qvæ tradunt, contradictione non carent: *Tertullianus* enim eamdem *Johanni* qvoqve, *Irenæus* verò etiam D. *Paulo* aſſignat, teſtante *Marcô Anton. de Domin. loc. cit. n.* 9. 10. *ſeqq.* (γ) Pergit *Bellarminus*, ſuámqve theſin ex Euangelio D. Marci, qvod Romæ, dictante Petrô, ſcriptum eſſe ex Patribus oſtendit, confirmat, *p.* 610. *I.* Reſp. De hocce Euangelio legatur *Dn. D. Dannhaw Act.* 1. *Paropſ. Dram. ac Myth. Met.* 3. (λ) *p.* 764. *ſeqq.* De tempore ita præclarè Idem: Qvæ ſi vera, *inqvit*, impegit denuò Irenæus, qvi lib. III. c. 1. poſt exceſſum (è vita, an ex urbe? perinde eſt) Petri & Pauli è Roma ſcripſiſſe Marcum aſſerit. *Vide Act.* 1. *O. D. Th.* 1. *Ph.* 3.

 §. 8.

§. 8. *p.* 152. Qvæ verba Irenæi trivolè interpretatur Lojolyta *Joannes de la Haye Servius in Apparat. Euangel. c.* XXXII. §. 17. *p.* 152. Hinc jam nutat argumentum, qvod infallibile eſſe neqvit, ut antè dixi *ex Coſtero*, niſi ex unanimi Patrum aſſenſu. Adde, qvòd *Euſebius* hiſtoriam illam ex Autore fidei parum certæ, videlicet *Clemente*, narret. Qvinimò hiſtoriam ipſam narrando dubiam facit *Cæſarienſis*, cùm ita eam percenſet, *interprete Ruffinô*: Petrus verò *inqvit*, ut per Spiritum S. religioſô ſe ſpoliatum comperit furtô, delectatus eſt, fidem eorum per hæc devotionémqve conſiderans: factúmqve confirmavit, & in perpetuum legendam Scripturam Eccleſiis tradidit. *Sic ille.* Verùm, qvódnam qvæſo illud furtum? mente revolve. Qvænam approbatio iſtius, qvod fuit ipſius Spiritus? (*d*) Coronidis locô, re jam bene (ἣν θεοὶ θέλωσι) geſtâ, hiſtoriam affert *de Simone Mago*, qvam extra omnem dubitationis aleam poſitam eſſe arbitratur. Reſp. Hiſtoria illa infirmô planè nititur talô. Non urgebo, qvòd *Petavius Juſtinum*, *Irenæum* atqve *Epiphanium* certaminis non meminiſſe, qvamvìs hiſtoriam *Simonis* dicant, fatetur, *lib.* XI. *c.* XIV. *de Doctrin. Temp.* qvod idem de duobus prioribus etiam obſervat *Marcus. Ant. de Dom. d. l. n.* 30. Saltem ediſſerat mihi *Bellarminus*, qvônam annô cum *Mago* in arenam deſcenderit *D. Petrus*? Qvò ſe vertat, velit, captus erit. Num ſub *Claudio*? hoc aſſerat, oportet, aliàs non corradet annos 25. Reſpondebo: tum non volavit *Magus*; fugatus tantùm eſt â *Petro*, uti ſcribit *Baronius*, *Ann. Ch.* 44. *n.* 54. ubi multus eſt in explicanda differentia ſtatuæ Simonis Magi & Sagi Fidei *n.* 55. 56. 57. 58. qvæ ſpeciem habent, non tamen ἀσφάλειαν præſtant, ex pronunciato *Dn. D. Dannhaweri*, *Act.* 1. *Par. Dr. ac Myth. Th.* 5. *Antabatomach.* 1. *Skiamach.* 1. *p.* 1028. Jam con-

concilict *Euſebium* cum *Baronio*, qvippe ille Simonem *actutum* à *Petro* eſſe extinctum affirmat. Ad tempora verò *Neronis* ſe recipiet fruſtra: Nam adfuit tunc, atteſtante Eccleſiaſticorum, *juxta encomium Scaligeri*, puriſſimô Scriptore, *Sulpitiô Severô lib*. II. c.XLI. Apoſtolus Paulus; non itaqve ſoli *Petro*, qvod clamant, primæ debentur. Et præſto ſi fuit *Paulus*, qvî fit, qvòd nullibi in epiſtolis ſuis tanti præſtigiatoris mentionem faciat? Qvô jure *Baronius* Petro *tantùm*, & non etiam *Paulo* jejunii Inſtitutionem affingit, *Ann. Ch.* 57. *n.* 294. *Euſebium* purgent atqve alios, qvòd *Paulo* tantum βραβεῖον invideant: Neqve tamen acta illa omnibus contradictionibus unqvam liberabunt. Qvòd ſi ſolum *Petrum* dimicâſſe affirmant, contradicunt *Sulpitio Severo* atqve aliis: ſi *Petro* comitem adjungunt *Paulum*, vindicent *Cæſarienſem*, Nihil promovet *Baronius* duo diſtincta certamina confingens, *Ann. Ch.* 44 *n.*54.*p.*362. qvam ineandam eſſe viam ſvadet qvoqve *Jeſuita Aurelianenſis*, *d. l p.* 323. Dicant, an volaverit, an verò qvadrigis igneis, ut ſcriptum eſt apud nonnullos, fuerit vectus *Simon Magus*? an crus tantùm fregerit, & præ pudore *Auliam* recedens ex animi mærore clauſerit diem; an verò mortuus decidens ſit diſruptus? Cuncta hæcce bene ſi expurgaverint, expurgabunt autem cùm ſcarabæus mel, & culex lac conficient, ſub *Nerone* ſi contigiſſe hæc pronunciant, nihil evincent adverſus nos: qvia deveniſſe tandem Romam *D. Petrum* morti propinqvum, precariò ipſis largimur. Omiſeram fere Dn. D. *Dannhaweri* ἐπίκρισιν hic ſubjungendam; Sic autem ille: Qvæ, *inqvit*, Svada perſvadebit, Petrum in certamen deſcendiſſe cum Simone, uter majora eſſet facturus miracula? diſſidii Neronem aut Claudium cum populo Romano ſpectatorem ſediſſeac judicem? Mago victo non modò parci-

tum fuiſſe, ſed etiam aras ac ſtatuas poſitas; Petrum victorem compedes, ergaſtulum, crucem retuliſſe; & poſt pauca: vix probabile poteſt fieri; aut rem tam celebrem, qvæ totâ Româ inſpectante in ampliſſimo Orbis theatro contigerit, nullum ſcriptorem Ethnicum in commentaria retuliſſe. *Vide d. l. p.* 1028. (rectiùs 1032. ſi numerus rectè ponitur) Ibidem: *Nimis*, inqvit, *probabile eſt, Icarium volatum à Svetonio cum Simonio fuiſſe confuſum.* Hæc credo poſſe ſufficere. Obſervabimus, qvid porro agat, qvidqve conſilii captet *Bellarminus.*

§. 2. Capite ſeqventi *S. Petrum* Romæ obiiſſe demonſtrat (α) è ſepulchris *Petri* atqve *Pauli* Romæ hodienum extantibus: Hæc autem confirmat ita: Qværit, ubinam, ſi non ibi, ſepulti ſint dicendi? utpote non negligenda fuiſſe Summorum Sanctorum corpora, aliis receptis. Hoc argumentum adeò affert, ut *Euſebium* eô unicô contentum eſſe inqvit (β) ex aſſenſu totius orbis, confluentis ibidem ſepulchra viſitandi ergo (γ) è non diſſenſu Adverſariorum ante 1400 annos. (δ) è S. Patrum teſtimoniis. *Vide p.* 611. *ad* 614.

Reſp. Non refugiemus hîc ad reſponſionem *Gabr.* Reehaan, ceteroqvin non ineptam, qvando dicit: Ad ſepulchrum ejus qvod attinet, fieri potuit, ut corpus ex alio illuc tranſlatum ibi ſit ſepultum. *Vide Clav. Temp. N. T. c.* XXVIII. *p.* 188. Enimverò ejuſmodi corporum tranſlatio ſuperſtitioſis ſeculis, admodùm fuit uſitata: *De Marco* † idem refert *Joannes de la Haye* è ſuis Scriptoribus: Beati, *inqvit*, Marci Euangeliſtæ ſacrum corpus, ex Alexandria Ægypti urbe à Barbaris tum occupata, Venetias allatum, & ibidem in Majori Eccleſia, ejus nomine conſecrata, honorificentiſſimè conditum fuiſſe in Martyrol. Rom. d. XXXI. Januarii legitur. *Vide App.*

† Vide B. Dorſch. Specimen Sceletomaniæ Pontificiæ circa reliq. SS. Marci & Lucæ Argentor. edit. M DC XLIII. in 12.

App. Euan. c. LVII. *p.* 209. qvi idem fatum de *Matthæo* & *Luca* Euangeliſtis enarrat. Nónne, ut dictum eſt, ſuprà *Baronius* tradit, Orientalium nonnullos D. *Petri* & *Pauli* corpora voluiſſe tranſportare? Nónne *integrum cadaver innocentium puerorum hucuſqve* eſt tranſlatum? *Vide Dn. D. Franzium d. l.* Non itaqve, ut dixi, inepta eſt reſponſio *Dn. Reehaanii*; Sed, qvod promiſi, ad eamdem me non recipiam. Hoc modò cuivis ſanioris judicii judicandum relinqvam, qvantum inſit roboris hujuſmodi concluſioni: *Petrus Romæ eſt ſepultus. E. qvinqve annos & viginti in morem Epiſcopi ibi ſedit.* Adventum aliqvem Romam, qvem nos non inficiamur, probat, non Epiſcopatum. Obſervetur autem bene *ſubdolum Cardinalis ingenium*: mortem ſe probare ſimulans, involvit ſemper Epiſcopatum 25. annorum. Sed argumenti hujus probatio imbecillior adhuc eſt. Nempe, ubínam aliàs ſit ſepultus, indicari neqvit. E. Romæ terrâ conditus eſt. Hujus proſyllogiſmus eſt ſuperſtitioſus: dicit enim *Petri* corpus non fuiſſe incuriæ tradendum, ceterorum aſſervatis. Si probanda probaret, adducerem teſtimonia, *Hieroſolymis Petrum* eſſe occiſum; ſed non ferit nos. *Euſebius*, utut 25. annis ſuffragetur, exinde tamen eorum probationem non deſumit; neqve nobis, etſi id tentaret, qvando veritati abſona profert, eum audire incumbit. Ad (β) Reſp. Adeſt ſuperſtitio, adeſt idololatria, nec 25. annos demonſtrat. Eôdem laborat morbô Syllogiſmus (γ) Præclara eſt *Lyricorum Principis* ſententia:

Καί πȣ τι καὶ βροτῶν φρένας
ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Olymp. I. Od. I. ἐπ. α. v. 44. *Et mox*, v. 53

Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
Μάρτυρες σοφώτατοι.

Qvid? ipſe remittit arcum, anteà aſſeruerat 1500. annos.
Ad (δ) Aſſenſum unanimem S. *Patrum* non habet; *Linus* enim proximus à *Petro*, prout ipſi volunt, docet, *Petrum & Paulum* nec locô eôdem, nec tempore eôdem, nec ſub Tyranno eodem, Martyrium ſubiiſſe. Regerit *Bellarminus*, *c.* IX. *p.* 631. Lini hiſtoriam eſſe fictam. Verùm nos qvidem canonicam eamdem non cenſemus, qva verò de cauſſa eam probationis ergo *Legenda aurea*, *Sixtus Senenſis*, *Salmero & Coccius* citant? qvorum verba *vide in Confeſſ. Cath. lib.* I. *part.* II. *c.* III. *p.* 639. *b.* Adde, qvòd faciliùs illa ſententia cum ſacra Chronologia conciliari qveat. Sed cedamus illis in eo, qvid tum? nihil ad nos, non refragamur, qvod ad ſepulchrum, ſed qvod ad Epiſcopatum.
§. 3. Ut ne fruſtra deſudâſſe (qvod ſanè factum: ſiqvidem omnia ipſi ſanô ſenſu concedere poſſumus) videatur, rei cardinem movet, ac demonſtrare aggreditur, D. *Petrum* ad mortem uſqve Romanum extitiſſe Epiſcopum, ſcilicet à 2. Claudii ad Neronis ultimum annum. Argumenta hæc ſunt (α) qvia aliàs excellentiæ Eccl. Romanæ ratio dari non poſſet. (β) qvia dici neqvit, ubínam relictâ Antiochiâ ſederit. (γ) Qvia nulla præter Antiochiam Eccleſia *Petrum* Epiſcopum habuiſſe gloriatur; Epiſcopum autem fuiſſe eum eſſe neceſſe, cùm nos qvoqve particularem ipſum extitiſſe concedamus, ideóqve oſtendendum eſſe nobis Epiſcopatus locum, atqve ubi relictâ Româ vixerit ac transportârit Epiſcopatum. (ε) Qvoniam conſentiunt Patres, ut *Iren. Tert. Cyp. Euſeb. Epiph. Athan. Doroth. &c. Vide c.* IV. *p.* 614. *ad* 617. Atqve hæc ſunt, qvibus ſuam ſtabilire opinionem allaborat. Nos ad ſingula reſponſuri ſumus ſingulatim. Ad (α) Reſp. Circulum committit in argumentando: jam probat Eccle-

cleſiam Rom. eſſe omnibus anteferendam, qvia *Petrum* habuit: jam diſputat; *Petrum* ſedem ſuam in Urbe collocâſſe, qvia Eccleſia Rom. aliis præeminet, ſicuti oſtendit *Dn. D. Gerhardus in Confeſſ. Cath. lib.* II. *art.* III. *c.* III. ubi probat, ipſum qvoqve *Bellarminum* agnoſcere argumentum hoc eſſe probabile tantùm, non apodictum, qvod tamen reqviratur, qvando de *ſumma rei Chriſtianæ*, ſicuti ille primatum Pontificis appellat, res agitur. *Vide p.* 597. a. Verùm rationem deſiderat excellentiæ; en capiat! vi & fraude rapuit eam ſibi Roma. Scitè admodùm *Bernhardus Abbas ad Papam Eugenium* olim ſcripſit in hanc ſententiam: *Eſto*, inqvit, *ut hæc tibi aliâ qvâvìs ratione vindices, non apoſtolicô more. Nec tibi dare Petrus potuit, qvod non habuit: qvod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias. Numqvid dominatum? Audi ipſum, non dominantes, inqvit, Cleris,* 1. *Pet.* v. 3. *E ne dictum ſolâ humilitate putes, non veritate, vox Domini eſt, Reges gentium dominantur, vos non ſic. Matth.* XX. 25. 25. *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut apoſtolatum, aut apoſtolatus dominatum; Planè ab utroqve prohiberis.* Hæc iſtius verba ſunt, docta pariter atqve pia, & cedrô digna. Et qvô jure excellentiam, qvam ſibi fingunt, à *Petro* derivant, ut ſi antiqvam? qvæ non eſt: nam ante *Concilium Nicenum* unuſqviſqve ſibi vixit, & parvus reſpectus ad Eccleſiam Romanam habitus eſt, agnoſcente ipſô *Piô II. Papâ.* Vide Dn. D. *Gravium, d. l. p.* 27. *ſeqq.* Et qvô, adhuc qværo, jure illa falsò credita excellentia â *Petro* tantùm, non à Gentium Apoſtolo & Doctore *Paulo* dependet? Ipſe *Bellarminus*, inqvit, *lib.* 1. *de R. P. c.* XXVII. §. 5. Pontifices tam Petrum, qvàm Paulum prædeceſſorem & Parentem agnoſcunt, ſiqvidem uterqve Apoſtolus Eccleſiam fundavit & gubernavit. Reti-

cebo, *Irenæum*, *Dionyſium & Lucium Papam* Romanorum converſionem *Paulo* æqvè ac *Petro* adjudicare. Reticebo, non abhorruiſſe *Papas Pauli ſucceſſores* appellari. Reticebo, ipſos agnoſcere *Paulum Petrô* non fuiſſe inferiorem, de qvo *vide Dn. D. Gerhard. loc. cit. p.* 549. *ſeqq.* Sed & *Paulo* potiùs, qvàm *Petro* fundationem, (*loqvor cum Theologo nunqvàm ſatis laudato*,) Eccleſiæ Rom. tribuendam oſtendit illud, qvòd poſt Paulum Linus & Clemens adminiſtrârint Eccleſiam Rom. uterqve enim fuit Pauli diſcipulus 2. Tim. IV. 21. Philip. IV. 3. Si Petrus meliùs fuiſſet meritus, ſicqve eam fundâſſet, procul dubio Eccleſiam à ſe fundatam, vel Marco vel alii diſcipulo curandam reliqviſſet. *Vide loc. cit. p.* 597. His accedit, qvòd *Paulus* Romæ in altari, & plumbeo qvodam ſigillo D. *Petro* à dextera collocatus videatur, qvô gaudet argumentô *Marc. Ant. de Dom. d. l. Baronius* eqvidem in ſacris lævam dexterâ nobiliorem haberi aſſerit; ſed non additam video rationem: *Ann. Ch.* 325. *n.* 59. *p.* 325. Sed gratificandum eſt *Bellarmino*: dabo aliam rationem: propter Excellentiam *Urbis* & ſplendorem, Imperiiqve ſummitatem aliqva prioritas ipſi Eccleſiæ Rom. conceſſa eſt ac donata. Ad (β) Reſp. Nulla eſt cohærentia: Locus nominari non poteſt, ubi *Petrus* relictâ Antiochiâ vixerit. Ergo fuit Romæ Epiſcopus. Omnino non ſedit Antiochiæ, more Epiſcopi. Et qvid qværit? ipſi ajunt, *Petrum* Antiochiâ Hieroſolymam eſſe regreſſum: atqve ibi manſiſſe illum uſqve ad vitæ finem; martyrióqve eſſe coronatum, ſunt, qvi dicunt, ad qvod defendendum laborare nolo. Ediſſerant illi, qvomodò *Petrus*, relictâ, ut loqvitur, *Antiochiâ* Romam fuerit profectus, qvos habuerit comites? ſe ignorare hoc ingenuè fatetur *Baronius, ann. Ch.* 44. *n.* 27. Qvòd ſi audire cupiunt loci nomen, ubi præ-

prædicârit *Petrus* poſt Antiochenum iter, *Alcair*, inqvam, fuit, *Urbs Ægypti*, *Babylon qvondam appellata*, ubi epiſtolam exaravit ad diſperſos Judæos. Qvippe Alexandrinorum Judæorum Princeps *Philo* lib. cont. Flacc. teſtatur, ſuô tempore non minùs, qvàm *decies centena millia Judæorum* habitâſſe, *in Ægypto*, qvi dicti ſunt יהודים מצריים, qvod notat *Hotting. Theſaur. ſ.* 4. §. 3. *p.* 20. Vel ſi magìs ad palatum ipſis eſt, qvod perſpicio, urbem ponam *Chaldaicam* ſeu *Aſſyriacam*: qvia nullum vidi argumentum, qvô aſſertionem hanc convincere qveant. De *Tirino* qvidem Lojolyta reperio, qvòd ex *Joſepho* oſtendere conatur, nulli Judæorum in Chaldæa vivere licuiſſe ob Cajum Imp. Verùm rectiſſimè huic occurrit *Mareſius*, demonſtrans, Joſephum Caji non meminiſſe, ſaltem in genere recenſere Judæorum clades; neqve *Chaldæam* Caji Imperio fuiſſe ſubjectam. *Vide loc. cit. p.* 213. Addo, nos cum Actis Apoſtolorum aſſerere, D. *Petrum* Cajô vivô extra Judæam non docuiſſe; ſed poſt Concilium demum receſſiſſe aliqvantulum, donec fortè fortuitò Romam appulit. Ad (γ) Reſp. Funiculum de novo ex arena nectens, ita colligit: Nulla præterqvàm Antiochena Eccleſia *Petrum* gloriatur Epiſcopum. E. viginti qvinqve annos Romæ Epiſcopus fuit. *Ridetur chordâ, qvi ſemper oberrat eâdem!* Sed probat, videlicet eſſe ἀδύνατον, *Petrum* non geſſiſſe Epiſcopatum, ubicunqve etiam terrarum latuerit. Ceterùm *Bellarminus* nobis tribuit, *ſunt verba noſtri Gerhardi*, qvòd ſtatuamus, Petrum fuiſſe tantùm alicujus particularis Eccleſiæ Epiſcopum, ex qva hypotheſi hoc argumentum fluit. At non ita ſtatuimus, ſed Petro æqvè ac reliqvis Apoſtolis, dicimus eſſe datum mandatum prædicandi omnibus gentilibus, adeóqve totius Orbis Doctorem & Apoſtolum fuiſſe conſtitutum; *Vide loc. cit. p.* 598. *k.*

Et

Et qvomodo D. *Petrus* vocari poſſit Epiſcopus Romanus ſuprà dedimus explicatum.

Ad (*δ*) Reſp. Non omnes adducti *Patres* 25. annos determinant Epiſcopatui *Petri*; Neqve omnes fundationem Eccleſiæ, adeóqve Epiſcopatum ſoli attribuunt *Petro*, ſed addunt ſimul ei *Paulum*: alii planè fundatorem appellant *Johannem*, ut *Tertul. Cyrill. Hieroſ. Chryſoſt*. de qvibus *Marc. Ant. de Dom. d. l. n.* 9. 10. 11. 12. Qvid? pleroſqve citatorum *Patrum* mendacii aut erroris ipſe coarguit? *Tertulliani* autoritas, *inqvit*, non eſt magnifacienda, *lib.* III. *de Euch. c.* VI. Synopſis *Dorothei* plena eſt fabulis, *lib. de Script. Eccl.* Atqve ſic plerorumqve, ut dixi, nomini gratiam detrahit, & tamen teſtes eos vocat ad confirmanda ſua deliramenta. Cui placet encomia illa *Sanctorum Patrum* legere, legat *Dn. D Gerhardum in Conf. Cath. lib.* I. *part.* II. *c.* III. Patet itaqve ex hiſce, qvantum, qvod minimum eſt, probationibus ſuis anxiô ſudore partis obtineat *Bellans minus*: unicum hoc evincit, *Petrum* martyriô in *Urbe* eſſe affectum, ulterius nihil. De 25. annis probandis altum fovet ſilentium.

§. 4. Pedem hìc figere decreveram, cùm ſat ſatis confirmatam crediderim ſententiam Orthodoxam, à qva certum mihi eſt, ne transverſum qvidem, qvod ajunt, ungvem diſcedere; citiùs verò mulierem, qvàm Lojolytam, cùm deficiant verba, adeóqve, ut ſit illis qvod regerant, opiniones opinionibus, mendaciis non dicam, cumulant, ea, qvæ ad theſes noſtras reponunt, impunè abire nolo. Præprimis autem negotium nobis faceſſit *Bellarminus* εἰς κενὸν nihilominùs τρέχων. Primò non poſſe alioqvin ait, niſi ab anno 2. Claudii inchoetur numerus, 25. annos connumerari; loc. cit. p. 618. Reſp. Qvid prodeſt probare velle commenta? commentum verò de 25. annis, qvos ferunt, qvis luſcus

ſcus non videt ? Qvamvìs *Patrum* nonnulli tot annos Epiſcopatui adſcribant, alius ex alio, ut fieri amat, transſcripſit, & tandem devenitur ad autorem in multis fabuloſum, *Papiam*, dico, Epiſcopum Hierapolitanum; qvem tamen non uſqve adeò reſpuimus in hiſtoriis, qvæ veritati Chronologicæ reſpondent; qvod in his cùm non fiat, repugnamus jure cuivis etiam Patrum aut Hiſtoricorum, cujuſnam ſint nominis & autoritatis. Ad hæc dantur Patres ſub vitæ exitum tandem *Petrum* Romam migrâſſe aſſerentes, qvi ſanè non approbârunt 25. Epiſcopatûs annos. Non itaqve unanimem *Patrum* aſſenſum habet *Bellarminus*, & per conſeqvens nec infallibile argumentum profert (β) Porro excipit: Si exinde, qvòd *Petrum* ſalutare non juſſerit *Paulus* Romanis ſcribens, *Petrum* Romæ tum non fuiſſe Epiſcopum, ſeqveretur, ſeqvi etiam *Johannem* non exſtitiſſe Epheſinum Epiſcopum, nec *Jacobum* Hieroſolymitanum, *p.* 627.

Reſp. Monſtretur tum temporis, cùm Epheſios literis doceret *Paulus*, Epiſcopum Epheſi jam exſtitiſſe D. *Johannem*; qvin potiùs è *Pathmo* rediens, Epiſcopus, ſi dicendus ita eſt, fuit factus. Neqve enim tantæ putandus eſt ruſticitatis D *Paulus*, ut Epiſcopo non fuerit precatus ſalutem, ſi qvis adfuiſſet. *Hebræis* qvas ſcripſit literas Hieroſolymam non miſit, ut alia, qvæ circa eaſdem dubia occurrunt; omittam. Demum in illis epiſtolis, qvod in Romanis factum videmus, neminem *nominatim* ſalutat. Hâc qvoniam non procedit viâ excuſatio, aliam ingreditur: videlicet *Petrum* Româ tunc ejectum in Syria egiſſe:

Reſp. Ceterùm contradicit ipſi *Baronius*, dicens, *Petrum* ad extremas orbis oras receſſiſſe, *Ann. Ch.* 58. *n.* 51. Qvidqvid ſit, hoc non eſt Epiſcopi, tamdiu ab Eccleſia ſua abeſſe, nec ullas intereà

ad eamdem exarare literas, nec aliqvem in locum ſuum ſubſtituere, qvorum ullum attendiſſe *Petrum*, non videmus.

Huic nutanti ſuccenturiatur *Baronius*, fingens privatas forſitan literas *à Paulo* datas eſſe ad *Petrum Papam, loc. cit. n.* 52, *p.* 589. Verùm conjecturis ſi liceret uti, qvævis etiam difficilima qvivis idiota, ac ſimplex *Davus* ſolvere poſſet. Adde, qvòd nec vola, nec veſtigium in tota antiqvitate earum literarum apparet.

(γ) Qvoad fœdus diſtingvit *Bellarminus*, principaliter nempe, non tantùm, *Petro* demandatum eſſe Euangelium *τῆς περιτομῆς, c.* VII. *p.* 629. *Baronius* provinciam hanc traditam eſſe D. *Petro* veluti honeſtiſſimam, aſſerit; qvandoqvidem & CHRISTUS miniſter circumciſionis dicatur: *Ann. Ch.* 51. *n.* 29. p. 424. Reſp. Hôc modô principalis, Romæ erigere ſedem, *Petri* intentio non fuit: & *Paulus* primus Romanorum Pontifex potiori jure eſſet nuncupandus. NB. CHRISTI verò epitheton huc non qvadrat: diſſimilis planè ratio ſubeſt. Tum non ſolvitur *verſiculus octavus c.* II. *ep. ad Gal.*

(δ) *Ad. c.* II. *Phil.* reſpondet *Bellarminus*, per figuram intellectionis loqvi *Paulum* de qvibuſdam ſaltem: adfuiſſe enim *Timotheum*. Reſp. Excipienda excipit ipſe *Paulus*: Et ſi præſto *Petrus* fuiſſet, excepiſſet qvoqve meritò eumdem. Exceptio ad epiſtolam Coloſſenſium eôdem ſolvitur modô.

(ε) Poſteriorem verò ad *Timotheum* negat *Baronius* è vinculis ſecundis eſſe datam, aſſerens eam potiùs primam eſſe è Roma ſcriptam, & qvidem ineunte æſtate. *Vide Ann. Ch.* 59. *n.* 10. 13. Ad caput qvartum retorqvet, apparuiſſe qvoqve CHRISTUM *Paulo* Gentibus prædicaturo. Ergo etiam hoc fuiſſe implendum adhuc, uti illud, *Act.* XXIII. II. Ad verba: *jam delibor*, reſpondet: qvaſi nôſſet id, imò non

non novit, qvia Phil. 1 & 2. diutius ſibi promittit. Sub Nerone eqvidem ultimum ipſi claudendum fore diem ſciviſſe, amplius nihil. *Adv.* 12. regerit uſurpari præteritum pro præſenti: ſimul ſcripſiſſe eum ad Epheſum atqve Timotheum. *Vide loc. cit. n.* 15. *&* 19. *Reſp.* Qvas qværit elabendi latebras, jam ſunt præcluſæ α. Subſcriptio diſertè dicit, ſcriptam eſſe illam Epiſtolam, cùm ἐκ δευτέρου *Paulus* ante Cæſarem *Neronem* ſiſteretur. Et licèt non propugnamus mordicus, ſubſcriptiones eſſe ab ipſo *Paulo* adjectas: habemus tamen iiſdem antiqvitatis teſtimonium, qvod *Baronius* afferre neqvit: utut non addat tempus *Interpres Syrus*, non tamen negat. β. *Act.* XXIII, 11. huc non convenit: promittitur enim prædicatio Romana, qvæ vitæ reqvirebat protractionem; nec terminus præfigitur certus: hîc verò dilucidè ſatis inqvit *Paulus* ἤδη σπένδομαι, id eſt, mox immolabor (*præſens pro paulò pòſt Futuro, ut notat Dn. D. Glaſſius p. m. in Phil. Sacr. Gram. lib.* III. *tr.* III. *c.* XLVIII. §. 3. *p.* 384. *ſ.* 653.) qvinimò curriculum ſuum ſe jam abſolviſſe dicit, qvare inqvit: ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. Unde etiam *Timotheum* ταχέως ad ſe venire jubet. γ. Ad Philippenſes verò jampridem dederat literas, cùm nondum fini tam propinqvus fuit. Figuram, qvam fingit, nemo unqvàm, ne per ſomnium qvidem, anteà vidiſſet. Epheſum ac Timotheum eôdem tempore docuiſſe *Paulum*, omni caret antiqvitate, & ſolidâ probatione. E vinculis autem ſecundis literas haſce elucubratas eſſe luculenter oſtendit *Dn. D. Dannhawerus*, à ſcopo, ſtyli genio, vaticinio, diſtinctione hiſtoriæ harmonia & Veterum autoritate, qvem, *vide loc. cit. p.* 151. 152. (δ) Tandem deniqve uno hôc ariete omnia probationum noſtrarum munimenta ſubverti poſſe putat *Bellarminus*, qvando obji-

[illegible] : *[illegible] non eſſe concludendum negati-*
[illegible] Reſp. Diſtingvimus in-
[illegible] humanam: nec ferè
[illegible], facere negativè
[illegible] non concludamus exinde
[illegible]. Neqve nos ita, ut af-
[illegible], ſed qvia S.
[illegible] negat, nega-
[illegible] ſyllogizamus.
[illegible] argumen-
[illegible] non ſolvet *Bellarminus*,
[illegible], nec convincet priùs,
[illegible] Lojolæ, [illegible] ut loqvuntur
[illegible] *Si adſcenderit*
[illegible] id eſt, Si [illegible]! Ampliſſimus
[illegible] diſqviſitionibus,
[illegible] ſedem *Antiochiæ*
[illegible] Qvinam D. Petri ſit pri-
[illegible] D. Gerhardus, in Conf.
[illegible] à p. 544. ad 587.
[illegible] III. c. II. [illegible] Pontificum?
[illegible], nec fal-
[illegible], hic deſiſtere co-
[illegible] ſatis repulſos
[illegible] noſtros jamdu-
[illegible] *Aphoriſmus* eſt:
[illegible] *[illegible]*, *ait*.
[illegible] l. 7. §. 58. Sed qvamvis
[illegible] *Romanæ Capitis* i. e.
[illegible] omnem opinio-
[illegible] circiter, ſcilicet
[illegible] conceſſerit, ut ni-
[illegible] non obſervârit Lojolæ
ſocii,

[illegible] egregium Tra-
[illegible] Petrus non Papa, edit. Argen-
[illegible]

ſocii, de die in diem nova confingentes. Ceterùm exitio illos eſſe proximos, certô certius habeo perſvaſum: nam λυσσώδων ἀτρέμα, καὶ ἀγνοίων, καὶ μηδὲ ἀκούων, μηδὲ ξυνιεὶς, θανατώδης, inqvit, *Medicorum Princeps. ſ.* 8. §. 16. תשרבין.

COROLLARIA.

1. *Feſtum Cathedræ (Papicolis ſanctum) ſeptennalem* D. Petri *Antiochiæ Epiſcopatus ſedem haud probat.*
2. *Pontificum hodiernorum in cathedra* D. Petri *ſucceſſio legitima non eſt.*
3. *Neqve digni ſunt Pontifices hodierni nomine* D. Petri: *qvam indignitatem ſuam ipſi agnoſcere videntur, dum nemo eorum unqvam hoc ſibi nomen aſſumere (qvi mos improbandus, origine ſumptâ à* Sergio *Papa, Os porci* (Saurüſſel) *dictô imitatione non ob tam æqvam cauſſam ab hodiernis approbatur) eſt auſus.*
4. *Papicolæ res adorant inanimatas, ut* lapides Stephani, *de qvorum uno ob affictam parturientibus aſſiſtentiam inter Carmelitas Pictavienſes & Dominicanos lis fuit graviſſima)* catenas Petri: capillos & pectines D. Mariæ &c.
5. *Pontificiorum nimia in aſſervandis reliqviis ſuperſtitio eò proceſſit dementiæ, ut non tantùm* πῆχυν ἕνα, *contra affatum* CHRISTI Matth. VI. 27. *corpori uni apponant, verùm etiam geminare illud (qvod contigit* Andreæ D. Petri *fratri, & filiæ ſic habitæ D.* Petri Petronillæ; *item* Philippo, Bartholomæo, Annæ Matri Mariæ, Longino, *qvi latus Domini in cruce transfodiſſe fingitur,* Honorato, Ægidio, *& aliis qvamplurimis, imò triplicare, (uti* præputium CHRISTI, *neqve non* caput Annæ Matris Mariæ *&* Lazari corpus, *&c)*

qvinimò qvadruplicare, *ſicuti* corpus Sebaſtiani, *atqve ut numerum omittam majorem* (*qvi in dentibus Sanctorum cujuſdam ad trecenteſimum excrevit*) *ſextuplum reddere non erubeſcant*, *id qvod in* digitum Johannis Baptiſtæ, *qvô monſtravit* CHRISTUM, *admittunt*, *eumdem*, *qvamvis totum ipſius corpus à Gentilibus erutum Vulcano conſumtum ſcribatur*, *ſuperſtitem manſiſſe fingentes.*

6. *Inter* Leonem IV. & Benedictum II. *collocanda eſt* Johanna Papiſſa, *fœmina meretrix*, *qvæ annos ſedit duos*, *menſes qvinqve & qvatuor dies*, *de qva mentionem faciunt Hiſtorici complures*,

Papæ!

* الحمد لله Ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς

ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους.

LUmen Apoſtolicæ ſidúſqve illuſtre cohortis,
Qvod pridem è terris rutilo ſucceſſit Olympo,
Tu revocas, corámqve ſuo ſplendore coruſcum
Siſtis, & ex docta commonſtras rite cathedra.
Qvam bene! *Petræo* nam qvæ magè digna putanda eſt
Materies, *Petri* præter qvam Vita miniſtrat?
Hanc age Tu verbis, *Petræi*, hanc exprime factis.

JOHANNES MEISNERUS, D.

ILle olim ad ſanctum tenui traductus ab hamo
Munus Apoſtolici gloria magna chori;
Qveis rerum vicibus fuerit, qveis caſibus actus,
Dum trahit ad naſſam millia multa ſacram:
Tu doctâ memoras, *Petræe* facunde, Süadâ,
Et Vitam Divi, qvo decet ore, refers.
Scilicet admonuit ratio Te nominis ipſa,
Juſſit & officium ritè ſubire pium.

PE-

PETRÆUS PETRUM laudas. Age pergito! qvis Te
Præco qveat tanti dignior eſſe viri?

Præſtantiſſimo & Eruditiſſimo D N O. *RESPON-DENTI*

Diſput. Autori *gratulabatur*
PRÆSES

XIII.

CUM DEO!

DISSERTATIO PHILOLOGICA

EXHIBENS

DOMICILIUM, VICTUM ET AMICTUM JOHANNIS PRÆCURSORIS MESSIÆ.

Qvam
CONSENTIENTE AMPLISSIMA
facultate Philoſophicâ
In Celeberrima ad Varnum Academia
PRÆSIDE
M. CONRADO OLDIO,
Hamb. SS. Th. Candidatô,
Publicæ Eruditorum diſqviſitioni
exponit
JOHANNES WILKENS,
Wuſſato Bremenſis
Habebitur Diſputatio in Auditorio Majori die
IX. *Septembris*, CIϽ IϽC LVII.

CUM DEO!

NEqvaqvàm ſollicitudo Angeli de nomine Præcurſori Meſſiæ imponendo vana & otioſa judicanda eſt. Vult enim ipſo Johannis nomine, ut rectè notat Brentius, Hom. IV. in c. I. Lucæ ſignificare & teſtari, qvòd DEUS ſingulari qvâdam gratiâ complexurus ſit Johannem, & qvòd Johannes futurus ſit DOMINO DEO noſtro longè omnium acceptiſſimus. Potiſſimùm tamen nomen Johannis ex reſpectu officii ac prædicandi Euangelii ipſi inditum fuiſſe idem Brentius, Homil. IV. in c. I. Lucæ teſtatur: Johannis nomen, inqvit, ſi interpreteris, gratioſum ſignificat, non tam gratiâ vel DEI vel hominum acceptum, qvàm gratiæ adnuntiatorem. Hoc enim potiſſimùm intererat ſalutis hominum, ut agnoſcerent hiſpidum hunc ac auſterum pœnitentiæ Concionatorem meram tamen re ipſâ gratiam annunciare, mera chariſmata offerre. Primò tamen aſpectu titulo huic tota vitæ Johanneæ inſtitutio planè contraria eſſe videtur. Qvis enim hunc in deſerto & pelle latentem, melle agreſti & locuſtis veſcentem, ut vix abjectiori ſorte qviſqvam inveniretur præ ceteris, ſingulari qvôdam affectu à DEO Creatore cæli ac terræ, omniúmqve Domino foveri facilè conjecturâſſet? Qvis illum gratiæ nuntium prædicâſſet, qvi vix qvemqvam, niſi pœnitentiæ ſtimulô, excepit? Si verò penitius hæc omnia perſpicere ſtudeamus, ſvaviſſimô concentu univerſa conſpirant. Id enim omnino Johannes & præviè

viô pœnitentiæ præconiô & omni ſuæ vitæ ratione intendit, ut μετάνοιαν ἀμεταμέλητον in animis hominum operaretur, & conſeqventer ſtabile ſeqvuturi gaudii poneret fundamentum. In eo enim demum ὁ Χριστὸς ζῇ teſte Apoſtolô ad Galatas c. II. 19. 20. *qvi* Χριστῷ συνεσταύρωται. *Neceſſum itaqve omnino fuit ut Eaungelio ſuo legem & pœnitentiæ præconium Johannes præmitteret; Exhibuit autem Concionatorem pœnitentiæ non Verbô ſolùm, ſed omni vitæ inſtitutô, ſeveriſſimum enim omnis voluptatis hoſtem & habitaculô & victu & amictu exhibuit; Imò ipſum Eliam externâ etiam vitâ repræſentavit non Spiritu ſolùm & virtute, qvamvìs in poſtremis potiſſima convenientiæ ratio conſiſtat. Paucis eadem exercitii gratiâ contemplabimur:*

Tu DEUS in verum ducas meditamina ſenſum.

§. I.

LOcus domicilii dicitur fuiſſe ἔρημος ſubintellige γῆ ſive deſertum, qvod non ſolùm de loco planè inacceſſibili & ab omni hominum uſu remo-t, ſed & de inhabitato & inculto dicitur, qvi propriè paſcendis armentis deſtinatus eſt. In ejuſmodi loco domicilium ſuum habuit *Vir DEI* non abſqve ſingulari Divini Numinis diſpenſatione. Hoc enim inter alia κριτήριον Præcurſoris Meſſiæ Judæis propoſitum erat ab Eſaia c. XL. 3. qvòd futurus eſſet *Vox clamans in deſerto, parate viam DOMINO.* Impletum itáqve fuit Vaticinium Eſaiæ in Johanne etiam qvod ad domicilium. Unde notanter in loco propoſito Marcus, I. 4. dicit poſt adductum Vaticinium Eſaiæ: ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, qvaſi dicere vellet, qvod Eſaias prædixit de Præcurſore DOMINI, id examuſſim impletum eſt in Johanne, ut nullam ampliùs pertinaciæ ſuæ excu-

ſationem habeant Judæi non acceptantes teſtimonium Johannis de Meſſia. Nec abſonum eſt aſſerere ex occaſione infanticidii Herodiani Johannem abſconditum fuiſſe in deſerto & ſic domicilio ejuſmodi aſſvetum. Matthæus aliqvô modô regionem deſerti determinat c. III. 1. qvod fuerit ἔρημος τῆς Ἰουδαίας, ſpecialiùs eadem determinatur Joh. c. I. 28. qvòd fuerit prope Bethabara ad Jordanem fluvium; fit enim mentio Baptiſmi Johannis. Neqve procul abhinc abeſt *Macherus* caſtellum Herodis, ubi Johannes captivus ab Herode Antipa capite fuit truncatus, vid. D. Qviſtorpii Nebo, p. 9.

§. 2. Cibus Johannis duplex fuit ἀκρίδες ϗ μέλι ἄγριον Mellis notabilis datur differentia, qvæ tamen non abſqve ratione ex ſola locorum, unde colligitur, diſcrepantia deducenda videtur. Hinc differt cùm ratione univerſarum regionum, tum etiam ratione certorum qvorundam locorum in hac vel illa regione, qvatenus nempe univerſa qvædam regio herbarum ac florum præcellentiam habet præ alia, vel unus altérve locus præ altero, qvamvìs ejuſdem regionis. Utróqve reſpectu Strabo, Geograph. lib. IX. Mel Atticum cuncta bonitate ſuperare dicit, eô verò longè præſtantius eſſe illud, qvod ad argentarias gignitur, qvod qvidem etiam ἀκάπνιστον i. e. eſt à fumo purgatum ajunt qvôdam applicationis modô. Mel Atticum generaliter denominatur ex tota regione, & ſic in univerſum mel iſtius regionis præfertur iſti, qvod in alia qvadam regione colligitur: Specialis verò inter ipſa mella Attica iſti, qvod ad argentarias gignitur, prærogativa qvædam tribuitur. Et ſpecialiſſimè qvidem Mel Hymettium præ ceteris ut optimum cùm ab ipſo Strabone, loc. cit. tum communi etiam Poëtarum Encomiô commendatur, utpote qvod ex monte ſemper florente colligitur. Omnino

omnino etiam analogiæ Phyſicæ conſentaneum eſt, ut ex ratione herbarum & florum, unde ab apibus mel colligitur, ipſius præſtantia & effectus etiam diſcrepet. Unde non alienum à veritate judicamus, qvod Strabo lib. XII. Geograph. recenſet de melle furente in regione Heptacometarum ultra Colchidem, qvô tres Pompeji cohortes potos & mente alienatos Heptacometæ interemerunt. Mel ſylveſtre, qvô in cibum uſus dicitur Johannes, nativum & domeſticum ipſi fuit, & pateſcit exinde durities ipſius in victu, ut qvi omnem planè guſtus neglexit mollitiem & ſolô iſto cibô contentus fuit, qvem qvamvìs iniqvior loci natura ipſi obtulit. Collectum enim fuit hoc mel ex loco deſerto, & omni ſvaviorum floſculorum delectu deſtituto. Iſidorus Peluſiota, lib. I. Epiſt. CXXXII. *μέλι ἄγριον* vocat *μέλι ὄρειον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον, πικρότατον ὂν καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον*, Mel montanum, qvod ab agreſtibus apibus conficitur, ſuumméqve amarum eſt & guſtatui omni infeſtum atqve inimicum. Rectiſſimè ſe habet hæc deſcriptio qvod ad apes agreſtes & ex parte etiam, qvod ad ſaporem amarum, ſummam tamen amaritudinem & ejuſmodi ſaporem, qvi guſtatui omni infeſtus ſit atqve inimicus melli agreſti ex ſuperſtitione qvadam ab Iſidoro tribui cenſemus: Nec eſt, cur *μέλι ἄγριον μέλι ὄρειον* vocemus; Non enim in ſolis montibus mel hoc reperitur ſed & in ipſis ſylvis ſeu arboribus. Nec veriſimile eſt, Johannem cibum illum ex monte aliqvo petiiſſe, qvem proprium domicilium ipſi obtulit. Unde potiùs *μέλι ἄγριον* vocamus *τὸ ὑπὸ ἀγρίων μελισσῶν γεωργούμενον, ἐν δένδροις εὑρισκόμενον καὶ πέτραις*, qvod ab agreſtibus elaboratur apibus: qvódqve in arboribus invenitur & Petris cum Theophylacto.

§. 3. Alterum Johannis ferculum fuerunt *ἀκρίδες*. Hebaicè dicuntur ארבה: Nec ratio eſt dubitandi, qvin

Et qvomodo D. *Petrus* vocari poſſit Epiſcopus Romanus ſuprà dedimus explicatum.

Ad (δ) Reſp. Non omnes adducti *Patres* 25. annos determinant Epiſcopatui *Petri*; Neqve omnes fundationem Eccleſiæ, adeóqve Epiſcopatum ſoli attribuunt *Petro*, ſed addunt ſimul ei *Paulum*: alii planè fundatorem appellant *Johannem*, ut *Tertul. Cyrill. Hieroſ. Chryſoſt*. de qvibus *Marc. Ant. de Dom. d. l. n.* 9. 10. 11. 12. Qvid? pleroſqve citatorum *Patrum* mendacii aut erroris ipſe coarguit? *Tertulliani* autoritas, *inqvit*, non eſt magnifacienda, *lib.* III. *de Euch. c.* VI. Synopſis *Dorothei* plena eſt fabulis, *lib. de Script. Eccl.* Atqve ſic plerorumqve, ut dixi, nomini gratiam detrahit, & tamen teſtes eos vocat ad confirmanda ſua deliramenta. Cui placet encomia illa *Sanctorum Patrum* legere, legat *Dn. D Gerhardum in Conf. Cath. lib.* I. *part.* II. *c.* III. Patet itaqve ex hiſce, qvantum, qvod minimum eſt, probationibus ſuis anxiô ſudore partis obtineat *Bellans minus*: unicum hoc evincit, *Petrum* martyriô in *Urbe* eſſe affectum, ulterius nihil. De 25. annis probandis altum fovet ſilentium.

§. 4. Pedem hìc figere decreveram, cùm ſat ſatis confirmatam crediderim ſententiam Orthodoxam, à qva certum mihi eſt, ne transverſum qvidem, qvod ajunt, ungvem diſcedere; citiùs verò mulierem, qvàm Lojolytam, cùm deficiant verba, adeóqve, ut ſit illis qvod regerant, opiniones opinionibus, mendaciis non dicam, cumulant, ea, qvæ ad theſes noſtras reponunt, impunè abire nollo. Præprimis autem negotium nobis faceſſit *Bellarminus* εἰς κενὸν nihilominùs τρέχων. Primò non poſſe alioqvin ait, niſi ab anno 2. Claudii inchoetur numerus, 25. annos connumerari; loc. cit. p. 618. Reſp. Qvid prodeſt probare velle commenta? commentum verò de 25. annis, qvos ferunt, qvis luſcus

ſcus non videt? Qvamvìs *Patrum* nonnulli tot annos Epiſcopatui adſcribant, alius ex alio, ut fieri amat, transſcripſit, & tandem devenitur ad autorem in multis fabuloſum, *Papiam*, dico, Epiſcopum Hierapolitanum; qvem tamen non uſqve adeò reſpuimus in hiſtoriis, qvæ veritati Chonologicæ reſpondent; qvod in his cùm non fiat, repugnamus jure cuivis etiam Patrum aut Hiſtoricorum, cujuſnam ſint nominis & autoritatis. Ad hæc dantur Patres ſub vitæ exitum tandem *Petrum* Romam migráſſe aſſerentes, qvi ſanè non approbârunt 25. Epiſcopatûs annos. Non itaqve unanimem *Patrum* aſſenſum habet *Bellarminus*, & per conſeqvens nec infallibile argumentum profert (β) Porro excipit: Si exinde, qvòd *Petrum* ſalutare non juſſerit *Paulus* Romanis ſcribens, *Petrum* Romæ tum non fuiſſe Epiſcopum, ſeqveretur, ſeqvi etiam *Johannem* non exſtitiſſe Epheſinum Epiſcopum, nec *Jacobum* Hieroſolymitanum, *p.* 627.

Reſp. Monſtretur tum temporis, cùm Epheſios literis doceret *Paulus*, Epiſcopum Epheſi jam exſtitiſſe D. *Johannem*; qvin potiùs è *Pathmo* rediens, Epiſcopus, ſi dicendus ita eſt, fuit factus. Neqve enim tantæ putandus eſt ruſticitatis D *Paulus*, ut Epiſcopo non fuerit precatus ſalutem, ſi qvis adfuiſſet. *Hebræis* qvas ſcripſit literas Hieroſolymam non miſit, ut alia, qvæ circa eaſdem dubia occurrunt; omittam. Demum in illis epiſtolis, qvod in Romanis factum videmus, neminem *nominatim* ſalutat. Hâc qvoniam non procedit viâ excuſatio, aliam ingreditur: videlicet *Petrum* Româ tunc ejectum in Syria egiſſe:

Reſp. Ceterùm contradicit ipſi *Baronius*, dicens, *Petrum* ad extremas orbis oras receſſiſſe, *Ann. Chr.* 58. *n.* 51. Qvidqvid ſit, hoc non eſt Epiſcopi, tamdiu ab Eccleſia ſua abeſſe, nec ullas intereà

ad

ad eamdem exarare literas, nec aliqvem in locum ſuum ſubſtituere, qvorum ullum attendiſſe *Petrum*, non videmus.

Huic nutanti ſuccenturiatur *Baronius*, fingens privatas forſitan literas *à Paulo* datas eſſe ad *Petrum Papam, loc. cit. n.* 52, *p.* 589. Verùm conjecturis ſi liceret uti, qvævis etiam difficilima qvivis idiota, ac ſimplex *Davus* ſolvere poſſet. Adde, qvòd nec vola, nec veſtigium in tota antiqvitate earum literarum apparet.

(γ) Qvoad fœdus diſtingvit *Bellarminus*, principaliter nempe, non tantùm, *Petro* demandatum eſſe Euangelium τῆς περιτομῆς, *c.* VII. *p.* 629. *Baronius* provinciam hanc traditam eſſe D. *Petro* veluti honeſtiſſimam, aſſerit; qvandoqvidem & CHRISTUS miniſter circumciſionis dicatur: *Ann. Ch.* 51. *n.* 29. p. 424. Reſp. Hôc modô principalis, Romæ erigere ſedem, *Petri* intentio non fuit: & *Paulus* primus Romanorum Pontifex potiori jure eſſet nuncupandus. NB. CHRISTI verò epitheton huc non qvadrat: diſſimilis planè ratio ſubeſt. Tum non ſolvitur *verſiculus octavus c.* II. *ep. ad Gal.*

(δ) *Ad. c.* II. *Phil.* reſpondet *Bellarminus*, per figuram intellectionis loqvi *Paulum* de qvibuſdam ſaltem: adfuiſſe enim *Timotheum*. Reſp. Excipienda excipit ipſe *Paulus*: Et ſi præſto *Petrus* fuiſſet, excepiſſet qvoqve meritò eumdem. Exceptio ad epiſtolam Coloſſenſium eôdem ſolvitur modô.

(ε) Poſteriorem verò ad *Timotheum* negat *Baronius* è vinculis ſecundis eſſe datam, aſſerens eam potiùs primam eſſe è Roma ſcriptam, & qvidem ineunte æſtate. *Vide Ann. Ch.* 59. *n.* 10-13. Ad caput qvartum retorqvet, apparuiſſe qvoqve CHRISTUM *Paulo* Gentibus prædicaturo. Ergo etiam hoc fuiſſe implendum adhuc, uti illud, *Act.* XXIII. II. Ad verba: *jam delibor*, reſpondet: qvaſi nôſſet id, imò

non

non novit, qvia Phil. 1 & 2. diutius ſibi promittit. Sub Nerone eqvidem ultimum ipſi claudendum fore diem ſciviſſe, amplius nihil. *Ad v.* 12. regerit uſurpari præteritum pro præſenti: ſimul ſcripſiſſe eum ad Epheſum atqve Timotheum. *Vide loc. cit. n.* 15. *&* 19. *Reſp.* Qvas qværit elabendi latebras, jam ſunt præcluſæ *α*. Subſcriptio diſertè dicit, ſcriptam eſſe illam Epiſtolam, cùm ἐκ δευτέρου *Paulus* ante Cæſarem *Neronem* ſiſteretur. Et licèt non propugnamus mordicus, ſubſcriptiones eſſe ab ipſo *Paulo* adjectas: habemus tamen iiſdem antiqvitatis teſtimonium, qvod *Baronius* afferre neqvit: utut non addat tempus *Interpres Syrus*, non tamen negat. *β*. *Act.* XXIII. 11. huc non convenit: promittitur enim prædicatio. Romana, qvæ vitæ reqvirebat protractionem; nec terminus præfigitur certus: hîc verò dilucidè ſatis inqvit *Paulus* ἤδη σπένδομαι, id eſt, mox immolabor (*præſens pro paulò pòſt Futuro, ut notat Dn. D. Glaſſius p. m. in Phil. Sacr. Gram. lib.* III. *tr.* III. *c.* XLVIII. §. 3. *p.* 384. *ſ.* 653.) qvinimò curriculum ſuum ſe jam abſolviſſe dicit, qvare inqvit: ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. Unde etiam *Timotheum* ταχέως ad ſe venire jubet. *γ*. Ad Philippenſes verò jampridem dederat literas, cùm nondum fini tam propinqvus fuit. Figuram, qvam fingit, nemo unqvàm, ne per ſomnium qvidem, anteà vidiſſet. Epheſum ac Timotheum eôdem tempore docuiſſe *Paulum*, omni caret antiqvitate, & ſolidâ probatione. E vinculis autem ſecundis literas haſce elucubratas eſſe luculenter oſtendit *Dn. D. Dannhawerus*, à ſcopo, ſtyli genio, vaticinio, diſtinctione hiſtoriæ harmonia & Veterum autoritate, qvem, *vide loc. cit. p.* 151. 152. (*δ*) Tandem deniqve uno hôc ariete omnia probationum noſtrarum munimenta ſubverti poſſe putat *Bellarminus*, qvando

obji-

objicit : *Ab autoritate non eſſe concludendum negativè; Vide d. l. c.* VIII. *p.* 629. Reſp. Diſtingvimus inter autoritatem divinam atqve humanam: nec ferè opus, de utraqve enim aſſerimus, licere negativè concludere , dummodò non concludamus exinde abſurda, & ceteris paribus. Neqve nos ita , ut affingitur nobis, negativè argumentatur, ſed qvia S. Scriptura *implicitè* thema propoſitum negat , negativè etiam nos ab ejuſdem autoritate ſyllogizamus. Præterea nos alia qvoqve † ſuppeditavimus argumenta , qvæ conjunctim ſumpta non ſolvet *Bellarminus*, aut alius qvis ſociorum Lojolæ , nec convincet priùs, qvàm *Aqvilam* vicerit *teſtudo*, atqve ut loqvuntur *Hebræi:* אם יעלה החמור בסלם id eſt, *Si adſcenderit aſinus per ſcalam.* Manum de tabula! Ampliſſimus hic pateret campus exſpatiandi diſqviſitionibus, an D. *Petrus* Epiſcopalem etiam ſedem *Antiochiæ* tenuerit ſeptem annis ? Qviſnam D. Petri ſit primatus ? de qvo prolixè *Dn. D Gerhardus, in Conf. Cath. lib.* II. *art.* III. *c.* II. *à p.* 544. *ad* 587. Qvænam ſit ſucceſſio hodiernorum Pontificum ? Ceterùm ut ne nimis evadam copioſus , nec falcem mittam in meſſem aliorum , hic deſiſtere cogor. Exiſtimo autem ſatis ſupérqve ſatis repulſos eſſe & tacere coactos *Antagoniſtas* noſtros jamdudum. Qvandoqvidem *Hippocratis Aphoriſmus* eſt: Ὁκόσοισι δ᾽ ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα ſ. 7. §. 58. Sed qvamvis D. *Lutherus* adeò *Eccleſiæ Romanæ Capitis* i. e. Pontificis Romani *cerebrum* præter omnem opinionem hócce die ante annos 140. circiter, ſcilicet Ann. Ch. 1520. d. 10. Dec. concuſſerit, ut nihil ſupra : omnino tamen non obmutuêre Lojolæ ſocii,

† Tu vide omnino B. Sebaſt. Schmidii egregium Tractatum , cui titulum fecit, Petrus non Papa, edit. Argentor. 1676. in 12.

ſocii, de die in diem nova confingentes. Ceterùm exitio illos eſſe proximos, certô certius habeo perſvaſum: nam *λυσσάων ἀτρέμα, καὶ ἀγνοέων, καὶ μηδὲ ἀκούων, μηδὲ ξυνιεὶς, θανατώδης*, inqvit, *Medicorum Princeps. ſ.* 8. §. 16. תשרבע.

COROLLARIA.

1. *Feſtum Cathedræ (Papicolis ſanctum) ſeptennalem* D. Petri *Antiochiæ Epiſcopatus ſedem haud probat.*
2. *Pontificum hodiernorum in cathedra* D. Petri *ſucceſſio legitima non eſt.*
3. *Neqve digni ſunt Pontifices hodierni nomine* D. Petri: *qvam indignitatem ſuam ipſi agnoſcere videntur, dum nemo eorum unqvam hoc ſibi nomen aſſumere (qvi mos improbandus, origine ſumptâ à* Sergio *Papa, Os porci* (Saurüſſel) *dictô imitatione non ob tam æqvam cauſſam ab hodiernis approbatur) eſt auſus.*
4. *Papicolæ res adorant inanimatas, ut* lapides Stephani, *de qvorum uno ob affictam parturientibus aſſiſtentiam inter Carmelitas Pictavienſes & Dominicanos lis fuit graviſſima)* catenas Petri: capillos & pectines D. Mariæ &c.
5. *Pontificiorum nimia in aſſervandis reliqviis ſuperſtitio eò proceſſit dementiæ, ut non tantùm πῆχυν ἕνα, contra affatum* CHRISTI Matth. VI. 27. *corpori uni apponant, verùm etiam geminare illud (qvod contigit* Andreæ D. Petri *fratri, & filiæ ſic habitæ D.* Petri Petronillæ; *item* Philippo, Bartholomæo, Annæ Matri Mariæ, Longino, *qvi latus Domini in cruce transfodiſſe fingitur,* Honorato, Ægidio, *& aliis qvamplurimis, imò triplicare, (uti* præputiam CHRISTI, *neqve non* caput Annæ Matris Mariæ *&* Lazari corpus, *&c)*

qvinimò qvadruplicare , *ſicuti* corpus Sebaſtiani, *atqve ut numerum omittam majorem* (*qvi in dentibus Sanctorum cujuſdam ad trecenteſimum excrevit*) *ſextuplum reddere non erubeſcant*, *id qvod in* digitum Johannis Baptiſtæ, *qvô monſtravit* CHRISTUM, *admittunt*, *eumdem*, *qvamvis totum ipſius corpus à Gentilibus erutum Vulcano conſumtum ſcribatur*, *ſuperſtitem manſiſſe fingentes*.

6. *Inter* Leonem IV. & Benedictum II. *collocanda eſt* Johanna Papiſſa, *fœmina meretrix*, *qvæ annos ſedit duos*, *menſes qvinqve & qvatuor dies*, *de qva mentionem faciunt Hiſtorici complures*,

Papæ!

* الحمد لله Ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους.

LUmen Apoſtolicæ ſidúſqve illuſtre cohortis,
Qvod pridem è terris rutilo ſucceſſit Olympo,
Tu revocas, corámqve ſuo ſplendore coruſcum
Siſtis, & ex docta commonſtras rite cathedra.
Qvam bene! *Petræo* nam qvæ magè digna putanda eſt
Materies, *Petri* præter qvam Vita miniſtrat?
Hanc age Tu verbis, *Petræi*, hanc exprime factis.

JOHANNES MEISNERUS, D.

ILle olim ad ſanctum tenui traductus ab hamo
Munus Apoſtolici gloria magna chori;
Qveis rerum vicibus fuerit, qveis caſibus actus,
Dum trahit ad naſſam millia multa ſacram:
Tu doctâ memoras, *Petræe* facunde, Süadâ,
Et Vitam Divi, qvo decet ore, refers.
Scilicet admonuit ratio Te nominis ipſa,
Juſſit & officium ritè ſubire pium.

PE-

PETRÆUS PETRUM laudas. Age pergito! qvis Te
Præco qveat tanti dignior eſſe viri?
Præſtantiſſimo & Eruditiſſimo DNO. RESPON-
DENTI
Diſput. Autori *gratulabatur*
PRÆSES

XIII.

CUM DEO!

DISSERTATIO PHILOLO-GICA

EXHIBENS

DOMICILIUM, VICTUM ET AMICTUM JOHANNIS PRÆCURSO-RIS MESSIÆ.

Qvam
CONSENTIENTE AMPLISSIMA
facultate Philoſophicâ
In Celeberrima ad Varnum Academia
PRÆSIDE
M. CONRADO OLDIO,
Hamb. SS. Th. Candidatô,
Publicæ Eruditorum diſqviſitioni
exponit
JOHANNES WILKENS,
Wuſſato Bremenſis
Habebitur Diſputatio in Auditorio Majori die
IX. *Septembris,* CIↃ IↃC LVII.

CUM DEO!

NEqvaqvàm ſollicitudo Angeli de nomine Præcurſori Meſſiæ imponendo vana & otioſa judicanda eſt. Vult enim ipſo Johannis nomine, ut rectè notat Brentius, Hom. IV. in c. I. Lucæ ſignificare & teſtari, qvòd DEUS ſingulari qvâdam gratiâ complexurus ſit Johannem, & qvòd Johannes faturus ſit DOMINO DEO noſtro longè omnium acceptiſſimus. Potiſſimùm tamen nomen Johannis ex reſpectu officii ac prædicandi Euangelii ipſi inditum fuiſſe idem Brentius, Homil. IV. in c. I. Lucæ teſtatur: *Johannis nomen, inqvit, ſi interpreteris, gratioſum ſignificat, non tam gratiâ vel DEI vel hominum acceptum, qvàm gratiæ adnuntiatorem.* Hoc enim potiſſimùm intererat ſalutis hominum, ut agnoſcerent hiſpidum hunc ac auſterum pœnitentiæ Concionatorem meram tamen re ipſâ gratiam annunciare, mera chariſmata offerre. Primô tamen aſpectu titulo huic tota vitæ Johanneæ inſtitutio planè contraria eſſe videtur: Qvis enim hunc in deſerto & pelle latentem, melle agreſti & locuſtis veſcentem, ut vix abjectiori ſorte qviſqvam inveniretur præ ceteris, ſingulari qvôdam affectu à DEO Creatore cæli ac terræ, omniúmqve Domino foveri facilè conjecturâſſet? Qvis illum gratiæ nuntium prædicâſſet, qvi vix qvemqvam, niſi pœnitentiæ ſtimulô, excepit? Si verò penitius hæc omnia perſpicere ſtudeamus, ſvaviſſimô concentu univerſa conſpirant. Id enim omnino Johannes & præ-

viô pœnitentiæ præconiô & omni ſuæ vitæ ratione intendit, ut μετάνοιαν ἀμεταμέλητον in animis hominum operaretur, & conſeqventer ſtabile ſeqvuturi gaudii poneret fundamentum. In eo enim demum ὁ Χριστὸς ζῇ teſte Apoſtolò ad Galatas c. II. 19. 20. *qvi Χριστῷ συνεσταύρωται. Neceſſum itaqve omnino fuit ut Eaungelio ſuo legem & pœnitentiæ præconium Johannes præmitteret; Exhibuit autem Concionatorem pœnitentiæ non Verbô ſolùm, ſed omni vitæ inſtitutô, ſeveriſſimum enim omnis voluptatis hoſtem & habitaculô & victu & amictu exhibuit; Imò ipſum Eliam externâ etiam vitâ repræſentavit non Spiritu ſolùm & virtute, qvamvìs in poſtremis potiſſima convenientiæ ratio conſiſtat. Paucis eadem exercitii gratiâ contemplabimur:*

Tu DEUS in verum ducas meditamina ſenſum.

§. I.

LOcus domicilii dicitur fuiſſe ἔρημος ſubintellige γῆ ſive deſertum, qvod non ſolùm de loco planè inacceſſibili & ab omni hominum uſu remot, ſed & de inhabitato & inculto dicitur, qvi propriè paſcendis armentis deſtinatus eſt. In ejuſmodi loco domicilium ſuum habuit *Vir DEI* non abſqve ſingulari Divini Numinis diſpenſatione. Hoc enim inter alia κριτήριον Præcurſoris Meſſiæ Judæis propoſitum erat ab Eſaia c. XL. 3. qvòd futurus eſſet *Vox clamans in deſerto, parate viam DOMINO.* Impletum itáqve fuit Vaticinium Eſaiæ in Johanne etiam qvod ad domicilium. Unde notanter in loco propoſito Marcus, I. 4. dicit poſt adductum Vaticinium Eſaiæ: ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, qvaſi dicere vellet, qvod Eſaias prædixit de Præcurſore DOMINI, id examuſſim impletum eſt in Johanne, ut nullam ampliùs pertinaciæ ſuæ excu-

ſationem habeant Judæi non acceptantes teſtimonium Johannis de Meſſia. Nec abſonum eſt aſſerere ex occaſione infanticidii Herodiani Johannem abſconditum fuiſſe in deſerto & ſic domicilio ejuſmodi aſſvetum. Matthæus aliqvô modô regionem deſerti determinat c. III. 1. qvod fuerit ἔρημος τῆς Ἰουδαίας, ſpecialiùs eadem determinatur Joh. c. I. 28. qvòd fuerit prope Bethabara ad Jordanem fluvium, fit enim mentio Baptiſmi Johannis. Neqve procul abhinc abeſt *Macherus* caſtellum Herodis, ubi Johannes captivus ab Herode Antipa capite fuit truncatus, vid. D. Qviſtorpii Nebo, p. 9.

§. 2. Cibus Johannis duplex fuit ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον Mellis notabilis datur differentia, qvæ tamen non abſqve ratione ex ſola locorum, unde colligitur, diſcrepantia deducenda videtur. Hinc differt cùm ratione univerſarum regionum, tum etiam ratione certorum qvorumdam locorum in hac vel illa regione, qvatenus nempe univerſa qvædam regio herbarum ac florum præcellentiam habet præ alia, vel unus altérve locus præ altero, qvamvìs ejuſdem regionis. Utróqve reſpectu Strabo, Geograph. lib. IX. Mel Atticum cuncta bonitate ſuperare dicit, eô verò longè præſtantius eſſe illud, qvod ad argentarias gignitur, qvod qvidem etiam ἀκάπνιστον i. e. eſt à fumo purgatum ajunt qvôdam applicationis modô. Mel Atticum generaliter denominatur ex tota regione, & ſic in univerſum mel iſtius regionis præfertur iſti, qvod in alia qvadam regione colligitur: Specialis verò inter ipſa mella Attica iſti, qvod ad argentarias gignitur, prærogativa qvædam tribuitur. Et ſpecialiſſimè qvidem Mel Hymettium præ ceteris ut optimum cùm ab ipſo Strabone, loc. cit. tum communi etiam Poëtarum Encomiô commendatur, utpote qvod ex monte ſemper florente colligitur. O-

mnino

omnino etiam analogiæ Phyſicæ conſentaneum eſt, ut ex ratione herbarum & florum, unde ab apibus mel colligitur, ipſius præſtantia & effectus etiam diſcrepet. Unde non alienum à veritate judicamus, qvod Strabo lib. XII. Geograph. recenſet de melle furente in regione Heptacometarum ultra Colchidem, qvô tres Pompeji cohortes potos & mente alienatos Heptacometæ interemerunt. Mel ſylveſtre, qvô in cibum uſus dicitur Johannes, nativum & domeſticum ipſi fuit, & pateſcit exinde durities ipſius in victu, ut qvi omnem planè guſtus neglexit mollitiem & ſolô iſto cibô contentus fuit, qvem qvamvìs iniqvior loci natura ipſi obtulit. Collectum enim fuit hoc mel ex loco deſerto, & omni ſvaviorum floſculorum delectu deſtituto. Iſidorus Peluſiota, lib. I. Epiſt. CXXXII. μέλι ἄγριον vocat μέλι ὄρειον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον, πικρότατον ὂν καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον, Mel montanum, qvod ab agreſtibus apibus conficitur, ſuumméqve amarum eſt & guſtatui omni infeſtum atqve inimicum. Rectiſſimè ſe habet hæc deſcriptio qvod ad apes agreſtes & ex parte etiam, qvod ad ſaporem amarum, ſummam tamen amaritudinem & ejuſmodi ſaporem, qvi guſtatui omni infeſtus ſit atqve inimicus melli agreſti ex ſuperſtitione qvadam ab Iſidoro tribui cenſemus: Nec eſt, cur μέλι ἄγριον μέλι ὄρειον vocemus; Non enim in ſolis montibus mel hoc reperitur ſed & in ipſis ſylvis ſeu arboribus. Nec veriſimile eſt, Johannem cibum illum ex monte aliqvo petiiſſe, qvem proprium domicilium ipſi obtulit. Unde potiùs μέλι ἄγριον vocamus τὸ ὑπὸ ἀγρίων μελισσῶν γεωργούμενον, ἐν δένδροις εὑρισκόμενον καὶ πέτραις, qvod ab agreſtibus elaboratur apibus: qvódqve in arboribus invenitur & Petris cum Theophylacto.

§. 3. Alterum Johannis ferculum fuerunt ἀκρίδες. Hebaicè dicuntur ארבה: Nec ratio eſt dubitandi,

qvin per ἀκρίδες eadem animalcula intelligantur, qvæ in verſione ſeptuagintavirali talia dicuntur. Nomen Hebraicum ex multitudine ipſis eſt impoſitum, tum qvòd non una eſt ejus inſecti ſpecies & forma, tum qvia agminatim & magnâ copiâ gradiuntur, ut patet ex Proverb. xxx. 27. Citante D. Rungiô in Comment. in Exodi c. x. Græcè dicuntur ἀκρίδες ab ἄκρος, ſummus, extremus, qvòd in extremitatibus arborum ac herbarum hærere ſoleant. Latinis locuſtæ dicuntur, qvòd loca urant ob damnum, qvod iis inferunt, appellatione ſatis appoſitâ, ut enim ignis omnia planè decerpit & excerpit, ſic etiam locuſtæ totalem inferunt perditionem. Hinc à DEO Ægyptiis immittebantur, ut conſumerent qvidqvid reliqvum erat à grandine, Edi c. x. 5. Joëlis etiam c. 1. 4. Locuſtæ vorare dicuntur qvidqvid reliqvum eſt ab Erucis, qvô ipſo certè penitiſſima ac inſatiabilis voracitas locuſtarum innuitur. Lutherus in verſione germanica eas vocat Heuſchrekken, non qvòd animalcula hæc eadem ſint cum locuſtis, qvales DEUS Ægyptiis immiſit, aut Johannes in deſerto comedit, ſed qvòd convenientiam aliqvam cum iis habere videantur. Sic enim ipſe ait in nota ad Exodi c. x. 12. Die Heuſchrekken heiſſen hie nicht *Hagab* auff Hebræiſch wie an etzlichen Oertern, ſondern *Arbe*. Es ſind aber vierfüſſige fliegende Thier geweſen, und rein zu eſſen wie Hagab Levit. x1. 22. aber uns unbekand, ohn daſſ ſie Heuſchrekken gleich ſind. Nonnulli ſpecies locuſtarum 4. recenſent ex Levit. c. x1. 22. Verùm 4. iſta, Arbe, ſelaam, Hargol & Hagab potiùs genericè inter ſe differunt, addit enim Moſes ad unumqvodqve in ſua ſpecie, qvodlibet itaqve horum diverſas in ſe continet ſpecies. Significant etiam locuſtæ Cancros fluviatiles ut & certum aliqvem fruticem, unde nonnulli pu-

tant

tant Johannem vel cancros fluviatiles comediſſe vel fruticem hujus nominis. Sed nulla eſt ratio qvare à ſimplicitate verborum ſecedamus. Nec enim fuerunt locuſtæ cibus planè inuſitatus, nec prohibitus etiam in V. T. Confines Mauritaniæ certô qvôdam tempore locuſtas terreſtres legunt duratáſqve ſalſugine in præſidium vitæ ſolas habent. Verba ſunt Solini in Polyhiſtore, c. XXXIII. Exqviſitè hac de re Caſaubonus, Exercitat. XIII. n. VII ad annales Baronii: ἀκρίδας, inqvit, qvibus veſcebatur Præcurſor CHRISTI, nullum eſt dubium, locuſtas fuiſſe. Probârunt jam eruditi Viri multis veterum Scriptorum teſtimoniis, edules fuiſſe aliqvas locuſtas non ſolùm in Judæa, qvod & Rabbini teſtantur, & aliis regionibus orientis: ſed etiam in Græcia & oppoſita Aſia. Dubitare jam de eo non magìs licet, qvàm de qvavis alia re certiſſimè comperta. Tot teſtimoniis qvæ ſunt ab aliis producta, poſſunt alia adjici idonea, qvæ vel ſi eſſent ſola, æqvis lectoribus omnem ſcrupulum eximere. Galenus Commentariô II. in Hippocratis Aphoriſmos inter cibos, qvi tardiſſimè alunt, recenſet κοχλίας, σπονδύλους θαλαττίους, ἀκρίδας, κοράβους & ἀστάκους, Cochleas, ſpondylos marinos, locuſtas, carabos, aſtacos. Expreſſimus lectionem editam Galeni: fortaſſe tamen ſcribendum καρίδας non autem ἀκρίδας. Nam apud Athenæum non uno locô junguntur hæc piſcium teſtaceorum nomina καρίς, ἄστακος, κάραβος. Sed apud veteres Poëtas Græcorum, non ſolùm ἀκρίδες ponuntur inter viles pullatæ plebeculæ cibos, ſed etiam σέρφοι, qvod eſt viliſſimum genus inſecti, formicis, ut volunt Grammatici, adfine. Hactenus Caſaubonus. Iſidorus Peluſiota, lib I. Epiſt. CXXXII. αἱ ἀκρίδες, ait, ἃς Ἰωάννης ἐτρέφετο οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς κανθάροις ἀπεοικότα. Μὴ γένοιτο ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν. Locuſtæ, qvibus Johannes veſcebatur, non animantia ſunt, ut qvidam imperitè

rītè putant, ſcarabæis ſimilia (abſit.) Verùm herbarum aut plantarum ſummitates. Qvis autem non miretur, qvid Peluſiotæ hoc aſſerenti venerit in mentem non abſqve cauſa dicimus cum Heinſio in Exercitat. ſacris in c. III. Matthæi.

§. 4. Solent hìc nonnulli notare correſpondentiam octavi præcepti & octavæ plagæ Ægyptiorum, qvæ fuerunt locuſtæ. Octavum præceptum eſt falſum teſtimonium non dices. Octava plaga eſt Locuſta, animal ſcilicet dente noxium, falſus enim teſtis mentiendo mordet & mordendo conſumit. Gregorius in c. x. Exodi. Exhibitæ, inqvit, cælitus Ægypti plagæ exigentibus meritis corporaliter illatæ ſunt. Sed qvæ mala qvotidiè pravas mentes feriant ſpiritualiter ſignaverunt. Qvibus exteriori percuſſione commota humana mens dolénſqve perpendet, qvæ vaſtationis damna interius negligens toleret; per locuſtas enim qvæ plus qvàm cetera minuta animantia fructibus nocent, lingvæ adulatorum figurantur, qvæ terrenorum mentes aliqva bona proferentes immoderatiùs laudando corrumpunt, fructus enim Ægyptiorum opera Cenodoxorum, qvæ locuſtæ exterminant, dum adulantes lingvæ ad appetendas laudes tranſitorias cor operantis inclinant. Herbam locuſtæ comedunt, qvando adulatores verba loqventium favoribus extollunt, bona verò bonorum devorant, dum vanis laudibus qvorumdam tanqvàm fortium opera enarrant. Idem, lib. XXXIII. Moral. c. XXXIX. in verba Joëlis c. I. 4. Qvid per locuſtam, ait, qvæ ſaltibus evolat, niſi inanis gloria exprimitur, qvæ ſe variis modis præſumptionis exaltat? Franzius in Hiſtoria animalium parte II. c. IV. p. 580. Locuſtam vivam eſſe dicit imaginem eorum, qvi ſolent depaſcere aliena patrimonia, ita ſi qvis nobilis nimis multos habet ſervos & adulatores, aut matrona multas famulas, ſcortator

tor amicas, dicitur habere locuſtas. Apoc. IX. 3. dicuntur egreſſæ locuſtæ ex fumo; per locuſtas intelliguntur non animalcula illa propriè ſic dicta, ſed hoſtes & hæretici: Locuſtæ enim hæ non debent lædere gramen terræ, neqve viride qvidqvam, neqve ullam arborem, ſed tantùm homines, qvi non habent ſignum DEI in frontibus ſuis v. 4. Dicuntur egredi ex fumo, qvia hoſtes & hæretici recudunt anteceſſorum & hæreſiarcharum damnatas cauſſas & opiniones cerebrum & ſapientiam divinam obſcurantes, & pacem turbantes, habent ſimilitudinem eqvorum propter ferociam, habéntqve ducem angelum abyſſi, id eſt, Sathanam. Sicut autem Locuſtæ ſaltant, non rectè volant, qvia mox ad terram recidunt: Ita hæretici argumentis nituntur ſpecioſis, ſed inanibus. Cùm nocere debent Locuſtæ ibi à ventis afferuntur: ſic hæretici exſtimulantur à Sathana.

§. 5. Conſideravimus victum Concionatoris pœnitentiæ parum delicatum, reſtat ut porro amictum ſat auſterum & aſpectui exhortationes ad pœnitentiam ingerentem conſideremus. Deſcribitur amictus Johannis ex materia & forma. Materia veſtimenti Johannis ſunt pili Camelorum. Qvidam ex Pontificiis Johannem dicunt indutum fuiſſe tunicâ ex pilis Camelorum artificiosè contextâ, qvalem ipſorum nonnulli geſtare ſolent; ídqve exinde probare conantur, qvòd non ipſius cutis ſed pilorum ſolummodò fit mentio. Verùm ratio hæc omnino eſt inſufficiens & ſcopus Euangeliſtæ longè aliud demonſtrat; 1. enim indicare vult Euangeliſta Johannem omnem ornatum veſtium planè neglexiſſe, 2. Abſqve omni dubio etiam ex ea cauſſa adeò diligenter amictum Johannis deſcribit, ut convenientiam inter Johannem & Eliam, qvem repræſentabat, ipſo etiam amictu demonſtret: De

qvo

qvo pluribus diſſerens videri poteſt Richardus Montacutius, Orig. Eccleſ. parte II. §. 42. 43. Eſt enim amictus planè idem, ut patet ex collatione noſtri loci & 2. Regum c. 1. 8. Dicitur autem Elias loc. cit. fuiſſe איש בעל שער Vir hàbitator cutis, ut habet interpretatio Xantis Pagnini. Lutherus noſter, Et hatte eine rauhe Haut an, unde facilè ex correſpondentia & mutuo reſpectu utriuſqve perſonæ, ut & amictus identiate conſtat Johannem ipſâ pelle Cameli, cui inſiti adhuc fuerunt crines, indutum fuiſſe. Qvòd verò pilorum tantummodò, non etiam ipſius Cutis meminit Euangeliſta ex ratione ſcopi fieri videtur ea de cauſsa, ut Johannem hirſutum, hiſpidum, ac minùs comptè ornatum repræſentaret. Forma ex eo indigitatur, qvòd habuit *ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ.* Zonam pelliceam circa lumbos ſuos, qvaliter etiam veſtitus legitur Elias 2. Reg. c. 1. 8. Et hoc etiam omnino ad vilitatem amictus Johannis facit. 1. qvidem qvod ad ipſam formam tunicæ, qvatenus tali indumentô veſtitus fuit Johannes, qvod circa *ὀσφῦν* vinculô conſtringendum fuit, qvali pauperes Galilæorum uſi ſunt, ut & ipſe Servator, teſte Peluſiotâ, qvi ſic hac de re Epiſt. lib. 1. Ep. LXXIV. *ὅτι βλακεία καὶ λεπτότης καὶ εὔχροια ἱματίων οὐ σώζει τὸν κατὰ θεὸν ἀσκήσεως τὸν κανόνα, ἐρώτησον Ἰωάννην τὸν θεόλογον τὸν τοῦ κυρίου διαγράφοντα χιτῶνα. Καὶ φράσει σοι ὅτι ὁ δὲ χιτὼν αὐτοῦ ἦν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης ἥπερ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν γαλιλαίων, καθ' οὓς, καὶ μάλιστα τὸ τοιοῦτο φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον τέχνῃ τινὶ ὡς αἱ στηθοδεσμίδες ἀναχρεουν ὑφαινόμενον.* Qvòd veſtitus mollities & ſubtilitas colórqve elegans religioſæ ac DEO gratæ exercitationis regulam minimè ſervent, Theologum Johannem interroga, DOMINI Tunicam deſcribentem: ac tibi dicet, Erat autem tunica ejus inconſutilis deſuper contexta per totum. Qvis autem veſtis illius vilitatem ignorat?

rat? ut qvâ Galilæorum pauperes utuntur: apud qvos etiam maximè hujuſmodi veſtis genus fieri ſolet, arte qvâdam, ut pectoralia, retractim conſutum. Qvod ad materiam Cinguli: etiam hìc planè omnis abeſt luxus & ex Corio, materia omnium viliſſima, maximus hic inter natos hominum exceptô Meſſiâ tunicæ ſuæ ligamentum habuit: ἦν δὲ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ.

§. 6. Ex hoc Eliæ & Johannis victu & amictu Pontificii inferunt, iſtos jam tum vitam monaſticam egiſſe, ordinúmqve ſuorum eos faciunt Auctores, ſed perperam. Fatemur cum Caſaubono, Exercitat. XIII. ad annales Baronii, anni XXXI. n. 15. non paucos è patribus dixiſſe, auſteri propoſiti, atqve ut ipſi loqvuntur, τῆς κατὰ Θεὸν τελείας ἀσκήσεως exempla fuiſſe edita ab Elia Propheta & Præcurſore Johanne: ſed ordines Monachorum ab Johanne habuiſſe initium & ab ipſo naſcentis Eccleſiæ principio ſemper fuiſſe Monachos, & moniales neqve dicunt Patres neqve poteſt probari. Atqvi multum hæc duo inter ſe differunt; ſanctimoniâ atqve auſteritate vitæ poſteris prælucere & Monachorum ordines inſtituere. Nec ipſi antiqvi Patres, etiam qvi vitæ monaſticæ maximè favent Monachorum modernorum vivendi rationem approbant. Notabilia ſunt hac de re verba Baſilii Magni in Epiſtola ad ſanctum Gregorium Theologum de vita in ſolitudine agenda. Κατελίπομεν, inqvit, τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς ὡς μυρίων κακῶν ἀφορμὰς ἐμαυτὸν δὲ οὔπω ἀπολιπεῖν ἠδυνήθην, ἀλλ᾽ ὅμοιός εἰμι τοῖς ἐν θαλάσσῃ ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν πλοῦν ἀπειρίας ἀποπλυμένοις καὶ ναυτιῶσιν. οἱ τῷ μεγέθει τοῦ πλοίου δυσχεραίνουσιν ὡς πολὺν τὸν σάλον παρεχομένου, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὸν λέμβον ἢ τὸ ἀκάτιον μεταβαίνοντες πανταχοῦ ναυτιῶσι καὶ ἀπορεῦνται. συμμετέρχεται γὰρ αὐτοῖς ἡ ἀηδία καὶ ἡ χολή. Τοιοῦτον οὖν τι καὶ τὸ ἡμέτερον. Τὰ γὰρ ἔνοικα πάθη συμπεριφέροντες πανταχοῦ μετὰ τῶν ὁμοίων θορύβων

βαν ἐσμέν. ὥστε οὐδὲν μέγα τῆς ἐρημίας ἀπωνάμεθα ταύτης. Dereliqvi qvidem in urbe occupationes tamqvàm ſexcentorum malorum cauſſas, me ipſum autem nondum relinqvere potui. Sed ſimilis ſum in mari præ circa navigationem inexperientiâ pereuntibus & nauſeantibus. Qvi magnitudine navigii offenduntur tanqvàm multam jactationem præbente & illinc in lembum aut acatium tranſeuntes ubiqve nauſeant & hærent, transgreditur enim cum ipſis moleſtia & bilis. Tale igitur qviddam & noſtrum. Nam domeſticas perturbationes ſimul circumferentes, ubiqve cum ſimilibus tumultibus ſumus. Itaqve nihil magni ſolitudine lucrati ſumus hâc. Notanter etiam Iſidorus Peluſiota, lib. 1. Ep. xxv. ad Cyrillum: τί σοι ὄφελος τῆς Ἰωάννου πρὸς τὴν ἔρημον ἀναχωρήσεως, ἣν πάλαι σπουδαίως ἐζήλωσας νῦν δὲ μὴ ἐκεῖνον μεμιμημένῳ καὶ πρὸς τὰς οἰκείας φροντίδας παλινοστοῦντι, καὶ ἐπ' ἐρημίας θορυβουμένῳ καὶ χειμῶνας ὀχλουμένῳ. Qvid tibi utilitatis affert Joannis in locum deſertum ſeceſſio, qvam olim ſtudiosè imitatu ses nunc cum minimè imiteris: Verùm ad privatas curas te referas atqve in ſolitudine tumultueris & ab hominum cœtu remotus perturberis? & qvæ ſeqvuntur. Et lib. 1. Epiſt. ccccLXXIV. εἰ νομίμως ἀσκεῖτε, νηστεύοντες μὴ τυφοῦσθε, εἰ δὲ ἐπὶ τούτῳ αὐχεῖτε, μᾶλλον κρεοφαγεῖτε. Si monaſticam vitaml egitimè colitis, jejunantes à faſtu alienos vos præbete. Sin autem hôc nomine inſoleſcitis, potiùs carnes edite. Et lib. ejuſdem epiſt. ccccXLVI. εἰ νηστεύεις ἀπὸ βρωμάτων τί κρεοφαγεῖς λοιδορίας; καλὸν γὰρ ἐκείνων ἐμφορεῖσθαι ἢ ταύταις βεβηλοῦσθαι: Si à cibis abſtines, qvid convitiis & maledictis tanqvàm carnibus veſceris? præſtiterat enim illis ingurgitari, qvàm his contaminari. Concludimus verbis ejuſdem, lib. 1. Ep. CLXII. οὐκ ἀρκεῖ ἡ βρῶσις καὶ πόσις καὶ στρωμνὴ Ἰωάννου πρὸς πέρας ἀσκήσεως, τοῖς ταῦτα ζηλοῦσιν ἀρεῖ. ἀλλὰ χρεία καὶ τῆς γνώμης Ἰωάννου πρὸς τὴν τελείωσιν. Ad numeros omnes religioſæ vitæ abſolvendos

dos Johannis cibus ac potus & cubile minimè ſufficit. Verùm ad perfectionem adipiſcendam Joannis qvoqve animus reqviritur. Nullum itaqve omnino Monachi in exemplo Johannis & Eliæ præſidium habent, ſed ut novæ religionis (qvô titulô ipſe Nicolaus Orlandinus Jeſuita Monachorum ordines inſcribit in Hiſtor. Societ. Jeſu partis 1. lib. 1.) inſtitutores ac formatores meritò à nobis rejiciuntur. Qvòd ſi examinare vellemus Monachorum ritus ac mores, eóſqve cum vita Johannis conferre non diſcrepantiam ſolùm, ſed maximam etiam contrarietatem facile eſſet oſtendere. Non abſtinuit Johannes ſtatô qvôdam tempore ab hoc vel illo cibo, ut faciunt Monachi, aliis interim, iíſqve lautiſſimis edûliis ſeſe replentes, ſed ſolis locuſtis & melle ſylveſtri contentus fuit omnis omnino delicatioris cibi negligentiſſimus. Johannes in deſerto domicilium ſuum habuit, Monachi hodierni non ſolùm urbes inhabitant, ſed & in urbibus urbes condunt, ut verè de iis Camero in tractatu, in qvo Eccleſiæ Romanæ aſſeclarum adverſus religionem reformatam præjudicia examinantur, c. XXVII. Viliſſimô veſtitu uſus eſt Johannes: Monachi ſe ejus imitatores profitentur, ſed utut externis indumentis modeſtiam & humilitatem oſtentent, hâc ipſâ tamen oſtentatione animi ſuperbiam profitentur, qva de re appoſitè Camero in tract. modò citato, c. XL. Si vilis & abjectus ornatus honorem & reverentiam parit, utiqve ejuſmodi ornatum ambire ambitionis eſt; Non illepidè dixit, qvi Philoſopho Cynico dixit, ſe faſtum illius per pallioli laceri foramina conſpicere, qvia honoris aucupandi cauſsâ vilem illum amictum elegerat. Superbiſſimum olim id fuit genus Philoſophorum promiſsâ barbâ, vili penulâ, perâ, ſcipione & nudis pedibus. Capucinos noſtros planè diceres: Nobiles, plebeji falſam illam

gra-

gravitatis larvam, ſub qva pectus magè ſuperbum, qvàm ſub Alexandri paludamento latebat, certatim honorabant. Nec tantum, qvod maximum eſt, operibus ſuis tribuit Johannes, qvaſi exinde ſibi DEUM debitorem faceret, qva in opinione verſantur Monachi, qvi opera ſupererogationis etiam aliis vendunt, ſed modeſtiſſimè de ſe ſenſit, imò indignum ſe judicavit, ut ſolveret corrigiam calceamenti Servatoris Johan. c. 1. 27.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PER EXIMIO

DN. RESPONDENTI,

Amico meo.

ARgentorati mihi Brema paravit amicos
Egregios, qvorum nunc meminiſſe juvat.
Ex voto valeant, vigeántqve in commoda RERUM,
Qvas nunc anguſtas tempora ſæva parant.
Roſtochii, mi WILCKE, paras pertexere telam,
Gaudeo ob eximiæ proſperitatis opes.
Nam dum pertexit Studiorum induſtria telam,
Brema mihi plures ingenioſa dabit.

Benevolentiſſimi amoris documentum dab.

JOH. GEORGIUS DORSCHEUS, D.

AD PRÆSTANTISSIMUM

DOMINUM

RESPONDENTEM

Baptiſtæ memoras *Veſtem Victúmqve* JOHANNIS
Hôc hominum nullus major in orbe fuit.
Si CHRISTUM excipias: major tamen ille JOHANNE †
Sub regno CHRISTI qvi *magè parvus* erit.

Celerr. honori & amori qvod debuit inter occupationes poſuit

† Matth. xi. 11. A. VARENIUS, D.

F I N I S.

INDEX
DICTORUM BIBLICORUM

GENES.

Cap.	Verſ.	pag.
I.	26.	7. 32.
	27.	32.
	ult.	29.
II.	7.	11. ſ.
	8.	3.
	21. 22.	13. ſ.
	25.	47. ſ.
III. tot.		54. ſ.
	10.	6. 38.
	15.	152. ſ. 192. ſ. 209. ſ.
IV.	1.	211.
	3, 4.	219. ſ.
	26.	222. ſ.
V.	29.	228.
VI.	18.	232.
VIII.	20.	235.
IX.	26, 27.	269. ſ.
XLIX.	11.	243.

EXOD.

Cap.	Verſ.	pag.
VI.	3.	102.

LEVIT.

Cap.	Verſ.	pag.
XXV.	2.	421. ſ.

JOS.

Cap.	Verſ.	pag.
XII.	8, 15.	404.
XIV.	10, 11.	420.
XV.	60.	423.
XVII.	7.	424. ſ.
XIX.	1.	425.
	15.	423.
	24, 25, 26, ſ.	426.
XX.	1, 2.	426.

RUTH.

Cap.	Verſ.	pag.
I.	1.	428.
IV.	20, 21, 22.	430. ſ.

1. SAMUEL.

Cap.	Verſ.	pag.
VI.	4.	429.

2. SAMUEL.

Cap.	Verſ.	pag.
XXIII.	13, 14, 15. ſ.	433.

I. REG.

Cap.	Verſ.	pag.
VI.	1.	429.

PSALM

Cap.	Verſ.	pag.
XLIX.	21.	25. ſ.
XCI.	4.	363.
CXL.	8.	363.

JEREM.

Cap.	Verſ.	pag.
XXXI.	15.	402. ſ.
	33.	380. ſ.

MICH.

Cap.	Verſ.	pag.
V.	2.	404, 411.

MATH.

Cap.	Verſ.	pag.
II.	6.	411.
	18.	403.
VIII.	14.	459.
X.	4.	452.
	16.	60. ſ.
XVI.	18.	454.
XXVI.	73.	457.

Cap.	Verſ.	pag.
	MARC.	
I.	29.	459.
	LUC.	
I.	34.	347.
	35.	348. ſ.
II.	4.	402, 416.
XXII.	57.	457.
	JOHAN.	
I.	43.	453. 458.
VII.	42.	416.
XV.	26.	393.
	ACTA.	
II.	7.	457.
V.	15.	362.
IX.	32.	483.
XV.	11.	181. ſ.

Cap.	Verſ.	pag.
	ROM.	
V.	12.	103. ſ.
	I. CORINT.	
I.	24.	361.
IX.	5.	460.
XV.	49.	6.
	GALAT.	
III	23.	264. ſ.
	EPHES.	
V.	24.	19.
	COLOSS.	
III.	10.	39. ſ.
	I. TIMOTH.	
II.	14.	104. ſ.
	I. PET	
V.	13.	491. ſ.

ERRAT.

P. 412. v. 11. pro *erga divinam ſcripturam negligentiam*, pone, *erga divinæ ſcripturæ lectionem negligentiam*.

FINIS.

Digitized by